BIBL. NAZ.
PROV. DIOC.
161
F
10.
BIBL. NAZ. NAPOLI

BIBL. NAZ.
VITT. EMANUELE III
161
F
10
NAPOLI

SYNODVS BITVNTINA.*

*vel Botuntina.

R.^mi PATRIS F. CORNELII MVSSI EPISCOPI BITVNTINI,

TOTAM FERE' ECCLESIASTICAM DISCIPLINAM SERMONIBVS, CONSTITVTIONIBVS, LEGIBVS SYNODALIBVS, COMPLECTENS.

IN QVA NOVO, ET ERVDITO QVODAM MODO TRACTATVR.
De Cauſa, & Ratione Viſitationis. De modo Viſitandi.
Deq́ toto Clero, & Populo reformando.

QVAE OMNIA NON SOLVM ECCLESIAE BITVNTINAE, SED OMNIBVS etiam alijs Eccleſijs, ac Diœceſibus perutilia ſunt, & neceſſaria.

AD ILLVSTRISS. ET AMPLISS. D. D. ALEXANDRVM CARDINALEM FARNESIVM, S. R. E. VICECANCELLARIVM.

CVM PRIVILEGIO D. N. PP. GREGORII XIII. ILLVSTRISS. SENATVS VENETI, ET ALIORVM PRINCIPVM.



VENETIIS,

APVD IOLITOS. MDLXXIX.

ILLVSTRISSIMO, AC REVERENDISSIMO D. D. ALEXANDRO, AMPLISSIMO CARDINALI FARNESIO, S. R. E. VICECANCELLARIO MERITISSIMO.

IOSEPHVS MVSSIVS, ARCHIPRESB. Bituntinus. S. D.

CVM SÆPE, ac diu mecum cogitaſſem, quàm Illuſtris, ac ampla fuerit ſemper familia tua, (Illuſtriſſime, ac Reuerendiſſime ALEXANDER Farneſi) ex qua tot Illuſtres Heroès exierunt; mihi in mentem venit, quot, quantasq́; res immortalitate dignas confecerit ALEXANDER ille Auus tuus PAVLVS Tertius Pontifex Opt. Max. quæ certè innumerabiles fuere; in quibus omnibus, nihil fuit præclarius, ac illuſtrius forſan ab eo factum, quàm vt te, etſi in ætate ferè puerili conſtitutum, in Cardinalium Collegium cooptandum curaſſet; quippe qui, cum acie mentis cœteris præſtaret, præuidit, quàm tua Amplitudo S. R. Eccleſiæ, ac vniuerſæ Chriſtianæ R.P. maximæ vtilitati eſſet futura. Tu verò cum primum ampliſſi-

mam illam dignitatem fuiſti conſecutus, ab Auo tuo Pontifice prudentiſſimo, & ſapientiſſimo edoctus in omnibus rebus, tùm domi, tùm foris te ita geſſiſti, vt nemo eſſet, qui ſumma admiratione non afficeretur, cum videret in te adoleſcente, ac penè puero, tot, tantasq; virtutes dominari. Et ut omnia prudentius, ac ſapientius efficere poſſes, ea mente ſemper fuiſti, vt Domi tuæ, & apud te viros ſcientiarum omnium, aliarumq; rerum peritiſſimos haberes, quorum conſilio, cùm tibi videretur, vti poſſes; & vt immenſa tua liberalitas cognoſceretur, nemo fuit ex ijs, quorum opera vſus fuisti, quin maximis honoribus, maximisq; præmijs à te fuerit affectus; in quibus potiſſimùm fuit CORNELIVS Muſſus, vir excellenti ingenio ornatus, ſingulari virtute præditus, & vitæ probitate Clariſſimus, qui quidem noſtra ætate, ita eloquentia, tùm Latina, tùm etiam Vulgari præſtitit; vt nemo fuerit, qui cum eo eſſet comparandus. Huius quidem rei teſtes ſunt conciones, quas publicè in nobilioribus Italiæ vrbibus patrio ſermone habuit, & præſertim Romæ in tua Illuſtri Eccleſia Sancti Laurentij in Damaſo; ſed multò magis hæc Latino ſermone conſcripta teſtes ſunt, quæ Amplitudini tuæ nunc ob eam cauſam offeruntur, & dedicantur; quòd pleraq; ipſorum, quæ in Bitontino Epiſcopatu, qui tuus quidem fuit, & quem ipſe tibi ſemper accæptum retulit, confecta fuerunt, Romæ, Domiq; tuæ in extremo ſpiritu purgauit, ac perpoliuit. Quid verò de ipſius Cornelij fidelitate, ac immenſo ſtudio dicam? Quo immenso ſemper erga ſuos patronos, ac totam quidem Farneſiam Domum ita fuit, vt in eo omnes ſuperauerit, & vt verè id cognoſceretur, Domi Farneſiæ etiam voluit vitam cum morte commutare; & tàm gratus, ac memor dignitatis, & beneficiorum ab ipſa accœptorum, tanquàm circulo, ſiue ſuæ vitæ curſu confecto, & ibi finem imponere, vbi eius fortuna initium habuit, tibiq; (Ampliſſime Cardinalis) reddere, ac reſtituere eam tuam Eccleſiam, quæ quidem ei ſemper maximam animi perturbationem, & immenſam moleſtiam attulit; ex quo ipſe, de ea dicere ſolebat, & perſæpe in hæc verba prorumpebat.

pebat. Tu mihi ſanguinis ſponſa es. Et hoc iccirco dicebat, quod in optimam formam, vt ſibi cariſſimam Eccleſiam, redigere maximoperè cupiebat, & ad id abſoluendum dies totos elaborabat, vt quantum per eum fieri poſſet, omnia vitia extirparentur, virtutes introducerentur, & omnes abuſus prorſus tollerentur. Ita dici poteſt, eum, ob hanc iuriſdictionem, ac diœceſim, mortem opetijſſe, cùm continenter exagitaretur, ac calumnijs uexaretur ab ijs, qui ſpiritualia medicamenta ſumere obſtinato animo nolebant. Ipſe verò contrà, non referens iniuriam, ſed gratiam pro contumelia nunquam non ſoluebat. Et quamuis tot, tantiſq; rebus eius animus affligeretur, quem nullà in alios maleuolentia ſuffuſum; quinimmo non tàm magnum, & excelſum, quàm etiam apertum, & ſimplicem omnes intuebantur; tamen facere non poterat, quin eo magis mentem defatigaret; ita vt mortem negligeret, dummodo aſſiduis ſuis laboribus, hæc, & alia ſua ſcripta maturaret, ac perficeret, vt ea tibi cariſſimo ſuo Hero, ac patrono dedicaret, atq; conſecraret, & vnà cum his, niſi ita cito è vita diſceſſiſſet, ipſam Eccleſiam tibi concederet, & aſſignaret, tanquam ſatietate defeſſus, & qui ſibi animo propoſuerat in patriam ſe recipere, vt ibi in honeſto ocio, quietam vitam traduceret. Verum Deo Opt. Max. placuit eum præuenire, & ad æternam quietem in cœleſtem patriam reuocare, ac ibi affatim remunerare, & pro ſanctis laboribus, quos maximos pro Sancta Eccleſia, & Catholica fide libenter ſuſcepit, & pro ſuis multis, clariſſimiſq; virturibus, ea præmia tribuere, quæ eum decerent, quéue mundus hic inops ſuis meritis digna dare non poterat. Et quæ res vnquam glorioſior? O immenſam totius orbis terrarum calamitatem. O quam eius mors eſt deploranda, quæ cum inſperata, ac inopina fuerit, quàm multa amiſſa fuerunt, quæ vniuerſo orbi maximæ vtilitati fuiſſent. Quot ſcripta, & grauiora, & ſublimiora, & digniora incohata, ab eo confici non potuerunt? vt Hiſtoria diuina, Concionator, Homiliæ Latino ſermone conſcripta, Orationes, in Diuum Paulum, in Pſalmos, & in alias Sacrarum Litte-

rarum partes doctiſſimæ, ac ſanctiſſimæ explanationes, quibus manus extrema non acceſſit; præter innumeras alias conciones, quæ ab eo expectabantur; & ab eo fuerant promiſſa, quæ omnia, licèt modò ſint penè relicta, non tamen pœnitus oblita, aut extincta. Hos quidem libros nemo erit, cum eos legerit, qui non ſit egregiè probaturus. Non enim in eis ſcribendis, communis ordo, nec ea via, ac ratio, qua pleriq; noſtræ ætatis, (quamuis piè, inuiolatèq;) uſi fuerunt, ab eo adhibita fuit; ſed priſcos patres eſt imitatus, qui eloquenter, compoſitè, & ſumma dicendi copia, & arte concionantes ſummopere mouebant, docebant, & ad rectam viuendi rationem traducebant, miraq; delectatione hominum animos ad ſacra myſteria intelligenda, & omnia Chriſtianæ Religionis dogmata incredibili reuerentia complectenda compellebant. Cæterùm cum ego, qui ab ipſo CORNELIO altus, & educatus fui, quiq; optimè ſcirem (cùm ferè omnia mecum ipſe communicaret) quanto deſiderio teneretur, vt eius ſcripta ſub tuo potiſſimum nomine diuulgarentur, immenſos labores ſuſcepi, vt id, quod ipſe cupiebat ſedulò exequerer, vt quicquid potui perfecti, & propria eius manu exculti, ac perpoliti colligere, id feci, ac tibi præcipuè hæc ſcripta dedicare, ac conſecrare volui; quæ, te oro, atq; obſecro, vt eo animo, ac mente accipias, quo ab eo, ſi vixiſſet, libentiſſimè accæpiſſes; memoria recolens, quàm ille te amaret, coleret, & veneraretur, & quàm propenſo animo ipſe pro te, non ſolum ſcripta, ſed etiam propriam vitam profudiſſet. Tibi verò Ampliſſime Cardinalis velim, vt me, qui ei familiariſſimus fui, in tuorum domeſticorum numero, ob eius memoriam collocare, graue non ſit; qui quidem omni cura, & diligentia elaborabo, vt tuo ſtudio, tuoq; amore dignus eſſe videar. Vale. Venetijs IIII. Non. Martij. M D L X X I X.

DILECTIS

DILECTIS FILIIS IOANNI, ET IO: PAVLO IOLITIS DE FERRARIIS, Q. D. GABRIELIS,

Salutem, & Appoſtolicam Benedictionem.

GREGORIVS PP. XIII.

EXPONI NOBIS NVPER FECISTIS, QVOD uos libros, de Synodo Bitontina, ſeu Viſitatione, b. me: Cornelij Epiſcopi Bituntini, aut alias nuncupatos imprimere deſideratis: ſi uobis ad id noſtra licentia, ſuffragetur, & facultas: Quare nobis humiliter ſupplicari feciſtis, quatenus uobis ſuper hoc oportunè prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur: Nos igitur ſpecialibus fauoribus, & gratijs uos proſequi uolentes, huiusmodi ſupplicationibus inclinati, uobis prædictos libros de Viſitatione, ſeu aliâs nuncupatos lingua, ſiue Idiomate Latino ęditos, imprimere, ac in lucem. ad eruditionem fidelium ſtudioſorum ædere; ac impręſſos uenales tenere, ac uendere liberè, & licitè ualeatis. Appoſtolica auctoritate tenore pręſentium concedimus, & indulgemus. Mandantes propterea dilectis filijs noſtris, etiam de latere Legatis, Vicelegatis, ac locorum quorumcumq; Sanctæ Romanæ Eccleſię media tè, uel immediatè ſubiectorum Gubernatoribus, Superioribuſq;, Poteſtatibus, Locatenentibus, Iuſtitiarijs, alijſq; officialibus, & alijs ad quos quomodolibet pro tempore ſpectabit, quatenus uobis, & ue-

n.

ſtrum cuilibet, ac pro uobis agentibus, efficacis defenſionis pręſidio aſſiſtentes; faciant, ut eorum quilibet faciat uos, & ueſtrum quemlibet conceſſione, & indulto prędictis pacificè frui, & gaudere; non permittentes uos contra pręſentium tenorem per quoſcumq; etiam impręſſores moleſtari; ſeu uobis aliquod prçiudicium inferri. Impręſſoribus uerò Ditionis Temporalis Vniuerſę Sanctę Romanæ Eccleſię quibuſcunq;, quouis nomine nuncupatis, ne ſub indignationis, & quingentorum Ducatorum auri de Camera pœnis, audeant, ſeu præſumant, ſeu aliorum aliquis audeat, ſiue præſumat libros de Viſitatione huiuſmodi ad Decennium à data Præſentium computandum quoquomodo imprimere, ſtampare, aut impręſſos, ſeu ſtampatos uenales tenere, uendere, aut uobis aliquod prçiudicium propterea inferre, diſtrictè inhibemus; contradictores quoslibet, & Rebelles, eiuſdem pœnis expræſſis ſubijcientes: Non obſtantibus pręmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus, Priuilegijs quoq; indultis, & literis quibuſcunque Appoſtolicis conceſſis; ſtatutis etiam Iuramento confirmatione Appoſtolica roboratis: quibus omnibus etiam ſi de illis ſpecialis ſpecifica, & exprçſſa mentio habenda foret; illis aliâs in ſuo robore permanſuris; hac uice duntaxat ſpecialiter, & exprçſsè derogamus; cœteriſq; contrarijs quibuſcunq;. Dat, Romæ, apud Sanctum Petrum, ſub annulo Piſcatoris, Die XXVIII. Ianuarij. M. D. L X X I X. Pontificatus noſtri Anno ſeptimo.

Iulius Maximus.

H: Fuſcus.

INDEX SERMONVM, QVI IN SANCTA VISITATIONE HABITI SVNT,

ET EARVM RERVM, QVAE HABENTVR PRAECIPVA IN IPSIS SERMONIBVS.

SERMO Primus.	AD INDICENDAM in Sancta Synodo, pro generali populorum Bituntinenſium Reformatione, Epiſcopalem uiſitationem.	pag. 1
	Ordo, & ſeries totius Viſitationis.	11
SERMO ſecundus	Quod Reformatio ad interiorem hominem ſpectet præcipuè; & non hominum, ſed ipſius Dei iudicio examinanda, profundaquè ſit.	21
SERMO Tertius.	Aduerſus malas conſuetudines; dequè uirtute, & efficacia Diuinæ legis; ad omnes quantumuis inueteratos abuſus corrigendos, & reformandos.	38
	Canones eiuſdem ſermonis:	46
	Ad Claudendam Synodum, & publicandas conſtitutiones Synodales, pro reformatione Cleri, & populi Bituntini.	50

SERMONES QVATVOR DE LOCIS.

SERMO Primus.	DE Sacroſanctis Eccleſijs.	pag.	64
	Doctrina, & Canones ipſius Sermonis.	pag.	69
SERMO Secũdus.	De Diuinis Altaribus:	pag.	74
	Canones, & Doctrina eiuſdem Sermonis.	pag.	79
SERMO Tertius.	De Sacra cuſtodia Sanctiſsimi Sacramenti.	pag.	81
	Canones:	pag.	91
SERMO Quartus.	De Choro, & diſciplina Chori.	pag.	91
	Canones.	pag.	96

SERMONES

SERMONES QVATVOR DE REBVS.

SERMO	De uſu, & adminiſtratione Sacramentorum.	pag.	100
Primus.	Definitiones Sacramentorum.	pag.	106
	Canones generales ſacramentorum.	pag.	108
	De Baptiſmo Doctrina, & Canones.	pag.	109
	De Confirmatione Canones.	pag.	112
	De Euchariſtia Canones.	pag.	114
	De Pœnitentia Canones.	pag.	118
	De Extremæ Vnctionis Sacramento Canones.	pag.	123
	De Sacramento Ordinis Canones.	pag.	126
	Canones de Sacramento Matrimonij.	pag.	131
SERMO	De Sacris Reliquijs.	pag.	136
Secũdus.	Appendix de Sacris Reliquijs.	pag.	145
SERMO	De Sacris Veſtibus, & Vaſis.	pag.	152
Tertius.	Vaſa Sacra quæ.	pag.	177
	Inſtrumenta omnia, quibus ad facienda Sacra vtuntur Sacerdotes.		177
	Canones de Sacris Veſtibus, & Vaſis.	pag.	160
SERMO	De Beneficijs; & de eo quod dicitur: Propter officium datur beneficium.		164
Quartus.	Canones.		178

SERMONES DVODECIM DE MVNERIBVS.

SERMO	De diuino officio.	pag.	183
Primus.	Canones.		189
SERMO	De horis, quas Canonicas vocant.	pag.	194
Secũdus.	Canones.		198
SERMO	De Miſſa, & de Miſſarum Celebratione.	pag.	201
Tertius.	Canones.		206
SERMO 4	Decretum de Reductione Miſſarum, dequè pijs fidelium legatis.		214
SERMO	De Pſalmodia, & Cantu uniuerſæ Eccleſiæ.		222
Quintus.	Canones.		232
SERMO	De diebus feſtis.	pag.	236
Sextus.	Calendarium Eccleſiæ Bituntinæ.		242
	Canones.		248
SERMO	De Punctatoribus.	pag.	253
Septimus	Canones.		261
SERMO	De Ceremonijs Eccleſiaſticis.	pag.	263
Octauus.	Quæ inter ceremonias Eccleſiaſticas teneantur, & habeantur ab uniuerſis Eccleſijs.	pag.	267
	Canones.		270
	De Thurificatione, dequè oſculo Pacis, & Euangelii.		272
	Epilogus totius doctrinæ Ceremonialis.		[illegible]
SERMO	De publicis, & ſolemnibus Benedictionibus, dequè ipſa benedicendi auctoritate, & Iuriſdictione.	pag.	275
Nonus.	Canones.		285
SERMO	De Litanijs, & Proceſſionibus.	pag.	287
Decimus.	Canones:		291
	Præces in proceſſionibus, pro ſociali fœdere ſummorum Principum, poſt communes Lita-		

	nes Litanias adiectis, & orationibus.		293
	Præces in proceſſionibus poſt Litanias, adiectis orationibus pro naualli bellis Victoria ad Echinades.		296
	Præces in proceſſionibus ad Natalitium Diem filij Sereniſſimi, & Illuſtriſſimi Regis Filippi.	pag.	299
SERMO Vndecimus.	De rationibus ſumptuarijs Capituli, deque ipſa menſæ Capitularis Æconomia.		301
	Canones.		305
	Leges ſumptuariæ.	pag.	313
SERMO Duodecimus.	De foro Epiſcopali; deque ratione, & adminiſtratione ſimul Epiſcopalis Iuriſdictionis.	pag.	315
	Canones, & Doctrina de modo iudicandi, & de pœnis.	pag.	322
	SERMONES SEPTEM DE PERSONIS.		
SERMO Primus.	De Vita, & honeſtate Clericorum.	pag.	377
	Biblioteca Clericorum qualis eſſe debeat.	pag.	335
	Canones.		337
SERMO Secũdus.	De Canonicis.	pag.	344
	Canones.		349
SERMO Tertius.	De Præpoſitis, qui Parochi, Plebani, & Curati dicuntur.	pag.	351
	Canones:		360
	Præcepta Eccleſiæ.	pag.	362
SERMO Quartus.	De Monachis.	pag.	364
	Canones.		367
SERMO Quintus.	De Monialibus.		369
	Canones.		371
	Meditationes Monialium, quales eſſe debeant.	pag.	374
SERMO Sextus.	De ſocietatibus.	pag.	376
	Canones.		388
SERMO Septimus	De Predicatoribus.	pag.	391
	Canones.		392
SERMO	De Teſtamentis.		395
SERMO	De Sepulturis.		397
DECRETVM.	De non detinendis, aut uſurpandis Eccleſiarum, & piorum locorum rebus, deque Eccleſiaſtica Iuriſdictione perpetuò conſeruanda.		399

FINIS INDEX.


INGE NIO
ET LIN GVA
F. CORNELIVS MVSSVS. PLA.
EPISCOPVS BITONTINVS.

SERMO PRIMVS
AD INDICENDAM
IN SANCTA SYNODO,
PRO GENERALI POPVLORVM BOTVNtinenſium reformatione; Epiſcopalem Viſitationem.

ECCE IAM TANDEM, DILECTISSIMI *in* CHRISTO *Fratres, poſt tot, & tantas remoras, poſt tàm multa, & magna auocamenta, propitio Deo, per* IESVM CHRISTVM, *Synodum agimus, conuentum facimus, idq; menſe (ut Canones Apoſtolici dicunt)* ὑπερβερεταίῳ, *menſe, (vt Diuus Hieronymus loquitur) ſacerdotali, quo, peracta poſt omne ſpicilegium, vniuerſa racematione, ad ſuſtentandam vitam miniſtrorum Dei, magna olim religione, decimæ, primitiæq; omnes, inferebantur in templum: Idem enim Orientalibus populis, perinde ac Iapigiæ noſtræ, is, qui nunc elapſus eſt, primus erat in menſibus anni; quum ipſis Romanis, quibus, Mars pater, à ſuo ipſius menſe Martio, annum auſpicabatur, numero octauus eſſet; vnde October, in lingua Latina nomen accepit. Tempus eſt igitur, vt ipſe ego, qui, iam diù deſyderio deſyderaui, qui diem iſtam expectans expectaui; aliquem tandem fructum in vobis habeam; aliquid inquàm vobis impartiar gratiæ ſpiritalis; quo, in ſancto hoc cætu, & viſitantes, & viſitati, mutuò conſolari ualeamus, per eam, quæ inuicem eſt, charitatem veſtram, atq; meam. Clementiſſime Deus, ſanctarum uiſitator animarum, qui vniuerſum orbem terræ; oriens ex alto, ſe-*

mel viſitaſti; qui, quotidie, memor noſtri, in beneplacito voluntatis tuæ, viſitas nos in ſalutari tuo, vt viſitatio tua in pace cuſtodiat ſpiritus noſtros: Maieſtati tuæ, gratias agimus, dona libamus; poſtquàm te aſpirante, cui omnia ſeruiunt tempora; hodie datum eſt, vt in hac amabili, & venerabili Synodo, de viſitandis, regendis, curandisq́ ouibus gregis tui, facie ad faciem loqui valeamus, ſicut loqui ſolet amicus cum amicis, ſicut loqui ſolet pater cum filijs. Tu Deus miſericordiarum, Deus totius conſolationis, qui nullius pia vota diſsimulas, qui nullius caſtas preces negligis, vt in laudibus pietatis tuæ, nos omnes, quantuli ſumus, nunquàm exultare, & iubilare ceſſemus; da huic Sanctæ Synodo, vt non tàm cum authoritate, & cum potentia, ſuperbè imperare cupiamus, quàm cum omni charitate, & manſuetudine ſpiritus, tuum hunc magnum, & penè innumerabilem gregem, quem nobis credere voluiſti; amanter viſere, reuiſereq́ incipiamus; &, hoc ipſo initio, per exempla bonorum operum, confirmemus id, quod in puſillo hoc grege, infirmum, facilè ſcandala patitur; per ſynceritatem Catholicæ doctrinæ, ſanemus, quod in fide ægrotum eſt, & morti iam proximum; quod confractum eſt per ſchismata, ad radicem charitatis, in qua omnia viuunt, ſalubriter alligemus; Reducamus per manſuetudinem, & miſericordiam, id quod à Prædeceſſoribus noſtris, aut etiam à nobis per authoritatem Eccleſiaſticæ ſeueritatis & diſciplinæ, interdicto, anathemate, cenſura, abiectum fuit, vel proiectum. Et deniquè, etiam illud, quod per obſtinationem, & deſperationem, ex toto videtur ferè perditum coràm oculis Dei, magna cum fide, & diligentia requiramus; Si fortè, domino ex Basân conuertente, conuertatur, & pro iuſta maledictione conſequatur gratuitam benedictionem; ut, quum tandem in fine ſæculi venerit filius tuus, Princeps paſtorum, percipiamus ab eo immarceſcibilem gloriæ coronam. Equidem ſcio, amantiſsimi greges, & Paſtores, dilectis Dei, vocati ſancti, ſuperbam illam Ægyptum, quæ ſibi temerè omnium ſcientiarum inuentionem arrogabat, oblita per ingrati animi crimen, Abrahæ patris credentium, ex cuius fontibus arentes illos ſuos hortulos, Mercurius Trimegiſtus irrigauit, ab initio odiſſe omnes paſtores ouium; vt quæ omnium rerum ſatura, prolapſa ad delicias, & per falſos, quos colebat Deos, incenſa ad omne facinus, prorſus abhorrebat à ſimplicitate, & innocentia vitæ paſtoralis. Sed tamen ſcio, vos non ignorare, & Moſen domitorem Ægypti, tot annos paniſſe oues; & CHRISTVM IESVM, cui Moſes famulabatur, ſe ipſum, atq́ etiam Vicarios ſuos, vocaſſe Paſtores ouium, Diſcipulos enim ſuos vocabat oues. Itaq́, ſi quis interroget nos, qui in veſtibus albis hic ſedemus, Qui nam eſtis? Quid habetis operis? Illud ipſum, multò confidentius reſpondebimus, quod dixerunt Patres illi noſtri, ad Pharaonem Regem Ægyptiorum; Paſtores ouium ſumus, nos omnes ſerui tui,

& patres

& patres noſtri, & filij noſtri: Et nunc, congregati in vnum, conſilium inimus ad viſendas, & reuiſendas, paſcendas, recreandas, medicandas, & ſanandas, palantes oues huius gregis; huius inquàm magni gregis; qui pridem in pagos diſperſus, diuina iàm diu miſericordia, vno ſpiritu, & vna charitate, coagmentatus, coaluit in unam hanc regiam Ciuitatem; Cui à bonitate agri, Botuntum nomen eſt; per inde ac ipſi ſtudiorum parenti Felſinæ, Bononia. (Quanta huius Ciuitatulæ fælicitas, vt, altera Bononia, quæ eſt noua Roma, ſingulari propemodum Dei gratia, vocari poſſit) Idem eſt enim totum, & omne, atquè ideò, & parum diſtare videntur, Bona omnia; & Bonum totum. Veritatem diſſimulare non poſſumus Fratres, Vbi oues, ibi Paſtor; vbi Paſtor, ibi oues; Et vt non poſſunt eſſe oues ſine Paſtore, ſic, non debet paſtor eſſe procul ab ouibus. Salus gregis ex paſtore; Dignitas paſtoris ex grege. Hinc illa Comminatio. O Paſtor, & idolum, derelinquens gregem. Et illa admonitio. Attendite vobis, & vniuerſo gregi, in quo vos poſuit Spiritus Sanctus, Epiſcopos, regere Eccleſiam, quam acquiſiuit Dominus ſanguine ſuo. Ego verò (vt de me loquar) in omni vita, nihil vnquàm aliud didici, quàm viuere cum paſtoribus, colere caſas, & antra paſtoralia, audire cantus paſtorales, induere pelles paſtorias, ſequi regna paſtorum, & vitam paſtoritiam. Principes gentium gaudebant, dum vocarentur Accipitres, Leones, Aquilæ; Nos, qui Sacerdotes poſiti ſumus, venationem odimus, paſtionem diligimus, paſtores ouium ſumus. Habet venatio neſcio quid ſimile belli, pacificum regnum, ſimile eſt paſtioni. Non poteſt eſſe venator, qui non ſit hoſtis ferarum; Non poteſt eſſe paſtor, qui non ſit amicus ouium; Venatio eſt ad mortem; Paſtio eſt ad vitam; Eſaù venator erat; Iacob paſcebat oues. Porrò oraculum notum eſt. Iacob dilexi, Eſaù odio habui. Ecquàm ſimilis eſt paſtor patri, & pater paſtori? Nam, & boni Reges cupiebant appellari paſtores, haberi inquàm, non tàm Domini populorum, quàm patres. Hic porrò eſt titulus Epiſcoporum. An non legiſtis, quàm gauderet hoc dulciſſimo, & chariſſimo cognomine Patris, D. Paulus Apoſtolus? Multos pædagogos (inquit) habuiſtis, ſed non multos patres. Congregamini, Congregamini filij Iacob, Congregamini inquàm, & audite Iſrael patrem veſtrum. Ego ſum pater veſter, qui iam tùm ab initio, Eccleſiaſticis Synodis, vos genui, qui multùm, diuque ſynodicis Conſtitutionibus vos alui. Ego, Ego ſum, & mater veſtra, quæ quotidiè pro uobis morior, dum vos parturio, vt aliquandò tandem pariam, patienter ferens, & nihil non agens, vt formetur CHRISTVS in vobis; Formetur inquàm, Confirmetur, & reformetur; Formetur ad rectam fidei intelligentiam in ſimplicioribus; per reſipiſcentiam, reformetur in lapſis; & ad perſeuerantiam; Confirmetur in omnibus. Hic planè eſt finis viſitationis Epiſco-

palis, præparare populum Dei ad vltimam illam viſitationem CHRISTI IESV, *qui & ipſe Epiſcopus eſt, & Paſtor animarum noſtrarum. Gaudeamus, & exultemus, poſtquàm Dominus noſter* IESVS CHRISTVS, *dignatus eſt facere nos ſuos cooperatores, dicam Græcè* συνεργους. *Clerici ſunt adiutores Diaconorum, Diaconi Præsbiterorum, Præsbiteri ſunt adiutores noſtri, at verò, & ſinguli, & omnes ſumus adiutores Dei. Magna dignitas, ſed magna difficultas. Populi noſtri nihil aſpiciunt in Epiſcopo, niſi id quod vident oculis, illud inquàm quod in ſua ipſius eminentia, aliquid habet, quod in admirationem traducat, & in inuidiam uocet aſpicientes. Nimirum, quòd Epiſcopus eſt caput Sacerdotij, quòd ſedet in ſublimi, quòd Clericos ordinat, deponit, ſuſpendit, interdicit, excommunicat, quòd inſtituit omnes docendo, quòd dedicat Dei miniſtros per benedictionem, per unctionem, per conſecrationem, per manus impoſitionem, quòd incedit ornatus ornatu ferè Perſico, Alba, torque, baltheo, caput tiara, pedes ſandalijs, pectus Rationali, frontem Cruce, manus annulis, & virga, non tàm nomine; paſtorali, quàm verè regia; quòd conficit ſacros liquores, quòd edicit leges, & iura, quòd celebrat Synodos, quòd corrigit populum, quòd monet etiam ſummos Reges, quòd concedit indulgentias, quòd vocatur Dei vicarius, atquè ideò honoratur his titulis. Reuerendiſsimus, Sanctiſsimus, Sereniſsimus. Itaquè, quum huc erigunt oculos, oculos parum iuſtos, oculos aliorum bonis ſemper liuentes, beatum dicunt, cui hæc ſunt, beatum inquàm dicunt Epiſcopum, cui hæc ſunt. O ſi ſcires, quæ intrinſecus latent, ſi ſcires, plebs ſancta Dei, ſub hac luce, quantam noctem, ſub his bonis, quanta mala? Nolite me vocare Noemi, dicebat pulcherrima illa puella, ſed vocate me Mara, quia amaritudine repleta ſum. Quæſo vos filij, & fratres mei, ne uocate Epiſcopum alio nomine, quàm virum dolorum, & ſcientem infirmitatem, percuſſum à Deo, & humiliatum. Qui ſi munus ſuum coràm Deo implere velit, ne momentum quidem habet, quo ſibi viuat. Vobis, vobis viuit Epiſcopus, non ſibi, ſibi ſæpè oſcitat, & dormitat, in ſuis rebus tardus, & cunctator; Vobis, ſemper vigilat, excubat, laborat, intendit, ſuperintendit, etiam tuta timet, vos ſomniat, vos ſuſpirat, ambit, cogitat, cupit, quærit, vos meditatur, vos loquitur, in vobis delectatur, vos ſequitur, vobis in Domino nunquàm ſegnis, nunquàm lentus, fruitur, reficitur, recreatur; Reddit poſcentibus rationem ſuæ ipſius fidei, exhortatur in doctrina ſana, contradicentes reuincit, ſeruat depoſitum paternæ traditionis, & ne latum quidem unguem diſcedit à forma ſanorum verborum, contentioſos reprehendit, dubitantes confirmat, hæreticos prodit, & arcet, hæreſes eliminat, enecat, exterminat; Monita quidem uitæ habere poteſtis à Sacerdotibus, & à Diaconibus ordinem diſciplinæ; at non hauritur aqua ſapientiæ*

ſalutaris,

ſalutaris, fides inquàm, & intelligentia fidei, niſi à fontibus Epiſcoporum. Et quando non prælíatur prælia Domini Epiſcopus? Corripit inquietos, conſolatur puſillanimes, ſuſcipit infirmos, patiens eſt ad omnes, incipientes prouehit, animat puſillos, ſuperbos terret, blaſphemos tradit Satanæ, fornicatoribus, indicit exilium à Regno Dei. Dicite iàm, quanta bella, quantas ſeditiones, & coniurationes aduerſus ſe ipſum ſuſcitat, & accendit; Principum, populorum, plebium, Clericorum, ſingulorum, & omnium. An non eſt verum Acroâma illud in populis, omne crimen ſuper Epiſcopum? omne crimen ſuper Epiſcopum? *omne crimē ſup epi* Ob id zelat, vritur, dolet, timet, turbatur, ſollicitatur, indignatur, infirmatur, in furorem vertitur; piè ſæuiens, nemini parcit, neminem diſſimulat, in matutino interficit omnes peccatores terræ, maturè curans, ne malitia eorum, ſerpat in alios, ſancto odio illos ſequens, inſequens, perſequens, & non conuertitur, donec deficiant, ità vt non ſint, non ut non ſint homines, ſed vt non ſint iniqui homines. Hinc illæ voces. Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis ſcandalizatur, & ego non vror? Inſtantia mea quotidiana omnium Eccleſiarum, Qui præeſt in ſolicitudine. Timeo, ne humiliet me Deus, vt lugeam multos ex his, qui peccauerunt. Hæ omnes ſunt voces Epiſcopi, Fratres, & illæ quoquè ſimiles; Omnibus omnia factus ſum, vt omnes lucrifacerem; Domine, aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro tuo. Optabam anathema eſſe à Chriſto, pro fratribus meis. Libenter impendam, & ſuper impendar ego ipſe pro animabus veſtris. Ite, ite modò vos, & inuidete Epiſcopo, & vocate Epiſcopum beatum, quo nemo in mundo miſerior, ſi non eſtis ipſi ſomnio beati. Qui me ad Epiſcopatus ordinum intelligitis perueniſſe, dixit bonus ille Epiſcopus ad *Dictū epi ad amicum* amicos. Si me diligitis, plangite, quia tantis anguſtijs, & occupationibus premor, vt per Epiſcopalia negotia, penè etiam à contemplatione Dei, & diuinarum rerum, & ab illo guſtu, quem aliquando ſuo ipſius munere ſentiebam, me videam eſſe ſeparatum. Ecquàm magno iure in primitiua Eccleſia, Epiſcopus quærebatur cogendus, rogatus fugiebat, inuitatus diſcedebat, vt nemo ferè *epi inuiti ordinabātur* dignus ſe arbitraretur Epiſcopatu, qui non fuiſſet ordinatus inuitus; Qui Epiſcopatum deſyderat (inquit Apoſtolus) bonum opus deſyderat, ſed vtinam ille ſciat, quid deſyderet. Eſt enim Epiſcopatus, & res, & nomen operis; Et cuius operis? Operis non tàm vrbanæ exercitationis, quàm ruſticani ſudoris, nimirum agricolationis, iuxta verbum Domini ad Hieremiam, quem in typum Epiſcopi Sacerdotem, ex Sacerdotibus, ſanctificatum porrò ſupra cæteros, conſtitueret ſuper gentes, & regna, vt euelleret, vt deſtrueret, vt diſſiparet, diſperderet, ædificaret, plantaret; Ecquanta materia laboris? Ecquantus labor Epiſcopi, ad euellendam è cordibus malam illam, heù nimium veterem, altèquè defixam ſcelerum omnium radicem φιλαυτίαν, hoc eſt amorem proprium; ad deſtruendum turrem Babelis ſuperbiam; ad diſſipandas per inania, varias, & pe-

regrinas hæreticorum doctrinas; ad diſperdendas iniquorum hominum prauas ſocietates; ad rectam fidem ædificandam, & altè plantandam ſynceram, ac mutuam charitatem. Sed vos fortaſſe in munere Epiſcopali, non tàm delectat videre rura, quàm paſcua; Teſtis igitur ſit vobis Iacob, quàm dura ſit vita paſtoralis, atquè adeò Epiſcopalis. Viginti annis fui tecum, oues tuæ, & capræ ſterilles non fuerunt, Arietes gregis tui non comedi, nec captum à beſtia oſtendi tibi, Ego damnum omne reddebam, Quicquid furto perierat, à me exigebas, diu, noctuquè, æſtu vrgebar, & gelu, fugiebatquè ſomnus ab oculis meis. Non explicabo latius myſterium, per interpretationem Symbolicæ Theologiæ. Nam, quis non videt ac ipſa ætate noſtra, in cura dominici gregis, Agnorum, Ouium, Arietum; Quis inquàm non videt vigilias, anguſtias, preſſuras, erumnas paſtorum ſpiritualium? ipſorum inquàm Epiſcoporum? Graſſantur hæreſes, ad examen vocantur Epiſcopi; Mores corrumpuntur, notantur Epiſcopi; Periculum eſt ne rumpatur rhete per ſchiſmata, orant, & huc, illucquè diſcurrunt Epiſcopi; Abundat iniquitas, quia refrigeſcit charitas; Reſident, & vigilant Epiſcopi; imminuitur Eccleſiaſtica libertas, qui homines tàm ægro animo ferunt, quàm Epiſcopi? Quærite, requirite, voluite, reuoluite ſacras litteras. Hæc eſt vita Epiſcopi, & hæc eſt definitio muneris Epiſcopalis. Labor, Dolor, Zelus, Metus, Odium ſui, amor populi; Obliuio noſtri; Cura veſtri; Sollicitudo in rebus alienis, & negligentia in proprijs. Iuxta hanc igitur definitionem (cuſtodi hanc voluntatem, precor Domine Deus) viſitationem hanc ſanctam aggrediemur. Viſitationem non venatoriam, non regiam, ſed paſtoralem, ſed paternam, amicam, medicam, gratam, iucundam. Non quærimus quæ veſtra ſunt, Fratres, Filij, Amici, Socij, non quærimus inquàm quæ ueſtra ſunt, ſed vos, ſed vos; Non venimus mactare, ſed ſaluare; Viſitator non vult vlciſci; ſed placare. Non erit rigiditati locus, ſed vbi abundabit delictum, ſuperabundabit & gratia. Sanè, & prima illa humani generis viſitatio per CHRISTVM IESVM *nihil habuit non mite, non placidum. Non enim diſtinxit inter homines, quaſi inter oues, & hædos, vt illos ſaluaret, hos mactaret; Omnes quin potius amanter ſuſcepit* CHRISTVS IESVS, *vt omnium miſereretur primo illo tempore, non tàm Iudex, quàm Saluator. Ob id non clamabat, nequè audiebatur vox eius foris, calamum quaſſatum non contriuit, & lignum fumigans non extinxit; nimirum ſuper quem deſcenderat, & manſerat, in columbæ ſpecie, Spiritus Sanctus, de quo ſcriptum eſt. O quam bonus, & ſuauis eſt ſpiritus tuus Domine. Et iterum, Spiritus meus ſuper mel dulcis. Adeſtote igitur læti, & alacres huic ſancto operi, quod molimur, quotquot hac ipſa die, in hæc ſancta adyta conueniſtis, fauete, opem ferte. Non eſt hic opus pecunijs veſtris, opus eſt paratis ad obediendum communibus animis; Opus eſt, vt veniatis obuiàm paſtoribus, ſicut Laban obuiare voluerat ipſi Iacob*

cob, cum plauſu, & iubilo, cum exultatione, & canticis, cum tympanis, & citharis, cum omni inquàm lætitia animorum veſtrorum. O quale gaudium erit nobis, O quanta vtilitas erit vobis. Confidite, iterum dico, confidite: Eſtote bono animo, in ſancta hac viſitatione non ſequemur placita noſtra, ſenſus noſtros, opiniones noſtras, ne quiſpiam dicat, Quis eſt filius Iſai? Quis eſt Dauid? inhærebimus quin potius vbiquè, & ſemper œcumenico, & ſacro ſancto Concilio generali, quo Spiritus Sanctus, vniuerſum orbem terræ, & amanter viſitauit, & ſapienter reformauit. Illi inquàm concilio auſcultabimus fratres, quod velut omnium conciliorum generalium, in fide, & in moribus; tota vis, & medulla, per omnes terras vbicunquè cum laude nominatur CHRISTVS, ſumma cum reuerentia, more, lege, imperio, plaudentibus omnibus bonis, ſuſcipitur, colitur, obſeruatur, iam diù ad Tridentinos ſaltus, Italiæ, & Germaniæ notiſſimos confines, ſub tribus Summus Pontificibus, Paulo, Iulio, & Pio, & ſub duobus Imperatoribus; Carolo, & Ferdinando, cum innumerabili Angelorum, hoc eſt Epiſcoporum frequentia celebratum, Romæ tandem per duos ſibi ſuccedentes, re, & nomine Pios, accepto Apoſtolicæ confirmationis robore, ab optimis quibuſquè Regis vnanimi conſenſu, præcipuè uerò ab Inuictiſſimo Philippo Catholicæ fidei, non magis titulo, quàm re ipſa, fortiſſimo propugnatore, humiliter, & religioſè exceptum, probatum, laudatum. Sed iam tempus eſt, vt ad Epiſcopale opus accingemur, nequè enim tàm vocati ſumus ad dicendum, quàm ad faciendum; nimirum Eccleſiæ Sanctæ Dei Aratores, non Oratores. Tempus faciendi Fratres, Tempus faciendi, & benefaciendi. Quanquàm in omni uita noſtra, cur viuimus, & cur nati ſumus, & cur in CHRISTVM credimus, dicam & audacter cur ab ipſo CHRISTO, & Deo Patre, per Spiritum Sanctum, electi, & vocati, & iuſtificati ſumus, niſi vt benefaciamus? Ita eſt, Ita eſt, Ab omnibus, in omnibus, & per omnia inuitamur, vt benè operemur proximè, & ſecundum Deum; Bona opera ſunt, ferè finis omnium eorum, quæ Chriſtiana Religione continentur. Doctrinæ inquàm, Fidei, Sacramentorum, & Charitatis fraternæ; his enim tribus quaſi capitibus conſtat, his tribus quaſi funiculis conſtringitur. Sanè Doctrina tanquàm pane cœleſti viuimus, ſacramentorum ſecreta, ſacraquè virtute, Deo reconciliamur in gratiam; charitate, uelut nota præcipua CHRISTVS dignoſci ſuos voluit à cæteris; quæ illud eſt fidei, quod lux coloribus, illud eſt ſacramentis, quod ſanitas medicinæ. Certè uerò de morte CHRISTI, unde, & doctrina robur accepit, & ſacramenta confecta ſunt, & charitas diffuſa eſt in totum Eccleſiæ corpus, Tuba illa cœleſtis Pauli clamat: Tradidit ſemetipſum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret ſibi populum acceptabilem ſectatorem bonorum operum. De Iuſtificatione, extat illud. Ipſius factura ſumus creati in operibus bonis, vt in illis ambulemus. De vocatione, parabola nota eſt. Exijt Paterfamilias conducere ope-

rarios in vineam ſuam. De Electione, verbum CHRISTI *nemo neſcit. Ego elegi vos, vt fructum afferatis; Tandem de Glorificatione, non ne ſcriptum eſt. Voca operarios, & redde illis mercedem? Quid, quòd & Doctrina Euangelica tota huc tendit, vt audiamus, & exaudiamus verbum illud. Operamini, non cibum, qui perit, ſed qui permanet in vitam æternam. Vnde & fides interdum appellatur opus, quum alioquin diſtinguatur contra opera; ſic enim habetur in Euangelio Ioannis. Hoc eſt opus Dei, vt credatis eum, quem miſit ille. Sed & ipſa diuina Gratia ſacramentorum omnium virtus, & medulla, non ne datur tanquam talentum, vt operemur in ea, & ex ea? Hinc illud. Hortamur vos, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. Denique ipſa Scriptura Sacra, cur diuinitus inſpirata, & tradita eſt, niſi; vt perfectus ſit homo Dei ad omne opus bonum inſtructus? Sic enim ſcribit Apoſtolus ad Thimotheum. Et ipſa fides, non ne ſine operibus mortua eſt? Et de ipſa charitate, quæ eſt tota operoſa, loquens Apoſtolus, non ne dixit. Diligamus non verbo, neque ore, ſed opere, & veritate? Itaque, & hæc Sancta Synodus (vt concludam) congregata in Spiritu Sancto, qui totus energia eſt, & efficacitas ipſa, fouens propterea aquas cogitationum, & deſyderiorum noſtrorum, ne pereſluant tanquam inanes, hoc unum molitur, vt auocet à malis operibus, vt reuocet ad ſtudium bonorum operum? Dicitur quidem nobis, ſingulari quadam ratione, quia conſtituti ſumus paſtores, & duces populorum. Luceat lumen veſtrum coràm hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum, qui in cælis eſt. Sed tamen, quoniam vnuſquiſque fidelis, membrum* CHRISTI *eſt, ad omnes, & ad ſingulos, illud pertinet, quod in capite libri, in principio Pſalmorum ſcriptum eſt de ipſo* CHRISTO. *Et erit tanquam lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo. Hinc ſententia illa tanta ſeueritatis. Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Nolite errare Fratres, Nolite errare Filij, Deus non irridetur, neque patitur irriſores, ſed è Cœlis irridet, & ſubſannat eos. Hodiè Spiritui Sancto ſacra fecimus, Fœlix certè principium, & multarum frugum magnæ primitiæ; ſed ſtudendum eſt, vt quæ agenda ſunt, non ſint indigna Spiritu Sancto.*

piritus sanct virtutes *Spiritus Sanctus ſimplex eſt, purus, apertus, inſcius fraudum, cuius propterea ſacrum Symbolum, eſt placida, imbellis, & ſine felle columba, atque ideo quid mirum, ſi effugit hypocritas, quorum labia doloſa, qui ambulant duabus vijs, qui duplici ſunt corde, qui dicunt, & non faciunt, quorum ſermones molliti ſunt ſuper oleum, & ipſi ſunt iacula? An non legiſtis; Spiritus diſciplinæ effugiet fictum, & cum ſimplicibus ſermocinatio eius? Eſt mundus, & ex toto incoinquinatus, eſt operoſus, ſemper agens, omnium artifex, eſt benignus, beneuolus, mitis, eſt verax, ſubtilis, diſertus, Eſt ſupramundanus, ſeptiformis, denique eſt Spiritus Sanctus, vt poté ἅγιος ἄνευ τῆς γαίας, ἄνευ τοῦ ἄγους, ſine terra, ſine ſcelere;*

nimirum,

nimirum quo & terreni, cœleſtes efficiuntur; & peccatores ſanctificantur. Veh igitur nobis, ſi carnales, mundani, mendaces, craſſi, immites, iracundi, maleuoli, Oſores, deſideſq;, & inertes, Spiritum Sanctum (ut eſt in ſcripturis ſacris) ad iracundiam prouocauerimus, contriſtauerimus, afflixerimus, blaſphemauerimus, contumelia affecerimus, extinxerimus. Num obliti eſtis locorum? Afflixerunt Spiritum Sanctum eius: Nolite contriſtare Spiritum Sanctum; Qui blaſphemauerit Spiritum Sanctū, ſpiritui gratiæ contumeliam fecerit; Uos ſemper ſpiritui Sancto reſtitiſtis; ſpiritum nolite extinguere, Spiritum ueritatis, quem mundus non poteſt accipere. Heu Fratres, heu quanta inter populos noſtros annis retroactis uiuebatur ſecuritate? blandiebantur ſibi omnes; Nunquid non eſt Dominus in medio noſtri? nunquid uenient ſuper nos mala? Templum Domini, Templum Domini. Et ſpiritus Sanctus quidem eos uocabat, ſed illi renuebant; ille extendebat manum, ſed illi deſpiciebant; Ille ſeruare nitebatur, ſed illi perire uolebant. O furor furorum omnium nouiſſimus. Sic multiplicata ſunt peccata ſuper arenam maris, impletum eſt illud: Appone iniquitatem, ſuper iniquitatem; & illud: Sanguis ſanguinem tetigit; & illud. Qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc. Hinc ergo tanta illa indignatio; tanta illa ira, tantus ille furor Dei aduerſus nos, quos olim non dicam diligere, ſed amare, ſed deperire uidebatur; tanquam hæreditatem ſuam, tanquam peculium ſuum, tanquam pupillam oculi ſui. Vere dicere poteſt Eccleſia, hac noſtra ætate. In me tranſierunt iræ tuæ; Omnes fluctus tuos induxiſti ſuper me; Indignatio tua ebibit ſpiritum meum. Indicauit Deus, Indicauit, ſe amplius à noſtro ſæculo nolle contemni. Paſſi ſumus inteſtina bella, ingentes terrarum concuſſiones, innumerabiles acies locuſtarum, fluuiorum prodigioſas inundationes, direptiones urbis, & orbis, ut ad hæc, uelut ad cœleſtia tonitrua Chriſtiani aures erigerent, & reſipiſcerent; Illi uerò percuſſi ſunt, & non doluerunt; attriti ſunt, & non ſunt confuſi; indurauerunt faciem ſuam ſupra petram, uiſi tanquam Æthyopes ad prolabentis Nili ſtrepitum obſurdeſcere. Eccè igitur nunc in Italiæ noſtræ faucibus, Sennacheribbum iſtum, fulmen, & terriculamentum orbis, terra, mariq;, tanto animo, tantis uiribus CHRISTI regna aggredientem; ut poſtquàm ad orientem ſolem nihil ferè supereſt, quod rapiat: omnia enim illic ei obediunt, iam ad nos conuerſis unguibus rapaciſſimis, Occidentalis Eccleſiæ particulam, quæ tenui propè filo pendere uidetur, diuino auſpicio (auerte omen O pia Dei genitrix) diruat, deijciat, demoliatur; Et nos quidem concita mundo pericula uidemus, ad defenſionem militem inſtruimus, pecunias aggregamus, neruos omnes adhibemus, claſſes paramus; In claſſem cadit omne nemus; Sed O Ridendos auſus, O ſpes inanes, O cæca conſilia, O ſine robore uires, ubi non adeſt nomen, & omen CHRISTI Ieſu. Itaq; ante omnia placandus eſt Deus, quia ſicut Deo propitio cuncta proſperè eueniebant; Ita timendum eſt, ne Deo irato, omnia cedant in aduerſum. Nonne uerò uidetis, per

tis, per

tis, per uniuerſum Chriſtianum orbem, cuncta ciuilibus odijs diſſipata? perturbata factionibus, hæreſibus polluta? Adde & ignauis, perditisq́ conſilijs, contaminata, & penè perdita. Sed, quid tandem, indicat hic tantus ſtupor, & hebetudo animi, hæc tanta remiſſio, ſecordia, uecordia, quæ inuaſit principes noſtros? niſi quòd alienati ſumus à Deo, qui olim erat ſpes noſtra, & fortitudo noſtra; atq; ideò ipſe alienatus eſt à nobis, & iuxta Prophetam, dedit nobis cor pauidum, ut fugiamus ad ſonitum filij uolantis. Quos non amat Deus, ijs mentem, & conſilium adimit, Fratres mei; traditq́ etiam in reprobum ſenſum, ut uidentes non uideant, ut intelligentes non intelligant. Et putatis nos, ſi Deus eſſet nobiſcum, deficerent nobis aduerſus Philyſteos iſtos, fortiſſimi Sanſones, Gedeônes, Dauides, qui pro nobis bella mouerent, ſuſciperent, gererent, conficerent? Audebo dicere in inſipientia mea Dilectiſſimi, Tyrannus ipſe Turcarum, ne in Bizantij quidem litoribus, ne in Edita illa arce Regum, tutus eſſet à nobis; haberet & domi proditores, & percuſſores in Caſtris, & in pugna transfugas, & deſertores; atq; ideò, ſine cæde, ſine ſanguine, tanquàm Dei milites uinceremus; neque enim plus obſiſteret Philippo Selimus, quàm obſtiterit uel Alexandro Darius, uel Iudæ Machabeo Antiochus. At uerò, Deo nos iuſtè, heu nimium iuſtè deſerente, ipſi uix ſurſum oculos erigere, & ſpiritum liberioris cæli haurire poſſumus; ille uerò, quotidiè ſurgit maior, & audacior, natura inſolens, origine barbarus, crudelitate terribilis, victorijs ferox. Quo digreſſi ſumus Fratres? & vnde? Quæsò indulgete dolori; Et pro Principibus noſtris, qui rerum potiuntur, qui fortaſſe hæc quæ ipſi dolemus, intelligunt quidem, ſed non ſentiunt, atquè ideò negligunt; Orate, ut Deus aperiat eorum aures, ne aliquandò uocati, ut ad ſermonem illum viuum, & efficacem, tantæ oſcitantiæ, & pernicioſæ negligentiæ, rationem reddant, obmuteſcere cogantur: Intereà verò, ipſi nobis, & noſtræ ueſtræq́ ſaluti, quandò publicæ incolumitati non poſſumus, conſulamus. Non eſt certè Eccleſia extra Eccleſias, non eſt populus extra populos, ſicut extra homines non eſt homo, neque extra animalia, animal. Animal enim uniuerſale, uel nihil eſt, vel poſterius eſt. Itaquè ſi quiſquè ſibi rectè conſuluerit, toti Chriſtiano orbi rectè conſultum erit. Sed hora iam interpellare uidetur, neque uerò profectò importunè; multa enim agenda reſtant, & neceſſe eſt partiri horas curis, & curas horis.

ORDO, ET SERIES TOTIVS VISITATIONIS.

ECCE VOBIS IGITVR, *Botuntinenſes Chariſsimi, uniuerſam Viſitationis materiam, quam ſua ipſius amplitudine nimium longè, lateq́ patentem breuitatis cauſa, ad quatuor capita reduximus. Circa quæ nobis laborandum erit, ut in ſingulis notemus abuſiones, quæ paulatim irrepſerunt, tùm adhibeamus remedia, atq; etiam antidota, quæ huius Sanctæ Synodi incorrupto iudicio pro tempore oportuna uiſa fuerint. Sunt autem hæc totius Sancti negotij capita.*

Loca
Res

Munera
Perſonæ.

Numerum locorum implent.

EccleſiaCathedralis
Eccleſiæ Parochiales, vel Curatæ.
Eccleſiæ ſimplices.
Priuata Oratoria.
Altaria.
Sacraria.
Chori.
Cæmiteria.

Monaſteria.
Hoſpitale.
Mons Pietatis,
Et quæ Confraternitates appellantur.
Sancta Maria de Martyribus.
Sancta Maria de Miſericordia.

QVAE *omnia, & ſingula, ut oculo, ſic manu, & arte medica egere putamus. In numero diuinarum Rerum primas tenet Res illa omnium maximè rata, firma, & conſtans.*

SANCTISSIMVM *inquàm ueri corporis, & ſanguinis Domini noſtri* IESV CHRISTI *Sacramentum, amabile, admirabile, tremendum, adorandum, quod præclaro nomine Euchariſtia dicitur. Tum ſequuntur ſancti liquores ad illuminandas, ſanctificandas, & lætificandas animas, uelut effuſi cælitus. Fons renaſcentiæ baptiſmalis.*

Fontes aquæ benedictæ.
Venerabiles, & prætioſæ, Sanctorum reliquiæ.

Sacroſanctæ Imagines.
Cruces.
Calices.

Calices.
Patenæ.
Omnia uaſa ſacra.
Corporalia.
Purificatoria.
Mappæ.
Sacerdotalia ueſtimenta.
Thuribula.
Lampades.
Candelabra.
Nabla, uel Organa.
Laquearia.
Nolæ.
Fores.
Claues.
Miſſalia.
Gradualia.
Antiphonaria.
Breuiaria.
Et reliqui libri rituales.
Scripturæ omnes, quæ ad Eccleſias quomodolibet ſpectant.
Priuilegia.
Iura.
Regulæ.
Conſtitutiones.
Statuta.
Redditus, Eccleſiarum, & beneficiorum.
Tituli omnes.
Omnes prouiſiones
Omnes prouentus.
Eleemoſinæ.
Expenſæ.
Beneficia; quæ dicuntur de iure patronatus.
Donationes.
Fundationes.
Fabricæ.
Obligationes.
Seruitia.

MVNERA *porrò, & officia, quæ exploranda, & luſtranda erunt, hoc ipſo Catalogo continentur.*

MVNVS *celebrandi miſſam per uniuerſam Diocæſim.*

MVNVS *prædicandi uerbi Dei in Eccleſia noſtra.*

MVNVS *audiendi Confeſſiones pœnitentium, tàm in Eccleſia Cathedrali, quàm in omnibus alijs huius noſtræ Ciuitatis Botuntinæ.*

MVNVS *Magiſtrorum Chori.*

MVNVS *Magiſtri Ceremoniarum.*

MVNVS *publicandi excommunicationes, quæ & per curiam noſtram decernuntur, & per Sanctam Sedem Apoſtolicam decretæ Romanis diplomatibus in hac Ciuitate, ut etiam ubiq; terrarum, authoritate non tàm humana, quàm diuina denuntiari iubentur.*

MVNVS *Punctatoris.*

MVNVS *Sacriſtæ, uel Theſaurarij.*

MVNVS

MVNVS Archiuarij, vel Conſeruatoris Scripturarum.

MVNVS Procuratoris Reuerendi Capituli Eccleſiæ noſtræ Cathedralis.

MVNVS Capellanorum Monaſterij Sanctæ Mariæ de Virginibus, & Sancti Petri.

MVNVS Magiſtri actorum, Fiſcalis, Iurati, & Carcerarij, Curiæ noſtræ. Quo ad perſonas notum eſt verbum Domini. A Sanctuario meo incipite. Itaq; primo loco viſitabitur.

Reuerendus Vicarius cum ſua ipſius curia.
Tum ſex Dignitates, & primòres Eccleſiæ,
Canonici.
Presbyteri.
Diacones.
Subdiacones.
Clerici quiſquè ſuo ordine.
Parochi, uel Curati.
Monachi, & Religioſi omnium ordinum.
Moniales utriuſquè Monaſterij.
Qui Confratres appellantur.
Et tandem totus Populus.

IPSI uerò, bono eſtote animo non enim perfunctoriè, & (ut aiunt) per tranſennam, ſed accuratè, ſtudioſeq; perſpiciemus loca omnia, & ſingula.

Vrbana.
Suburbana.
Ruralia.
Syluestria.

ET in ijs omnibus, eorumq; partibus, & membris, uiſendo, & reuiſendo ſcrutabimur, quòad fieri poterit, id quod demum, uiſitandi nomen, & ratio ſignificat.

Penetrália loci.
Speciem, uel formam.
Situm.
Diſpoſitionem.
Ornatum.

Si quid non firmum.

Non concluſum.
Imperfectum.
Indecorum.
Immùndum.
Araneoſum.
Hians.
Malètutum.
Vexatum.
Pollutum.
Violatum.

In rebus

In rebus deſcendemus ad ipſum etiam neglectum. Ad

Indignitatem.	Defædationes.
Deformitatem.	Lacerationes.
Pedorem.	Diſtractiones.
Cariem.	Conſumptiones.

DENIQVE *etiam ad portentoſas, ſi aliquæ erunt, (quod abſit) beneficiorum, & rerum ſacrarum.*

Venditiones.	Vſurpationes.
Emptiones.	Confidentiæ, quæ
Alienationes.	à Symonia non
Permutationes.	procul abſunt.
Intruſiones.	

QVÒ *ad munera, quia nullum tàm Sanctum eſt, atq; ſolemne, quod in hac noſtra ætate comminui, uiolariq́; ſoleat; In hoc toti erimus, ut ſciamus.* An

Officia.	Colantur, negligantur.
Diuina.	
Humana.	Seruentur, prætermittantur.
Media.	
Vigeant, langueant	

Diligentes porrò, & Officioſi Viri

Qua Fide.	Polliceantur.
Qua Pietate.	Deferant.
Qua Prudentia.	Suſcipiant;
Qua Diligentia.	Præſtent.
Qua Religione.	Perſoluent.
Officia.	

Inofficioſi autem, & indiligentes cur Officia

Recuſent.	Intermittant.
Fugiant.	Deſerant.

Vt illi quidem pro meritis laudentur.
Iſti uero, ſi fieri poteſt, corrigantur.

OPTO *enim uidere, ut quemadmodum Sol, Luna, & Stellæ non negant Officia ſua, huic quem ipſi incolimus mundo; ſic in hac ipſa, quæ noſtræ fidei credita eſt*

dita eſt Eccleſia Botuntina, nemo declinet ab officio, quiſque impleat ſuum officium; Omnes certent, ne quid in eis deſyderaretur Officij. Nam, ut in officijs colendis, ſita eſt uitæ honeſtas Omnis, ſic uniuerſa turpitudo in negligendis.

S**ED** *propter uos tandem, & in ueſtram gratiam, ſunt loca, res, & munera, atq; ideò omnia, quæ in mundo ſunt, & mundus ipſe totus; Sic enim ait Apoſtolus, Scribens Corynthijs, & in ipſis Corynthijs admonens omnes* CHRISTI *fideles. Omnia ueſtra ſunt, ſiue mundus, ſiue uita, ſiue mors, ſiue præſentia, ſiue futura; Omnia inquàm ueſtra ſunt, uos autem* CHRISTI, CHRISTVS *autem Dei.*

ITAQVE *nobis animus eſt, ut nullum in hac Ciuitate ordinem, ſtatum, gradum, ſexum huius paternæ gratiæ, & dilectionis uiſitationis noſtræ inuidioſum relinquamus. Et Vicarium quidem, qui noſtro munere fungitur, uiſitabo in lucernis (ut Propheta uerbo utar)*

Num ſit uirtute potens.	Num conſoletur puſillanimos.
Num oderit auaritiam.	Num unicuiq; reddat ſuus.
Num corripiat inquietos.	Num alicui inferat iniuriam.

ARCHIDIACONVM, *Archipresbyterum, primas Eccleſiæ noſtræ dignitates, uiſitabo cum omni diligentia. An in promouendis Clericis ad Sacros ordines iuuent aliquem interdum contra conſcientiam. Idq;*

Fauore.	Prece.
Precio.	

AN *aſſiſtant Epiſcopo, illiq; (ut par eſt) obediant in omnibus.*

AN *rogati ab eo, interdum illi falſum pro uero dicant.*

AN *detrahentibus Epiſcopo, expreſsè, uel tacitè conſentiant.*

AN *inter ſe ſe ordinem, pacem, & charitatem ſeruent.*

AN *in dicendis ſententijs pro rebus publicis in Capitulo à ueritate, & iuſtitia declinent.*

RELIQVAS *Dignitates, & Canonicos ſimul, & Sacerdotes omnes.*

AN *Canonicè, & ſecundum regulam uiuant.*

AN *habeant.*

Doctri-

Doctrinam ſanam.
Probatos mores.
Verba pudica.
Teſtimonium bonum ab illis, qui foris ſunt, hoc eſt in ſœculo uiuunt.
An ſtudeant Pſalmodię, & ſacris lectionibus.
An induantur uiſcera miſericordię, & pietatis ſicut electi miniſtri Dei.

Parochos.

An ſępè offerant hoſtias pro delictis populi.
An ſolliciti ſint, ne quis ſuà ipſorum culpa de Eccleſia pèreat.
An ſint ſinè crimine, & irrepręhenſibiles, hoc eſt ſine quęrela.
An dona Dei dent gratis, quæ gratis acceperunt.

DIACONES, *Subdiacones, Uniuerſosq́ ſingulorum ordinum Clericos uiſitare oportebit.*

An habeant literas ſuarum promotionum, & ordinationum.
An ſint Deuoti. Idq́; Domi, & Foris.
An aſsidui ſint in diuinis Officijs.
An reuereantur Sacerdotes, & omnes dignitates.
An ſint Beneuoli.
Officioſi.
Faciles.
Benèconſentientes.
Honore inuicem pręuenientes.

Siue potius.

Duri.
Rigidi.
Indociles.
Inhoſpitales.
Inofficioſi.
Inurbani.
Inhumani.

QVÒAD *Monachos, Iam etſi Apoſtolicis priuilegijs, quæ (ut par eſt) gratanter iàm diù ſuſcepimus, & perpetuo ueneramur à noſtræ ordinariæ poteſtatis Iuriſdictione exempti ſunt, nullo tamen iure aliquando à noſtra dilectione, & charitate, quam nulli non debemus, exempti erunt. Itaq́ amanter illos monebimus in Domino, ut ſint.*

Pauperes

Pauperes ſpiritu, & non elati.
Mites animo, & manſueti, non iracundi.
Diligentes, ſed non curioſi.
Religioſi, ſed non ſuperſtitioſi.
Pacifici prorſus, & nullo pacto contentionem amantes.
Ità, ut populus noſter exemplum ab illis accipiat, & odorem uitæ in uitam, non in mortem.
Et propter eorum laudem glorificetur, non blaſphemetur nomen Dei.

Viſitabimus noſtras Sanctimoniales, prouidentes per Dei gratiam.

Vt ſint ſimplices corde, ore, & opere.
Vt nihil ſit in eis fictum, vel fucatum.
Vt orationibus uacent.
Vt colloquia mulierum uitent.
Vt uirginitatem illam illibatam Matris Dei nûquàm non recogitent, & in illius admiranda, atquè incomparabili humilitate, Deo ſoli æternùm placere ſtudeant.

Deniquè

Vt in commune uiuant.

Confratres examinabimus.

An ſit inter eos lis, & contentio.
An conuenticula faciant, & diſsidia excitēt aduerſus Religioſos, & Presbyteros.
An uacent comeſſationibus.
An Parochis obediant.
An conſtitutiones Catholicas habeant, & illas obſeruent.

Promiſcuam porrò, tàm nobilium, quàm popularium multitudinem, ue-

lut rationabiles piſces una Euangelij ſagena, in hac ipſa Eccleſia noſtra, quaſi in littore maris, uiſitabimus.

In primis autem Magnificum Gubernatorem, tanquàm Regiæ Maieſtatis miniſtrum admonebimus.

Vt non accipiat munera.
Vt defendat Viduas
Vt introeat ad eum Clamor pauperum.
Vt non inferat falcem in meſſem alienam.
Vt diſcernat inter Sanctum, & profanum.

Senes, & iuuenes, ut ſint

Illi, Sobrij
Pudici.
Et tàm animo, quàm capite cani
Hi, Dociles.
Obedientes.
Et nullis parentes laboribus.

VIROS, *ut quiſq; poſſideat vas ſuum in Sanctificatione, & honore.*

VXORES, *vt timeant, & diligant viros ſuos.*

PATRES, *& Filios. Vt hi obediant parentibus per omnia, futuri pabulum Coruorum, & Aquilarum, niſi honorauerint patrem ſuum, & matrem ſuam.*

VT *illi ſua ipſorum bona, non prodigè effundant, ſed theſaurizent filiis ſuis, eoſq; non prouocent ad iracundiam.*

DOMINOS, *vt remittant ſeruis minas, & onera, & illos mercede ſua nulla ratione defraudent.*

SERVOS *ut Dominis, non ſolum bonis, & modeſtis, ſed etiam diſcholis in omni timore ſubditi ſint.*

DIVITES, *& pauperes. Vt*

Illi, non faciant ſibi amicos de Mammona iniqtatis.
Hi, cõfidant repoſitum ſibi eſſe theſaurum in cœlis,
ubi nequè erugo, nequè tinea demolitur, & ubi fures non effodiunt, nequè furantur.

Viduas, vt dum deſolatas ſe putant

Non contriſtentur, ſicut gentes, quę ſpem

ſpem non habent.
Sed delectentur in Domino, qui dabit illi petitionem cordis ſui.

DOCTOS, *Vt ornent in omnibus doctrinam ſuam, exemplo inculpatæ uitæ, quo luceant tanquam luminaria in mundo.*

IDIOTAS, *vt amplectantur ſupereminentem ſcientiæ Charitatem, qua ſine literatura ingrediantur tabernacula Domini.*

DENIQVE *omnes* CHRISTI *fideles, vt poteſtatem Eccleſiæ, & Sedis Apoſtolicæ in primis reuereantur.*

Timeant gladium excommunicationis, quem non ſine cauſa Epiſcopi portant.
Excommunicatos uitent.
Ablata reſtituant.
Se morituros credát, & ſæpe recogitét.
Abſtineant à fœnore, & uſuris.
Sacerdotibus, & Religioſis obedientiam, & reuerentiam præſtent.
Verbum Dei libenter audiant.
Miſſas frequentent.
Dies feſtos cuſtodiant.
Decimas ritè ſoluát.
Pœnis ſibi in foro pœnitentiæ iniunctis diligenter cú fiducia remiſſionis peccatorum ſuorum, quòad poſſunt, ſatisfaciant.

Tandem, vt finem dicendi, & audiendi pariter faciamus; Vt

Deum timeant, & mandata eius obſeruent.
Sintq́;
Vnanimes in fide.
Fraternitatis amatores.
Miſericordes.
Modeſti.
Humiles.
Nó reddétes alicui malú pro malo, neq́; maledictú pro maledicto.
Alter alterius onera portantes, ut adimpleát legem CHRISTI, Quæ tota eſt Charitas, & humilitas.

HABETIS *materiam, formam, finemq́, hoc eſt, cuius gratia, & ordinem,*

nem, atq; ſeriem totam huius, quam boni quidem expetunt, ſed (vt audio) mali timent, noſtræ paternæ viſitationis.

PLACET ne ergò vobis Santi Sacerdotes, Archigerontes, Archimandritæ, ad laudem, & gloriam Sanctiſsimæ, & Indiuiduæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus Sancti; ad incrementum deuotionis noſtræ Fidei, Spei, & Charitatis in CHRISTVM IESVM Dominum noſtrum, ad reformationem huius noſtri Cleri, & totius Populi Botuntini, vt uiſitatio fiat hoc modo, hac lege, hoc ordine? ET Reſpondentibus omnibus, & ſingulis, vna communi acclamatione, Placet. Iuſsit, vt Hymnus caneretur. Te Deum laudamus. Et data benedictione Pontificali, actio prima Synodalis ſoluta eſt, & indicta Secunda.

QVOD

QVOD REFORMATIO, AD INTERIOREM PRÆCIPVE, HOMINEM SPECTET; ET NON HOMINVM, SED IPSIVS DEI iudicio, examinanda, probandaq́; ſit; cuius oculis, corda patent; & omnia, nuda, & aperta ſunt.

SERMO SECVNDVS.

VENERABILES CONSACERDOTES, *Fratres honore, amore filij; Voſq́ Omnes, qui adeſtis, Deum timentes, & colentes, electi ab ipſo, antè conſtitutionem mundi, ut ſitis ſancti, & immaculati in conſpectu eius. Seges ampla dicendi, & qua nulla fortaſſe amplior, nobis hodiè oblata eſt. De Reformatione, De Interiore, & Exteriore homine, de Verbo Dei, deq́ illius examine, & iudicio, cui omnes cauſæ ſtant, aut cadunt. Sic enim ſcriptum eſt. Tu quis es, qui iudicas alienum ſeruum? Domino ſuo ſtat, aut cadit. Tempus certè breue eſt, peractis iam officijs, conſummatis ſacrificijs. Sed quid faciemus? Incipiemus; nam in rebus tantis, nulli deeſſe poteſt dicendi materies. Quod ſi exitum & finem inuenire labor erit, ipſa tandem, ſibi modum finemq́ ponat Oratio, neceſſe eſt. Iam pridem, quum in ſancta ſynodo, opus Dei, per ſpiritum ſanctum religiosè adoriremur, ab ipſa Viſitatione, more Medicorum, uobis conſulentibus, & probantibus, hanc ipſam Eccleſiæ noſtræ Reformationem, incipiendam eſſe, deliberatum, decretumq́ fuit. Ecce, ut iuſto imperio pareremus, uiſitationem aggreſſi ſumus. Viſitauimus, & uos mecum uiſitaſtis; ſed & non nihil ipſi uiſitati fuiſtis. Poſt ægroti uiſitationem, Medicorum colloquia miſcenda ſunt; & ad interioris hominis ſalutaria remedia, atque antidota ueniendum. Et ſuaui-*

ter quidem agendum eſt; nam, quod altè dixit unus ex ſummis Iatrologis, non laboramus in ferro, neque in marmore, aut etiam in corio, ſed in homine; quo, nihil habet uel nobilius, uel delicatius uniuerſa natura; Ob id agemus ex uerbo Dei, quo nihil ſubtilius, nihil purius, nihil ſimplicius; ſedenim Attendite, hoc enim certè ſilendum non fuit, Illo ipſo Dei uerbo, nihil eſt fortius, nihil efficacius. Vt intelligatis, ſuauiter quidem, diſponendum ad Reformationem, nam prudentiſsimè & diſcipulis ſuis dixit CHRISTVS. Reducite à terra puſillum; ſed tamen, fortiter attingendum ſcopum, & finem Reformationis. Sanè & D. Petrus, quum præceptori & domino dixiſſet. In uerbo tuo, laxabo rethe, Mox, dante Deo uoci ſuæ, uocem uirtutis, comprahendit piſcium multitudinem copioſam, ità ut omnes in ſtuporem uerterentur. Homo, eſt tanquàm æs, uel tabula; materia inquàm, imprimenda, ſignanda, formanda; verbum Dei, eſt uis, & poteſtas, quæ formam imprimit animo, & ceræ annulus, ut corpori ferrum; quin etiam, eſt finis, cuius gratia, & ſimul, forma, atquè exemplar, ad quod tanquàm ad lapidem lydium, examinanda eſt, & regulanda, uniuerſa hæc reformatio, quam molimur. Nihil latius, nihil altius, nihil pulchrius, nihil utilius. Hominem in primis, quòad compoſitum ipſum totum, nemo ex uobis ignorat eſſe paruum quendam mundum; qui cum omnibus, & ſingulis mundi rebus, & partem, & ſymbolum habet; Sanè conuenit cum terra caro, cum mari cruor, uterq; oculis cum mundi luminaribus, anima cum nubibus, flatus cum uentis, cum ſaxis oſſa, uenæ cum herbis, nerui cum radicibus, uis agendi cum igne, uis cognoſcendi cum luce, ſpiritus cum Angelis, maieſtas cum Deo. Quàm uerè dixiſti Abdala. Homo miraculum mundi; Et quàm ſublimius diceretur ex Moſe. Homo numiſma Dei, nimirum imago, & ſimilitudo eius. Hinc Parthenopeus ille, planè cum antiquis uatibus conferendus, dum fabricam primi hominis deſcriberet, de illius anima cecinit hunc in modum.

Mox, auram, Ætherio de fomite, fundit in illum,
Viue, ait, & proprio membra labore, foue.
Arcanę, mox partem animæ, de mente profunda.
Libat, & erecti ſpirat in ora uiri.

Hic eſt ille homo interior, Fratres, qui apud Apoſtolorum principem dicitur, Abſconditus cordis homo; anima inquàm rationalis, cuius præſtantiam, dignitatem, diuinitatem, tota natura miratur; nam quicquid percipit exterius ſenſus, interius repræſentat imaginatio, cogitatio format, inueſtigat ingenium, ratio iudicat, memoria reponit, ſeparat intellectus, Intelligentia comprehendit; & ad contemplationem inuitat, & prouocat. Quid eſt autem aliud homo exterior, quàm humanum corpus, quòd Deus inſtruxit ſenſibus, compegit membris, ſta-

tura,

tura, forma, & figura decorauit? cuius, uel ſolam ſpeciem, admirabilem ſimul, & formidabilem, tanquàm dignam tanto uniuerſi orbis imperio, omnes beluæ uenerantur; undè & Philoſophorum nobiliſſimi, de admirabili illa humana corporaturæ ratione, & architetura, quid non ſcripſerunt in ſecretis illis anatomicis conſyderationibus? Quàm dignum eſt Fratres, ut loquamur de Reformatione hominis, ex uerbo Dei? quia, ſicut homo formatus fuit ſemel, ità ſemper reformatur, & renouatur de die in diem, per illud ipſum Dei uerbum; in quo, ab omni æternitate ipſi eramus, & quod in fine temporum habitauit in nobis; quia CHRISTVS IESVS nouiſſimè in terris uiſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt: & antèquàm fieret cælum, & terra, totum quod factum eſt, in ipſo uita erat. O Verbum, ex quo omnia uerba, ad quod omnia uerba, in quo omnia uerba, & unum uerbum omnia; Verbum, quod erat antè omnes homines, quod caro factum eſt in homine, quod inſitum eſt, & plantatum in cordibus hominum, quod prædicatum eſt ad omnes homines, quod & ſcriptum eſt in libris ſanctis per manus Sanctorum hominum; Hoc eſt illud Verbum, increatum, quo omnia ſunt creata; quod cor patris eructauit, ſed non eiecit; uerbum interius natum, ſed non foras emiſſum; Verbum, quod non tranſit, quod mutabilitatem non recipit, quòd aures implet, quod oculos delectat, quod mentes illuminat; verbum uerum, & bonum, & quia uerum, & bonum, ſimul & pulchrum; O Verbum, quod erat antè omnia uerba, quod erat in principio, ipſum quoquè principium; cuius eſt illud. Principium, qui & loquor uobis; Verbum, cuius origo, æterna, incorruptibilis eſſentia, cognitio, uita. Ecquæ tanta abyſſus, quam non abſorbeat abyſſus uerbi? Semel locutus eſt Deus per ſemetipſum, Fratres; quia non eſt niſi unum uerbum, quod ipſe unus æternùm genuit, per quod & omnia in tempore fecit; ſed enim, per homines, & multa, & multifariè, & multis modis locutus eſt in ſcripturis ſuis ſanctis. Itaquè & uerbum unum extenditur, & dilatatur in ſcripturis, undè & ſermo dicitur, & ſimul ſcripturæ omnes, uelut in illo uno, ſimpliciq́ uerbo in compendium rediguntur. Ob id legimus, & ſcripturam, & ſcripturas, & uerbum & uerba, Quid? & ſermonem, & ſermones; nequè tamen, uel in uno uariantur multa, uel unum diuiditur in multis. Loca nota ſunt. Si uerba mea in uobis manſerint, Verba uitæ æternæ tu habes. Mundans eam lauacro aquæ, in uerbo uitæ, Gladium ſpiritus, quod eſt uerbum Dei; In cuſtodiendo ſermones tuos, Vt iuſtificeris in ſermonibus tuis. Ego dedi eis ſermonem tuum; Sermo tuus ueritas eſt. Mundi eſtis propter ſermonem, quem locutus ſum uobis. Quomodo ergò implebuntur ſcripturæ? Quum aperiret nobis ſcripturas. Quid dicit ſcriptura? Concluſit ſcriptura. Excidit nè uerò uobis è memoria uerbum illud Apoſtolicum, dum peroraret hæbræis laudes ſermonis Dei: & inuitaret eos, ut ad illum dirigerent corda, & animos, illud inquàm uerbum; Ad quem

uobis ſermo? Hoc eſt thema noſtrum Fratres, oportet, ut ad diuinum ſermonem, ad ſcripturam ſacram, ad Euangelium CHRISTI *examinemus, conferamus, dirigamus, iudicemuſq; omnes ſermones noſtros, rationes noſtras, cogitationes noſtras, conſilia, & iudicia noſtra, in ſancta hæc, quam, piè, per Dei gratiam, molimur, Eccleſiæ huius Botuntinenſis, viſitatione, & reformatione; ad plantandas, & inſerendas uirtutes, religioſis hominibus dignas; & ad euellendas primùm radices ſcelerum, quæ tanquàm feræ, in latibulis cordis, ſibi antra, foueaſq; fecerunt; ità ut uix appareant; & uideantur foris. O' cor profundum; cor altum, & peruerſum. Quòd ſi profunditas magna, abyſſus dicitur; an non eſt magna abyſſus cor hominis? Quid enim profundius corde noſtro? Itaquè, abyſſus abyſſum inuocat; Abyſſus ſanè cordis humani, inuocat abyſſum iudicij Dei; ſic enim ſcriptum eſt. Iudicia Dei abyſſus multa; uerè multa, quia ſupra omnes abyſſos cogitationum noſtrarum, & numero, & immenſitate maiora, occultiſsimaq;, & omninò inſcrutabilia; O' cor meum, O' peccata mea quibus me ſeruatis abyſsis? abyſsis iudiciorum Dei inuiſibilibus, incomprahenſibilibus, inſcrutabilibus. Et tenebræ erant ſuper faciem abyſsi; Eccè peccata, Eccè abuſiones ſuper corda noſtra, quibus deformati, & penè informes ſumus, facti inuiſibiles, indigni, qui uideamur ab oculis Dei, & ab oculis etiam hominum* ἀόρατοι ἀκατασκεύαστοι. *Laudo uos Fratres, laudo, quòd iam uideatur, uos initium dediſſe reformationi, in ueſtibus, in cultura templi, in uaſis, in conuiuijs; Video ueſtes nitidas, plura lumina in templo, multum thuris, uoces ſuaues, & canoras, menſas frugales; Sed quid profuerit, imò uerò, quid non obfuerit, mundare quod foris eſt, niſi quoquè quod intus eſt fuerit mundum? Ad abyſſum ueniendum eſt, ad cor, ad cor. Fons iſte largus, & exundans cordis, Vndè uelut ex officina nequitiæ manant, quæ coinquinant hominem: mundandus eſt, & omnia munda erunt nobis, & lucebimus in medio nationis prauæ, atquè peruerſæ, ut luminaria magna in mundo. Deus ſolus cor noſtrum reformare poteſt, ut non ſit abyſſus; & illuminare, ut non ſit tenebroſa abyſſus. Non eſt hic ſcopus noſter, ut Clerici, & Populi Botuntinenſes, foris appareant reformati, quaſi timentes poteſtatem miniſtrorum Dei, quia ea tantùm uident, quæ foris patent, ſicut ſcriptum eſt. Vis non timere poteſtatem? Bonum fac. Si enim malefeceris, Time; Dei enim miniſtri eſt, & non ſine cauſa gladium portat, ſed, hoc eſt propoſitum noſtrum, ut uerè intus, & coram oculis Dei, pulchri, decori, & formoſi ſint, tanquàm uerè timentes Deum, qui intuetur corda noſtra, atquè ideò, totis animis, antequàm ueniat dies Domini magnus; & horribilis, declinent ab omni malo, & dum tempus habent, operentur omne bonum; non ſimulantes fuco adulationis, amicitiam, ſuperſtitionis ſpecie, ſanctitatem, (id quod plurimi facere ſolent, quos tanquàm idola, & ſimulachra uirtutis, deceptus mundus & faſcinatus colit,*

ac uene-

ac ueneratur) ſed amplectentes amorem ueritatis, & uirtutis, qui iuxta eundem ſermonem Dei, & oſor eſt hypoeritarum, & exoſus hypocritis. Ut omninò intelligatis, iàm in ueritate agendum, quia agimus coràm Deo, qui non fecit hominem fictum, ſed uerum, quiq; propterea non cultu ficto, ſed uero, & ſyncero delectatur; cui placent non tam quæ uidentur, quàm quæ non uidentur; anima inquâm, non adulterina, ſed uera uirtute decora; ſpiritus, non artificioſè callidus, ſed ſimpliciter prudens; non per ſordes illiberalis, & parcus, ſed per frugalitatem modeſtus, & temperatus; non per rerum incogitantiam ad omnia pericula impauidus, ſed per diuinum amorem, abſq; temeritate quandò oportet, uerè fortis; deniq; non per auſteritatem, & rigorem inhumanus, & crudelis, ſed, per ueram æquitatem, iuſtè iuſtus; nam, uera prudentia non eſt uafrities; uera fortitudo, non eſt temeritas; uera temperantia, non eſt illiberalitas; uera iuſtitia, non eſt inhumanitas; ſicut uera pietas non eſt ſuperſtitio, & uerus cultus Dei non tàm externus eſt, quàm internus. Certè uerò finis Euangelij CRRISTI, & omnis doctrinæ Euangelicæ, eſt, ut omnia in gloriam Dei faciamus, & ut ità facientes, uitam æternam conſequamur. Ad illud leges hominum non attingunt, hoc præſtare non poſſunt. Itaq; qui ad iudicium Dei reformari cupit, (omnes autem id cupere debent.) non ſat, eſt, ſi uideat quid faciat manus, ſed ſcrutari oportet quid animus cupiat, quid ſenſus ſentiat, quid oculus aſpiciat; quid auris audiat, quid ſermo dicat, quid affectus afficiat, quid mens intelligat, quid uoluntas diligat, quid pœnitentia corrigat, quid timor emendet. Sanè eſt timor inutilis, qui nihil operatur; Eſt timor gehennæ, quo & paulatim tanquàm ſeta filum inducitur amor; Eſt timor culpæ, melior atquè generoſior, qui dicit

Eſtquè pati penam, quam meruiſſe minus.

Eſt timor Reuerentiæ, quo (ut ſic dicam) timemus, ne timeamus: timemus inquàm & cauemus peccata, ne timere cogamur ultionem Dei; hoc eſt enim quod dicitur. Timor Domini, ſpes fortitudinis. Undè & huc ſpectat illud. Exultate ei cum tremore. Hunc timorem caſtum Fratres, hunc timorem ſanctum, Rogo, ut in ueſtris animis generet Deus, per CHRISTVM IESVM; Ut ſi poſthac ſæpè peccare contigerit, nunquàm tamen peccaſſe uelle contingat; Hoc demum eſt, Victores eſſe in bello, contra peccata. Uincere hac prima ratione non poſſumus, ut non peccemus; Vincamus ſaltem hac ſecunda gratia, ut nunquàm placeat, quod peccauerimus. Qui in eo ſibi placet, quod peccauit, etiam ſi gehennam timeat, peccatum non odit, ſed diligit. O quàm libenter peccaret, ſi gehennam non timeret; O quâm gauderet, ſi gehenna non eſſet, & peccare impunè poſſet? Parcite mihi Venuſini manes. Non eſt uerùm illud carmen, quod tanto plauſu exceptum eſt à mundi Sapientibus.

Oderùnt

Oderunt peccare mali formidine pęnæ.

dicendum erat

Cauerunt peccare mali formidine pęnæ.

Nam odium eſt in corde, cautelæ adhibentur in opere. Eia Fratres, Eia. Quis eſt ille, qui ingredi poßit in hunc ipſum ſecretum interiorem, & abſconditum cordis hominem? penetrare medullas, ſcrutari compages, intentiones, deſyderia, uoluptates huius hominis? animæ inquàm noſtræ, niſi ille ipſe ſermo Dei, ille ipſe CHRISTVS IESVS, *ſermo uerus, & uiuus, de quo Apoſtolus ad Hæbreos. Viuus (inquit) eſt ſermo Dei, & efficax, & penetrantior omni gladio ancipiti, pertingens uſq; ad diuiſionem animæ, & ſpiritus, compagum quoq; & medullarum; diſcretor cogitationum, & intentionum cordis: & non eſt ulla creatura inuiſibilis in conſpectu eius; Omnia autem nuda, & aperta ſunt oculis eius. Opera hominum, facilè quidem nota eſſe poſſunt hominibus, & difficilius fortaſſe abſcondentur Eoæ Atlantides, quàm fieri poſsit, ut non audiantur, quæ dicimus; non uideantur, quæ facimus; tanta eſt hominum noſtræ ætatis curioſitas; quos, ne ipſi quidem parietes, prohibere poſſunt, quin perſpiciant, quæ in medijs etiam tenebris, in toro dum ſoli ſumus, à nobis aguntur. Sed enim cuius cogitatio penetratur? cuius conſilium uidetur? quid ipſe intus uerſem animo, quid poßim, quid uelim, quid machiner, quid ordiar, quid diſponam, quid cupiam, in hanc inquàm meam abyſſum quis ingreditur? & generatim ſecreta cordis cuiuſq; hominis, quis ſcit niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt? & ſpiritus Dei, qui nusquàm non eſt? Et quidem, multò manifeſtiora ſunt ipſi Deo, ſecreta noſtra, quàm nobis ipſis. Habetis exemplum in Petro Apoſtolorum Principe. Quanta erat abyſſus cordis ſui? quàm profunda? Nam latebat quod intra ſe erat, ſed oculos Dei non latebat; Dicebat. Si oportuerit me mori tecum non te negabo; & tamen Deus dicebat, Antequàm gallus cantet ter me negabis; Vidit profunda abyßi Deus, non uidit Petrus, nam negauit, ſicut fideliter dixit illi Deus, & non perſtitit, ſicut temerè de ſeipſo promittebat Petrus. Hinc illa precatio. Ab occultis meis munda me Domine; & illud. Delicta quis intelligit? Ob id cecinit Pſaltes. Deus ſcrutatur corda, & renes. O altum Verbum Dilectißimi; Cogitationes, cordis nominè, ſignificantur, uoluptates Renum; Et ſenſus eſt Deum uidere, quid quisque cogitet uidere, quid quenq; delectet, uidere, quò tendimus, uidere, quid ſperemus, uidere curas noſtras, uidere & fines curarum; illud eſt ſcrutari cor, hoc eſt ſcrutari renes, quibus libido, omniſq; uoluptas ſignificatur. Profectò enim finis omnium curarum, uix aliud quidpiam eſt, quàm uoluptas, libera quædam remißio, & cum requie, iucunda oblectatio animi. Ob id enim ſuſcipimus curas, uel concupiſcentiæ carnis, uel concupiſcentiæ oculorum, uel ambitionis ſæcularis, ut in his tandem oblectemur, iuxta illud. Fruamur bonis, quæ ſunt; Coronemus*

mus nos roſis, Nullum ſit pratum, per quod non tranſeat luxuria noſtra. Sed & Viri pij, & ſpirituales, quos non caro ad terrena deprimit, ſed ſpiritus ſuſtollit ad cœleſtia, ipſi quoq; & delectantur in domino, & ad gaudia æterna ſuſpirant; quæ non ſolum non tranſeunt tanquàm umbra, ſed nulla ſæculorum mutatione uiolantur. Nam ubi eſt Theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum; hoc eſt ubi eſt Delectatio tua, ibi eſt cogitatio, & intentio tua. Deus igitur tandem, & ſermo Dei, terrenarum, & cæleſtium curarum, cogitationem, deſyderiorum, uoluptatum, eſt inſpector, rimator, ſcrutator; Verè, uiuus, & fons uitæ, tanquàm omnibus mobilibus mobilior, ut ubiq; in momento ſit, & nuſquàm non ſit; uerè efficax, tanquàm cuius operatio nuſquàm, & nuſquàm deficit; uerè penetrans, quia ad intima quæq; ingreditur, ut falli non poßit; uerè tanquàm gladius anceps, quia, mira ſubtilitate diſcernit opus ab intentione, intentionem à cogitatione, cogitationem à deſyderio, deſyderium à uoluptate; nimirum radicem à ſurculo, ſurculum à fronde, frondem à flore, florem à fructu, & in fructu, corticem à medulla. Hoc eſt enim, quod declarando ſubiungit Apoſtolus; Ipſum pertingere ad diuiſionem animæ, & ſpiritus, compagum, & medullarum; hoc eſt, cogitationum & intentionum cordis. Ecquid ſupereſt in homine ad penetrandum; ſi hæc omnia, Deus, ſapientia, & ſcientia ſua penetrat? Totum certè interiorem hominem uidet, ille, qui hæc omnia uidet; & illum, quem hæc non latent; uerè nihil omninò latet; ut propterea, qui male habet, ſanare non poßit, niſi à Deo; qui ſolus uidet, ubi dolet, quod eum malum angit, qui illum angor afficit; an in cute, an in carne, an in neruis; an in oßibus, an in medulla. Operatio ipſa eſt quaſi cutis, quæ foris apparet, quæ ſenſu caret, nam, & apud alienos ſcribitur, dandam eſſe operam, ut tenera quadam elocutionis, quaſi cute, uirilis orationis habitus operiatur. Delectatio autem eſt quaſi caro ſub cute; Cogitationes ſunt quaſi oſſa, quæ delectationes fouent, ut oſſa carnem fulciunt; ſunt & myſtici nerui, atq; compagines, uincula inquàm, quæ & media, & extrema conglutinant; ſiquidem ex deſyderijs prodeunt, & deſyderia pariunt, ut præcedentibus ſequentia; & ſequentibus præcedentia foueantur. Intentiones demum ſecretißimæ, quæ in ipſis etiam cogitationibus latent, ſunt quaſi medulla, quæ abſconditæ ſunt in oßibus. Hæc ipſi (ut dicebam) ſæpè neſcimus, intra nos ſunt, & non uidemus. O quoties effugiunt oculos noſtros corda noſtra. Non ſunt in poteſtate noſtra cogitationes noſtræ Fratres, & Filij; quæ ex improuiſo, ex inſperato, mentem, animamq; confundunt; ad terram trahunt, ad ſæcularia reuocant, Orationes impediunt, uoluptates ingerunt. Nam illo ipſo momento, quo mentem surſum habere paramus, uel immißionibus, per Angelos malos, uel ſponte naſcentibus malis cogitationibus, ex inculta quaſi ſylua cordis noſtri; (Verum eſt enim myſticum illud, Spinas & tribulos germinabit tibi, O nos miſeros) ad

uana,

uana, ad mundana, ad otioſa, ad flagitioſa, pleruńq deijcimur. Vult ſeſe interdum continere cor, ne pereſtuat, fugit quodammodo à ſeipſo, ut ſtet, quia in ſe ſtare uix poteſt; ſed non inuenit cancellos, quibus ſe includat; neq́ obices, quibus ſe retinere poßit, ne huc illuc, hac illac auolet; Ità, cogitat, & neſcit quid cogitet, deſyderat, & neſcit quid deſyderet; Cogitationes nimirum uanæ, & deſyderia uana. Et hæc omnia, ſermo Dei uidet in nobis, quæ ipſi uix uidemus; ſic enim ſcriptum eſt. Dominus nouit cogitationes hominum, quoniam uanæ ſunt; O adorandum, O amandum, O tremendum ſermonem Dei; hoc eſt ſapientiam Dei, prudentiam Dei, uerbum Dei; Deum ipſum, omnia ſcientem, ſentientem, prouidentem, intelligentem, iudicantem. Adorate hunc ſermonem Dilectiſsimi, amate, & timete: Adorate, quia uiuus; amate, quia efficax; timete, quia penetrantior omni gladio ancipiti; Quia eſt uiuus, & præcipit, & prohibet, quia eſt efficax, & comminatur, & promittit, quia eſt penetrantior gladio utrinq́ acuto, utrinq́ ſcindente, quem uocant, adeò ex omni parte uiam ſibi facit, & extrinſecus, & intrinſecus, & in corpore, & in anima, ut hoc, & illud uideat, accuſet, iudicet, condemnet; nam nihil illum impedire, ſicut & nihil effugere poteſt. Puto uos intelligere. Quid iam ſupereſt? Credidit homo ſermoni (inquit Ioannes) de Regulo; Et uos, qui olim eratis reges, ſed in Adamo mutati eſtis in regulos, ipſi quoq́ credite ſermoni Dei, credite in Deum, quia uiuus; ſperate in Domino, quia efficax; Tandem timete Deum; quia penetrat tanquàm gladius anceps: dum creditis, obedite; dum ſperatis, Orate; dum timetis, Cauete; Obedite præceptis; Sperate miſericordiam; Timete iram & uindictam. Nolite timere eos, qui occidunt corpus, & poſt nihil habent, quid faciant; Timete eum, qui poteſt & animam, & corpus perdere in gehennam. Fratres, ſi minimas quasq́ uel corporis, uel indumenti labeculas, ſtatim quum uidemus, ne oculos aſpicientiam offendant, abluimus, extergimus. Profectò magna quædam, & haud dubiè beata neceßitas, indicta eſt nobis, ut ne cogitare quidem mala audeamus; quia Deus ubiq́ eſt, ubiq́ uidet nos, non eſt Deus de longè, eſt Deus de propè. Certè enim Dei uox illa eſt, cuncta cernentis. Ut quid cogitatis mala in cordibus ueſtris? Filij hominum usq́ quò graui corde? Auferte malum cogitationum ueſtrarum ab oculis meis. Eccè quàm felix principium oſtendo uobis Eccleſiaſticæ diſciplinæ, hæc eſt ianua uera reformationis. Forma ipſa prima, eſt intrinſecus, non ne igitur uanus erit labor reformare uelle tantùm extrinſecus? Quàm differt forma à figura? Honorabile nomen forma, quod ipſi etiam Deo tribuitur: non legiſtis, Qui quum in forma Dei eſſet? at figura non eſt niſi corporum. Itaq́ nos non cupimus figurare, & colorare Eccleſiam noſtram; quis rem eandem non poßit uariare, ac uerſare mille figuris? Sed cupimus uerè formare, & quaſi animare, non formam quidem inſtituere nouam, ſed reſtituere antiquam. Forma qui-

dem

dem doctrinæ, & fidei; de qua Apoſtolus dicebat Romanis. Obediſtis in eam formam doctrinæ, in quam traditi eſtis, hæc inquam forma, Deo gratias, immutata non eſt; Lætamini, Exultate in Domino, Botuntinenſes; ſed forma uitæ, de qua idem Apoſtolus dicebat, Ut noſmetipſos formam daremus uobis ad imitandum nos; O quàm mutata eſt, quàm obſcurata, quàm deleta? atq; ideò Reformatio non eſt incipienda à foris, ſed ab intus, à corde. Non ne ſic dixit CHRISTVS? *Ex corde exeunt cogitationes malæ, auaritiæ, blaſphemiæ, adulteria, & hæc ſunt, quæ coinquinant hominem? Certè uerò & uaſa potoria; primùm in ea parte mundantur, quæ ſeruit uſui potationis, tùm exterius quoq; purgantur, & abluuntur; ut omni ex parte ſint munda, & digna, quæ ſpectari debeant. Vt hoc exemplo intelligamus, interiorem hominem, quem maximè Deus reſpicit, & quo potiſsimum ipſi Deum colimus, antè omnia purificandum eſſe, tùm uerò & exteriorem, tanquàm thecam, uel tabernaculum interioris, ut nihil ſit in homine, non pulchrum, non decorum, non formoſum, quandò omnia ſunt propter hominem, homo autem maximè propter Deum. Hinc authoritas illa Cenſoria* CHRISTI IESV, *in Euangelio; contra Phariſeos, & ſcribas, quorum iam erat deſperata correctio. Veh uobis Scribæ, & Phariſei, hypocritæ, quia mundatis quod foris eſt calicis, & paropſidis; intus autem pleni eſtis rapina, & immunditia. Phariſeæ cæce, munda prius quod intus eſt calicis, & paropſidis, ut fiat & id quod deforis eſt, mundum. Veh uobis ſcribæ, & Phariſæi, hypocritæ, quia ſimiles eſtis ſepulchris dealbatis; quæ foris quidem apparent hominibus ſpecioſa, intus uerò plena ſunt oſsibus mortuorum, & omni ſpurcitia; Sic, & uos foris quidem apparetis hominibus iuſti, intus autem pleni eſtis hypocriſi, & iniquitate. Et humana quidem Philoſophia forſan ſatis eſſe poſſet ad reformandos extrinſecus mores humani generis; Sed quod interiorem hominem pertinet;* CHRISTVS IESVS, *ille eſt, qui interius nos incitat, ſtimulat, agitat, impellit, illuminando intellectum, inflammando uoluntatem, ut omnes amores noſtros, omnes ſpes noſtras, omnia deſyderia noſtra conferamus, & dirigamus in ipſum Deum; ut omninò demus mundo, & ijs, quæ mundi ſunt, libellum repudij; quando Deus ſolus eſt fælicitas noſtra; &, huius mundi bona, quæ ipſi errore, & opinione decepti longoq; uſu, & conſuetudine deprauati, tanti eſtimamus, quò plura, & maiora ſunt, eò nos periculoſius obſident; & curarum, ac ſollicitudinum ſtimulis acutioribus uexant, quum alioquin eorum poſſeſsione, antequàm ea aſſequeremur, putaremus nos eſſe felices. Botuntinenſes mei, Non adſunt in præſentia Reges, non Principes, non proceres, non militaris, & equeſtris ordinis Viri quàm plurimi; ſed neq; multi, illuſtres artes, atq; ſcientias profeſsi, ijs enim ſi adeſſent, alia fortaſſe, & alterius modi adhibenda eſſet Oratio; Adeſtis uos ſoli, quos ego tanquam Opilio, haud certè infidelis, utinam*

haud

haud indiligens; cupio in viam reducere, vt à CHRISTO *Paſtore, & Domino disiunctos, ipſi* CHRISTO *rurſus adiungam. Agam itaq; de peccatis, & vitijs, quæ Ciuitati huic noſtræ familiaria ſunt, atq; domeſtica. Obſcurum ne, cuiquàm, hoc tempore, & dubium, eſſe poteſt, qualia ſint, in quotidianis hiſce negotijs, commercia ueſtra; quàm auara? quàm iniuſta? quàm ſubdola? quanta lucri cupiditas? quàm infida uitæ ſocietas? quam exigua, & frigida fraterna charitas? Emitis, uenditis, contrahitis, ſyngraphas conficitis, promittitis, fidem datis, iuratis? O' quàm ſæpè, nullus eſt locus veritati, nullus iuſtitiæ, nullus religioni, nullus fidei, nullus Deo. Non hæc dicimus, ut aliquem lædamus, neq; enim ambigimus multos eſſe ex uobis ab his ſceleribus alienos, ſed rem exageramus, vt omnibus timorem aliquem Domini, in quo omnis ſapientiæ initium, & omnis vitæ corrigendæ ſtudium, ſitum eſt, quatenus per Dei gratiam poſſumus; iniJciamus. Sanè nobis non eſt animus, aliquem veſtrum, forenſis iudicij tela, iuxta ſacros Canones, & ciuilia iura, niſi me coegeritis, vexare; citare, mouere, inquietare, punire; ſed per ſacrarum ſcripturarum ſalutaria monita, præcepta, exempla, in animis veſtris vos omnes reformare, & ad meliorem frugem reducere deſyderamus. Deſyderamus auferre à præcordijs veſtris terram illam, & horribilem peſtem auaritiæ, liberare agros veſtros à ſæua illa beſtia, quæ, vrſo, lupo, & apro crudelior carnes humanas comedit, ſanguinem humanum ſitit, omnium pauperum ſubſtantiam exorbet; quæ ſumere facit gladium litium, ſuſcitat tumultus, & rixas odiorum, excæcat oculos prudentium; quæ latrocinia committit, & furta; quæ & fœdera, & fidem frangit; quæ omnes diſſociat Fraternitates, & amicitias; quæ diſſipat omnes bonos mores; quæ, ingentes virtutum theſauros miſerè depopulatur; quæ, vbi in animum inuaſit, & in eo arcem mentis, conſilijq; poſſedit; illum è familia protinùs ipſius Dei, ereptum, atq; abſtractum, auri, argentiq;, hoc eſt luti, & terræ, idolorumq; & ipſius diaboli, mancipium, efficit. Num non eſt Pauli illa vox. Auaritia eſt idolorum ſeruitus? Vos appello, ſi qui fortè hic adeſtis, quibus, Dij aurei, & argentei, aurum inquàm, & argentum, peſſimam illud pecuniæ ſtudium, dominetur; corda ne ueſtra, animas ne veſtras, quas turbines litium, ſtrepitus pactionum, & promiſſionum, timores furum, latronum, ſeruorum, domeſticorum, tàm multis modis ſemper turbant, & exagitant. Ingreditur vnquam Rex pacificus* CHRISTVS IESVS; *qui non requieſcit niſi ſuper humiles, & quietos, niſi ſuper pauperes ſpiritu, niſi ſuper pacificos, & paruo contentos? Oculi ne veſtri ita aliquandò mundi ſunt à ſordibus, & fecibus terreni lucri, vt poſſint videre* CHRISTVM, *quem nemo vidit, niſi corde mundus ſit, & purus? Aures veſtræ non ne tinnitibus pecuniarum, ita ſemper obſtrepunt, vt ne locum quidem habere apud eas poſſit verbum Deum? Et lingua veſtra, O' miſeri, quando uo-*

minant

minant Deum, niſi quum inaudito, & prorſus nefario ſcelere, vt ſuis mendacijs, & circumuentionibus fidem aſtruant, immenſam illam, & tremendam maieſtatem inuocant, ipſumq́ CHRISTVM IESVM, filium eius, faciunt ſuarum fallaciarum ad ſtipulatorem, & teſtem? Heù, heù, quando erit, ut feruere deſinat hæc olla tandiù ſuccenſa? quandò explebimus immenſum hunc puteum? quandò dicemus longùm vale huic mundo? quandò erit, vt aſinam noſtram alligemus ad vitem CHRISTVM? ad vitem, quæ non facit uinum, quod ſeducit mentem; ſed quod lætificat Deum, & homines, vinum charitatis, uinum ſapientiæ? Hæc fortaſſe dicta videbuntur ad laicos; ſed ò vtinam non penetraſſet hæc ipſa auaritia, & φιλαργυρία, & φιλοχρηματία, & πλεονεξία, in viſcera Clericorum, & Monachorum; Vndè enim tantæ inter eos diſſenſiones, & lites, quas hodie audimus, quibus, vt pius pater dixit, tanquàm cornices improbæ, ſe ſe inuicem, & mordent, & comedunt, & conſumunt; niſi ex cupiditate habendi; plusquam æquum ſit, etiam cum alterius damno, & iniuria? propter quod ſcandala quotidie excitantur in populo, & quod multò eſt grauius, vituperatur miniſterium verbi Dei; quaſi proba pauperies non magis Deo placeat, quàm iniuſtæ diuitiæ; quaſi eadem ſit ratio cum CHRISTO, quæ cum mundo; quaſi nullus ſit ordo iuris, nulla differentia inter Clericos, & Monachos, quaſi priuilegia Monachorum euertant hierarchiam Curatorum; quaſi Curati tyrannos agant contra priuilegiatos; quaſi & ab his, & ab illis, omnia fiant ad quæſtum; nihil ad ædificatioaem populorum: deniq́ quaſi hi duo ſtatus ſint ſeminaria diſſenſionis, quum alioquin eſſe debeant charitatis, & pacis. Ob id enim introducti ſunt in Eccleſiam Monachi, qui Mendicantes dicuntur, & à ſancta illa Apoſtolica ſede, quæ omnium bonorum mater eſt, data ſunt illis tot, & tanta priuilegia, vt quò ad actus hierarchicos ſint ſolatio, & adiumento, non ſolum Præsbyteris, ſed & ipſis etiam Epiſcopis, ad quos præcipuè ex officio, ſpectat munus illud maximè hierarchicum, quod eſt prædicare; ſicut dixit Apoſtolus. Non miſit me Dominus baptizare, ſed prædicare, Chariſſimi Fratres; Ad vos omnes loquor curati, & priuilegiati, Oro, obſecro, ſupplex poſco, precor, & quanta poſſum charitate, humilitateq́ obteſtor. Tranſierint iàm vetera, fiant de cætero noua omnia. Et Deus quidem, iàm tum ab initio, nouum fecit ſuper terram, dum CHRISTO naſcente fœmina circundedit uirum; & data eſt noua lex, factum nouum teſtamentum; inſtituta ſunt ſacramenta noua; ipſe nouo regnandi modo, regnare cæpit ſuper terram; noua uiuendi ratio prædicta eſt inter gentes; & promiſſa per Euangelium CHRISTI noua hæreditas, in regno cælorum; vnde & in Eccleſia, cantatum eſt canticum nouum, nouitate gaudij, & lætitiæ ſpiritualis in CHRISTO IESV. Et vos igitur, ad imitationem Domini veſtri, depoſita vetuſtate, renouamini; iuxta verbum Apoſtòli, ſpi-

li, ſpiritu mentis veſtræ. CHRISTVS IESVS verus, & vnicus formator, & reformator humani generis, ſicut in Euangelio legimus, totum hominem ſanum fecit, non corpore inquàm ſolum, ſed & anima prius, ut in corpus ſanitas redundaret ex anima. Ad hunc modum igitur, poſtquàm vos omnes ſancti eſtis, oleo, loco, miniſterio; Oportet, vt quiſq; veſtrum ſit ſanctus conſcientia, uita, fama. Eſt ſanctus ordo veſter, ſit ſancta conuerſatio veſtra; eſt ſancta poteſtas, ſit ſanctus vſus; Munus eſt ſanctum, mores ſint ſancti; ſancta cogitate, ſancta loquimini, ſancta facite; Cogitate ne peccetis; loquimini, vt ædificetis; facite vt perfecti ſitis, hic non habentes maculam, illic neque maculam, neque rugam. Quis lippis oculis videat ſolem? Quis immundo corde videat Deum? Et Democritus, quidem neglexit videre ſolem; ſed quis noſtrum negligat videre Deum? At non poteſt videre Deum, niſi qui ſit amicus Dei; Quis autem eſt Dei amicus, niſi ſit Dei ſimilis? θεόφιλοσ θεοείκελος *dicunt Græci. Quideſt autem Deus, niſi actus purus? quis autem purus, niſi optimus? quis optimus, niſi immaculatus, & mundus? Aequis verè mundus, niſi mundus corde? Huius munditiæ virtutem, quis vnquàm alius docuit, aut etiam dono dedit, præter* IESVM *noſtrum? Hic eſt ſermo ille verus, & viuus, purus, & mundus ab omni labe, qui ſimiliter, non niſi mundis corde, diuinam viſionem, in qua vna ſita eſt omnis noſtra fælicitas, pollicetur? Beati (inquit) mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt. Quid eſt autem hæc ipſa cordis mundities, niſi ſanctitas, quandò Paulus, illius organum, & interpres, velut hunc locum enarrans, Poſſidete (inquit) ſanctimoniam, ſine qua nemo videbit Deum; hæc eſt enim voluntas Dei Sanctificatio veſtra; ut fructum habentes ſanctificationem, finem habeatis æternam vitam; Illam æternam vitam, in qua, ſicut quò ad interiorem hominem, eritis conformes imagini* CHRISTI; *ſic quo ad exteriorem reformabit corpora humilitatis veſtræ, configurata corpori claritatis ſuæ. Hæc eſt vis, hic eſt ſenſus noſtræ Reformationis, Purgatio, Renouatio, Sanctificatio. Non puto vos ignorare tres illos actus hierarchicos. Purgare, Illuminare, Perficere. Et quidem his tribus inſtaurantur à Deo Patre, in* CHRISTO, *& per* CHRISTVM, *Angeli, & homines; His tribus inſtaurant ſummi Pontifices, & Principes, & Reges: His tribus & ipſi inſtaurare nitimur Clericos, & laicos. Quæ in cælis ſunt, & quæ in terris (inquit Apoſtolus) placuit Deo inſtaurare in* CHRISTO, *& per* CHRISTVM. *Deo ſanè, in cælis ſunt Angeli; in terris Mortales. Summo Pontifici, in cælis ſunt Reges, in terris Populi ſubditi Regibus. Nobis, in cælis ſunt Clerici, in terris Laici. Et cuiquè veſtrum, in cælis eſt anima, in terra Corpus; imò anima cælum eſt, & Corpus terra. Omnia reſtauranda ſunt, & quæ ad Clericos pertinent, & quæ ad Laicos, & quæ ad animam, & quæ ad Corpus; Omnia immunda ſunt; Omnia mundanda ſunt; Quid dico immunda, & mundanda?*

danda? Omnia corrupta ſunt, Omnia mortua ſunt, ſananda ſunt; ſuſcitanda, & viuificanda ſunt. Sicut graſſante peſtilentia Medici ſimul cum promiſcua plebe laborant, ſicut in naufragio Nautæ cum nauigantibus pereunt, ſic in magna hac Eccleſiæ corruptione, Fratres, & Sacerdotes cum populis, & populi cum Sacerdotibus, Omnes vna lue corrupti, omnes vna aquarum colluuiæ demerſi ſunt. An fortè decipimur? An videre videmur? An non potius uerum eſt, diluuium generale factum eſſe diebus noſtris ſuper vniuerſam terram? In diluuio illo, quod ſcripturæ ſacræ commemorant, à cataractis cœli, magno impetu ruebant imbres, & à terra fontes proſiliebant in vaſtiſſima flumina, ità dum aquæ ſuperiores miſcerentur cum inferioribus, operiebantur omnia aquis, & ne punctum quidem terræ apparebat aridum. Anima noſtra cœlum eſt, & terra corpus; Quid ergò eſt aliud myſticum diluuium noſtrum, quàm inundatio peccatorum, & carnalium, & ſpiritualium, quæ omninò nos ipſos profundiſſimis gurgitum quaſi vorticibus obruunt, & penè perdunt; Verè perdunt, & vtinam non iàm perdiderint; Quærite requirite; Aſpicite, reſpicite, ubiquè terrarum, nam & Prædicatores (vt à ducibus, & magiſtris ſumamus exordium) verbum Dei, quod ornant linguis, dedecorant moribus; Senes quò magis appropinquant morti, eò magis in ſuis ſceleribus viuunt; velut nunquàm morituri; Adoleſcentes, quos furor paſſionum, tanquàm æquos indomitos prorſus exagitat, frenos reuerentiæ, & obedientiæ maiorum, quibus cohiberi potuiſſent, ſuperbè reijciunt; Diuites, vndè in cœlis comparare poſſent theſauros, nunquàm interituros, inde ſibi theſaurizant apud inferos æternos ignes, & vermes immortales. Mulieres iàm in propatulo habent pudicitiam, quam pro decore, & ornamento dedit illis Deus, perinde ac viris prudentiam; Patres familias, qui domos regunt, & familiæ imperant, omnium malarum cupiditatum ſerui, & mancipia facti ſunt; Chriſtiani, quibus hoc vnum præcipitur, vt ſe inuicem diligant, ſe inuicem odijs perpetuis rodunt, & comedunt. Pauperes, qui nihil habent, vndè in ſuperbiam extolli poſſint, temerè efferuntur animis, & in eos quos contemnunt, etiam magna ſpirare audent; Deniquè (vt de Regibus taceam) in quos vnos (vt etiam profanus poeta dixit) Imperium eſt Iouis, nam cor Regis (ſicut ſcripturæ ſacræ teſtantur) in manu domini eſt, & ad quodcunquè voluerit, vertet illud: Interdum enim regnare facit hypocritas propter peccata populi, interdum dat reges tyrannos in furore ſuo, nonnunquàm propter miſeriam inopum, & gemitum pauperum, dicit Regi, Apoſtata, & transfert regnum de gente in gentem; Vt Reges inquàm, & omnes duces præcellentes, tanquàm à Deo miſſos, & ſub Dei cura, & prouidentia conſtitutos omittam; negari non poteſt, qui magna pars noſtrum, qui poſiti ſumus, vt cuſtodiamus vigilias noctis, & excubias agamus ſuper Dominicum gregem, temporibus præteritis diligentiſſimè neglexerimus officium noſtrum, imperium domini, & ſalutem noſtrarum Eccleſia-

rum; nam (quod certè dolens dico, redundat enim, & hic dolor in caput meum) quos tutari debebamus, paſſi fuimus eſſe deſertos, & penè omni cura noſtra deſtitutos. Hincquè factum eſt, vt per incuriam noſtram plebes noſtræ, quas ſub religione teneri oportebat, omni prorſus diſciplina, exercitationequè carentes, langueſcentes otio, in omnia vitia ſeſe præcipites dederint. Vnde & magna, ſed ſtulta pars populi, Dei verba, & legum ſcita, contemnere cæpit; & per diuerſas errorum uias, in quanta pericula incidit? in quantis Labyrinthis ſe inuoluit? quantas foueas damnationis incurrit? In hoc ergò laborandum eſt, vt ſinguli, & omnes, omnes inquàm, non Clerici ſoli, ſed & laici, eruantur à fouea, & in æternæ ſalutis viam fæliciter adducantur, per IESVM CHRISTVM; *cuius ipſi in hac viſitatione miniſterio fungimur, vt ſua ipſius forma, quæ in omnibus populis meis Botuntinenſibus, impreſſa, expreſſè lucebat, quòad fieri poteſt, antiquum decus reſtituatur. Nam etſi in Clericis eminenter lucere debet, non licet tamen, vt deleatur, aut etiam obſcuretur in Laicis. In vndis baptiſmalibus forma* CHRISTI, *perinde ac forma veteris hominis, in generatione ſecundum carnem, cuilibet noſtrum imprimitur, ſicut ſcriptum eſt. Quicunquè baptizati eſtis,* CHRISTVM *induiſtis. Niſi uerò, per ſcelera, & peccata, corrumperetur forma illa* CHRISTI, *in animis noſtris, & niſi inſtaurari etiam poſſet bonis, & ſanctis moribus, non clamaret idem Apoſtolus ad Romanos. Induimini dominum noſtrum* IESVM CHRISTVM. *Ille eſt dominius uirtutum, hoc ſanè Epitheto ornat eum Rex Sapientiſſimus* ποιητὴς *Dauid; atquè ideò ſine* CHRISTO *nulla perfecta virtus, cum* CHRISTO *omnes diuinæ uirtutes. Erras frater, Erras, ſi putas te habere familiam ſine domino, familia ſequitur dominum. Virtutes ſunt familia* CHRISTI, *non inierunt tibi uirtutes, ſi non primùm inſit tibi* CHRISTVS. *Et quidem ille in ſe ipſo exinanitus, formam noſtram ſuſcepit, quum eſſet in forma Dei, vt & ipſi non tàm exinaniti, quàm verè exuti forma noſtra, indueremus formam Chriſti; nequè enim alia ratione efficimur conſortes diuinæ naturæ, quàm induentes* CHRISTVM, *in quo habitat plenitudo omnis diuinitatis. Superbia eſt forma Luciferi; Auaritia eſt forma Antichriſti; Vita voluptuoſa eſt forma Epicuri. Iam, quæ eſt forma* CHRISTI? *Apoſtolus dicit, finis legis* CHRISTVS; *Et ille ipſe dicit, finis legis eſt Charitas; ergò forma* CHRISTI *Charitas eſt, & ille* CHRISTVM *induit, qui charitate indutus eſt. An uerò obliti eſtis uerbi illius, Hoc eſt præceptum meum, ut diligatis? Certè verò dilectus domini, hoc vnum uerbum dicebat diſcipulis ſuis. Diligite, & interrogatus, cur nihil aliud diceret, quia hoc unum (inquit) ſi impleatur, ſufficit. Ecquid, tàm directè contrarium eſt, cupiditati unde deformitates omnes in Eccleſia Sancta Dei, & natæ ſunt & auctæ, quàm ipſa Charitas? Ecquis unquàm tantoperè inſectatum eſt cupiditatem, quàm* CHRISTVS? *Itaq; ubi Charitas, ibi* CHRISTVS, *nuſquàm ſine* CHRI-

STO *Charitas, nuſquàm ſine Charitate* CHRISTVS. *Diſcamus, Diſcamus à terrenarum rerum cæco amore, & inconſulta habendi cupiditate, reuocare animos noſtros, eoſquè,* CHRISTO IESV *Domino noſtro, à quo ſua ſponte defecerunt, religare, & reglutinare totis uiribus adnitamur; ſitquè nobis multò magis cordi, vera illa beata, & ſempiterna vita, quàm bona hæc omnia fluxa, & caduca; quorum nos amor, perpetuis timoribus, mæroribus, laboribus, ſuſpenſos ſemper, irrequietos, & ſollicitos tenet; Tùm ſi quid improbè, iniquè, & fraudolenter, horum bonorum cauſa, factum fuerit, ſi quod admiſſum facinus, amara (quòad amara fert infirmitas) pœnitentia diluatur; cui, nouæ vitæ propoſitum firmum, atquè tenax, accedat; Sic enim, continuò, in Dei gratiam redibimus, per* CHRISTVM IESVM, *ſermonem illum Dei, qui multò meliora pro nobis loquetur, quàm pro Caino Abel. Illius ſanè gratia, infuſa cœlitus, emolliet pectora noſtra, & animos noſtros; quorum luſtrans, & permeans miras ſolitudines, receſſuſquè, & quaſi ſpeluncas, undiquè auferet ſordes uitiorum noſtrorum; facietquè nobis cor nouum, & ſpiritum nouum; in quo, mundum Deo domicilium conſtituemus; habitabitquè Deus nobiſcum; vt omninò ſimus, etiam pro temporalibus non ſolum pro æternis bonis, melioris ſpei, & firmioris lætitiæ participes. Hoc ſcire oportet, & nullatenùs dubitare, omnium peccatorum radicem eſſe amorem proprium, illum inquàm peruerſum amorem, quo quiſquè ſe, in ſe, & propter ſe amat, & ſuis honoribus ſtudet, & ſuis lucris inhiat, & ſuas voluptates quærit; ne cogitans quidem aliquid de ipſo Deo, ad quem omnes ſancti amores, tanquàm ad primum obiectum & finem, ſunt iure, & meritò referendi. Duo Amores, (dicebat Pater Auguſtinus) fecerunt duas Ciuitates, unam Diaboli, alteram Dei, Amor ſui, Amor Dei; atquè ideo è noſtris cordibus, illum eradicare neceſſe eſt, & pro eo in illis altè inſerere Amorem Dei; Ut ne vitam quidem noſtram, niſi in Dei gloriam diligamus, & ſtudeamus parere Deo, ſeruare præcepta eius; proſpera mundi deſpicientes, aduerſa non formidantes, nunquàm alta ſapientes, de nobis humiliter, de alijs magnificè ſentientes, gaudentes in tribulationibus; abundantes in ieiunijs, in eleemoſynis; Optantes, vt boni, qui iàm in Deo ſunt, in eo perſeuerent, vt mali, qui extra Deum ſunt, in eum tendant, quia extra Deum ſaluari non poſſunt; deniq; ordinantes, & nos, & omnia noſtra ad Dei gloriam, & honorem. Hoc enim intelligitur, & ſignificatur, quum dicunt Sancti, bonos amari in Deo, malos in Deum; omnes deniq; & omnia propter Deum; Sanè verò, ſi hanc iterum formam, quam culpa noſtra amiſimus, Dei dono, & gratia reſumpſerimus; Tunc vere de nobis dicetur, quòd ardenter optamus Fratres Multi configurantur, multi transfigurantur, vos figuris, & eminentiis extrinſecus, niſi ad ædificandos proximos parum intenti de forma intrinſecus toto corde ſolliciti, quia*

 vere

verè deformati eratis, nunc in eandem formam verè reformati eſtis. Eratis tenebræ, lux eſtis in Domino, abluti, ſanctificati, iuſtificati per IESVM CHRISTVM, *cui ſit Laus, & Gloria.*

APPENDIX.

PVLCHERRIMAM HANC CHRISTI FORMAM, *formam formarum; & quaſi ſpiritum ſpirituum, impreſſerat ab initio Deus benedictus, Protoparenti noſtro, vt tanquàm gemmula, ingentem illum coloſſum, qui* CHRISTVS *eſt uita, & moribus, coràm Deo, & Angelis, repreſentaret, exprimeret. Quæ vtinam non antiquo illo peccato, veluti atramenti effuſione, fuiſſet fœdata, & infecta. Vidiſſes ò bone, hominem illum, & in eo noſtrum quemlibet, erga diuinam maieſtatem, religioſum, & pium, in ſeipſo purum, & ſimplicem, iuſtum autem, & æquum ergà omnes proximos. Ecquæ forma, aut pulchrior, aut melior? Quid in ea deſyderari potuiſſet? Nam hæc tria ſunt, circa quæ voluuntur cardines omnium legum, diuinarum, & humanarum. Cultus Dei, propriæ conſcientiæ puritas, & iuſtitia in proximos. Sed heu deformata fuit illa imago. Amor proprius illam fœdauit, corrupit, decolorauit. Inde, enim ortum habuit ſuperbia, inde inobedientia, inde eſus ligni, quod vetuerat illi Deus, inde excuſatio in peccatis, inde mors, inde humani generis captiuitas, & vniuerſæ malorum myriades, quibus obruti ſumus. Vas erat Adam, quod ſummus ille figulus, ſedens ad rotam, dum formare vellet, ex quatuor mundi regionibus, lutum accepit, & finxit. Ob id quatuor in capite literas habet, quæ in lingua græca quatuor orbis terræ partes loquuntur. Itaquè, dum cecidit confractus, & comminutus, nos quoquè omnes, velut ſecum mutua vaſorum confricatione colliſos, reficere oportuit. Quod, & diuina miſericordia factum eſt, Collectis ſanè, & charitatis igne iterum in vnum conflatis uaſis omnibus, per* CHRISTVM IESVM. *Ille refinxit, qui finxerat, ille reformauit, qui formauerat. Iàm ergò propter peccata noſtra denuò fracti, & confracti, denuò non in Adam quidem, ſed in nobis reficiendi, & reformandi ſumus per eundem* CHRISTVM IESVM, *vt quemadmodum deformes, & fœdi, diſplicebamus; ità redditi formoſi, & lucentes placeamus Deo. Sed enim nunc quidem melius eſt incidere in manus Dei, quàm in manus hominum; At verò quum iudicium ſederit, & libri aperti erunt: Horrendum erit incidere in manus eius: terribile eſt Iudicium Dei fratres, nam ne ſtellæ quidem ſunt mundæ, in conſpectu eius: vnde illud. Si lotus fuero quaſi aquis viuis, & fulſerint velut mun-*

diſſima

diſsimæ manus meæ, tamen ſordibus intinges me; Et vox Dei eſt. Quum accepero tempus, non iniuſtitias ſolum, ſed & iuſtitias iudicabo. Si ergò coràm Deo, cuius oculis non placet niſi vnus ille dilectus IESVS CHRISTVS, *propter quod Eccleſia præcatur. Reſpice in faciem* CHRISTI *tui; Si inquàm coràm Deo vera eſſe debet, & legitima reformatio noſtra, adnitendum eſt nobis, vt iterum efficiamur (quòad fieri poteſt) conformes illi imagini filij Dei, quæ ducem, & caput generis noſtri tantoperè decorabat; Vt propitius ſit nobis Deus, propter vnum* CHRISTVM, *in quo ſibi æternum complacuit.*

ADVERSVS MALAS CONSVETVDINES

DEQVE VIRTVTE, ET EFFICACIA DIVINÆ LEGIS, AD OMNES QVANTVMVIS INVETERATOS ABVSVS CORRIGENDOS, ET REFORMANDOS.

SERMO TERTIUS:

EXEVNDVM EST NOBIS DIE HAC TERTIA, *cum noſtris ratibus, in mare, Dilectiſsimi Fratres, in mare altum, infeſtum ventis, procellis & tempeſtatibus fluctuoſum, dicam hæbraicè* ים סוף *ſic enim habet textus linguæ ſanctæ, vbicunq; in tranſlatione noſtra propter arenas rubeas, vertitur Mare Rubrum; nam* סופה *eſt tempeſtas, turbo, inde* סופות *turbines, procellæ, tempeſtates. Fili accedens ad ſeruitutem Dei (inquit Salomon) præpara animam tuam ad tentationem, quæ imminet tibi. Ecquantas tentationes, quantos turbines, & bellorum impetus ſuſtinuerunt filij Iſrael, quum Hyeroſolimam, & templum, quod perfidæ gentes deſtruxerant, ad diuinæ maieſtatis gloriam, & honorem fauente Cyro* CHRISTO *eius ſub Eſdra, & Zorobabele, ſummis conatibus inſtaurare niterentur? Itaq;, dum myſticam noſtram Hyeruſalem, dum Eccleſiam hanc noſtram Botuntinam, ex viuis, & electis lapidibus à Domino ædificatam, à Dæmonibus penè dirutam, renouare incipimus; quid mirum, ſi undiq; nobis intentantur bella, & prælia? Sed benedictus Dominus Deus meus, q. i docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum. Nota (ut puto) eſt vobis vox illa* CHRISTI IESV *Domini noſtri. Nolite putare, quia veni mittere pacem, non veni mittere pacem, ſed gladium. Tempus belli*

Fratres,

Fratres, non iam tempus pacis. Aſpicite, proſpicite, circumſpicite; Caſtra Dei ſunt hic. Eſt hic domus Dei. *Eſt hic porta cæli; ſunt hic vigiles, qui cuſtodiunt ciuitatem fortiſsimi Iſrael. Omnes tenentes gladios, & ad ſpiritualia pro* CHRISTO *bella doctiſsimi. Itaq́ velim, nolim, veſtra me trahit deuotio. O ſanctæ legiones, vobis omnibus accinctis ad prælia, ipſe vnus pacem habere non poſſum. Aduerſus te, perfide, quem immundi habent pro mundo, quem putant eſſe mundum; aduerſus te immundiſsime Munde, in quo nihil eſt mundum, ſed immunda ſunt, & coinquinata omnia; concupiſcentia carnis, concupiſcentia oculorum, ſuperbia vitæ; nam quid aliud eſt in Mundo? Aduerſus te inquam, hodie ego ipſe, cum tantis Dei, & Angelorum legionibus, bella ſuſcipio, quoniam ſexcentis repagulis, atq́ munitiſsimis aggeribus malarum conſuetudinum, quarum tu ipſe es author, & fautor, cum intollerabili prauorum hominum turba veritati muta, rationi cæca, Deo ſtulta, inſolenter te opponis aduerſus reformationem, quam paramus, tàm Laicorum, quàm* Clericorum, *in Eccleſia Sancta Dei. Currite celeres horæ, properate, veſtras hodie metas ſolutò citiùs attingite, vt breui manu, bellum quod indicimus, imſtruamus, geramus, conficiamus; neq́ tempus ſuperſit, quo ſtratus, & profligatus hoſtis, reſurgere, & inſtructa acie, noua aduerſus nos bella parare queat. Durum bellum Fratres, (vt hinc incipiam) aduerſus malas conſuetudines, nam malæ conſuetudini difficilè reſiſtitur, tantum abeſt, vt facilè ſuperetur, quippe quæ, non repentè nata, uel genita, non etiam repentè interit, vel concidit, in ipſam nimirum naturam ità concreta, & coagmentata, ut utraq́ in unum coaluiſſe uideantur. Quàm proni, & procliues ſunt ſenſus hominis ad malum à natiuitate ſua? Nouimus infantiam, pueritiam, adoleſcentiam, cæcas nimium ætates. Furorem iuuentutis iuueniliter in malo exultantem, quis neſciat? Ipſa ſenectus, quæ tota morbus eſt, tanquàm feſſa laboribus ſi quos in bono experta eſt, an non facillimè per ſe ſe, niſi ſuſtinente Deo concidit, in omne malum? Ergò quid eſt tandem homo, corruptione naturæ malus, malis imbutus moribus, & diuturna mali conſuetudine vitiatus, cui temporum interualla nullum remedium adhibuerint, quid inquàm eſt, niſi totus caro, quo nomine nihil deteſtabilius habent ſacræ literæ? Caro eſt ipſa corrupta natura noſtra Fratres, apud Diuum Paulum vna moles, & maſſa peccati, quæ & corpus peccati dicitur. Prudentia autem carnis, eſt ipſa mala corruptæ, vitiatæq́ naturæ conſuetudo, quæ ſibi nimium placens, iudicio, & ratione, contra, omnem veritatem pollere ſe, præſtareq́ putat. Iàm quid dicit Paulus de prudentia carnis? Legi Dei ſubiecta non eſt, neque enim poteſt. Et quidem quomodo fieri poteſt, vt vitia ſubijciantur Deo? vt obediant Deo? vt placeant Deo? Quicquid dixeris, præter ipſa peccata, & vitia; omnia inquàm, quia creata ſunt à Deo, ipſi Deo, ſubiecta ſunt, & Deo in ſuo ge-*

nere placent. At ipſa vitia, & peccata placere non poſſunt, quia nequè à Deo ſunt. Ità, qui in carne ſunt, quouſq; ſecundum prudentiam carnis viuunt, fieri non poteſt, vt Deo placeant. Mutari quidem poſſunt, & ſi mutabuntur, placebunt, at niſi mutentur, nunquàm fiet, vt placeant. Audite porrò Prophetam, de hac ipſa mutatione, quàm difficilis ſit. Si mutare (inquit) poteſt Æthiops pellem ſuam, & Pardus varietates ſuas; ità, & vos poteritis benefacere, quum didiceritis malum. Huc ſpectat, & illa parabola de arboribus. Non poteſt arbor mala fructus bonos facere; nec bona arbor fructus malos facere poteſt. Neq; enim naturas diſtinxit CHRISTVS, *ſed voluntates. Vnà eſt hominis natura, eaq; bona, & à Deo benè condita, Sed benè, & malè aſſueuiſſe, aſſueuiſſe uirtutibus, aſſueuiſſe uitijs, bonam, & malam uoluntatem efficiunt, propter quod altiſſimè ſubiungit. Aut facite arborem bonam, aut facite arborem malam. Quis eſt enim, qui naturam, uel bonam è mala, uel malam è bona facere poſſit? Sed hoc ſignificauit, quod mala conſuetudine male uolentes, & malè operantes, & bona conſuetudine benè uolentes, & benè operantes, in malo, Deo deſerente, in bono, Deo iuuante, efficiamur, indeq; & boni, & mali ſimus, ac dicamur. Scio, uos non ignorare illud, quòd alieni commemorant, & iniquè detorquent aduerſus religionis, & legum profeſſores, pios, & ſanctos; puellam illam ab ineunte ætate ità paulatim aſſueuiſſe uenenis, ut, uel nullatenus, uel uix, nutriretur communi hominum eſca, pane, & uino. Quò ad animum autem pertinet, credo uobis ſufficere catenam illam ferream Diui Auguſtini. Suſpirabam (inquit) ego, ligatus non ferro alieno, ſed mea ferrea uoluntate, nam ex uoluntate peruerſa, libido facta eſt, & dum ſeruitur libidini, facta eſt conſuetudo, & dum conſuetudini non reſiſtitur, facta eſt neceſſitas. In ſcientijs, maximè uerò politioribus, quis eſt, qui neſciat, uſq; adeò conſuetudinem dominari, præſertim hac ætate noſtra, ut etiam doctiſſimi quiq; uiri, tametſi inuiti, ſæpè ſæpius aſſentiantur grammatiſtis, & literatoribus. In moribus, quis dicat, quantum in omni genere inſtitutionis ualeat aſſueuiſſe? educatum eſſe? creuiſſe? adoleuiſſe? & profectò tanta eſt corruptela malæ conſuetudinis, ut ipſos etiam, quos Natura dedit uirtutum igniculos, ſæpè in nobis obruat, & extinguat, gignatq; ſemper, alat, & confirmet ſemina, & radices omnium uitiorum. Violenta illa conſuetudo religionum, & Deorum, quæ non dedecora, & monſtra turpitudinum peperit in uniuerſo orbe? Quis referat quantum laborarit Moſes, adeòq; tota lex, & Prophetæ, ipſeq;* CHRISTVS, *& chorus Apoſtolorum, ut Deos, & aras, oues, & boues, ſacrificia idolorum tollerent ex inueteratis illis, & obſtinatis populorum opinionibus? Naſcente porrò Eccleſia noſtra, conſuetudo ſectarum, & hæreſum, quot, & quanta bella intulit ueritati Chriſtianæ religionis? circa præputij Circumciſionem* ἑμοἐσιον *feſtiuitatem Paſchatis, circa diem Sabbati, eſum*

ſanguinis

ſanguinis, quòad ἰδωλόθυτα, fornicationem? Sed ex Epiſtolis Diui Pauli appa ret, quantum illi negotium fecerint conſuetudines Corynthiorum in celebrandis myſterijs Cenæ Domini. Certè uerò ipſi teſtes ſumus noſtro tempore, & dolemus, ac gemimus, quàm ſæpè uigore conſuetudinis, iacet ueritas, quam ſæpè langueſcit uirtus, quàm amittitur charitas, quàm derelinquitur amicus, CHRISTVS, *Deus. Heu, heù, nulla ferè iam ſcelera, niſi quæ inuſitata ſunt, exhorreſcimus, nam ea, quæ conſuetudo familiaria facit, peccata eſſe uix credimus, quia enim aßiduè ea uidemus, tolleramus, tollerando permittimus, permittendo ipſi quoq; committere non erubeſcimus: ſicq; paulatim dum peccare non pudet, peccaſſe non dolet. Quid? defenduntur peccata, exultamus in peccatis, & ſicut ſcriptum eſt: Laudatur peccator in deſyderijs ſuis, & iniquus benedicitur. His gradibus aſcendimus in cathedram peſtilentiæ, & peccata peccatis augemus, imò & peccare docemus. Quod, quum peccator facit, tum demum in profundum peccatorum uenit, & claudit ſuper eum puteus os ſuum. Tumulus Lazari eſt mala conſuetudo, in qua, qui iacet, & mortuus eſt, & ſepultus, & fœtet, ſpiratq; uiuentibus malam famam, tanquàm odorem teterrimum. Eccè uidetis (ut puto) quanta ſit uis conſuetudinis. Sed non poſſum præterire locum Ciceronis. Suauitatis cauſa peccare ut liceret, impetratum eſt à conſuetudine. An uerò propterea cedendum? fugiendum? terga uertenda? Imò uerò bellandum, & irruendum cominùs in malos mores, eò peiores, quò diuturniores. Idq; agendum eſt, ne temeritatem, inſolentiam, audaciamq; improborum hominum, aut forſan timere, aut certè noſtra patientia accumulare, ueritatem porrò ſcientiam rationem ipſo ſilentio non negligere ſolùm, ſed apertè prodere uideamur. Fugientem è bello, quis non perſequatur etiam inermis? at ſtantem in acie, perſiſtentem, ictus ſuſtinentem, nemo facilè uincet. Quo fugis improbe? ictus, quibus impeteris, inanes ſunt, ſed ſi times, in arcem te recipe. Hæc eſt Arx, quæ inter medios hoſtes ſecurum te, incolumemq; ſeruabit. Veritas, Ratio, Scientia, Lex. Certè paruipendenda eſt quæuis humanarum conſuetudinum machina, quæ militat aduerſus ſcientiam, legem, rationem, ueritatem, etiam ſi ipſa diuturnitatis confirmatione, & robore per incrementa temporis maximas uires accepiſſe uideatur. Quæcunq; ſunt uera, quæcunq; honeſta, quæcunq; iuſta, quæcunq; ſancta, quæcunq; amabilia, quæcunq; bonæ famæ; ſi qua uirtus, ſi qua laus; hæc cogitate inquit Magiſter gentium. Profectò uerò rationis, ſcientiæ, legis ueritatis, eſt hæc diſciplina, non conſuetudinis. Abſit enim, ut cum quibuſdam, qui ſibi ſapientes uideri uolunt, exiſtimemus ex conſuetudine ſtatuendum eſſe, ut unicuiq; illud ſit ſanctum, honeſtum, & iuſtum, quod ſuæ gentis conſuetudo, iuſtum, ſanctum, & honeſtum eſſe probat, & docet. Incommutabilis eſt, Fratres, ratio iuſti, & honeſti, quæ nulla gentium conſuetudine mutari, aut uariari poteſt, eaq; eſt uera, ubiq;,*

& ſem-

& ſemper. Atq; ideò uno ſenſu, una mente, una ratione, & ſcientia eſſe nos oportet, ut per tam multas, diuerſas, & aduerſas populorum conſuetudines, conſtanter diſtinguamus, iudicemus, quid amplecti, quid fugere oporteat, quid ſit uerè pudicum, quid uerè impudicum, quid ſanctum, quid profanum, quid iuſtum, quid iniuſtum, quid honeſtum, quid inhoneſtum, quid reformandum, quid benè, & decorè formatum. An enim in re tanta interroganda eſt conſuetudo? & non potiùs ratio? Etenim, quæ apud unam nationem uirtutis loco habentur, populo alterius conſuetudinis ſunt ſumma flagitia; ſed & apud eundem populum, quod hodie uidetur probum, cras uidebitur improbum, atquè ideò non ſequenda conſuetudo, ſed ratio, ſed lex, ſed ueritas. Et quidem altiſſimè Philo Iudæus. Mulierum (inquit) & debilium eſt niti conſuetudine, quæ facilè (ut ſolent) ueritatem mutant in mendacium. Virorum autem fortium, & prudentium uis, & uirtus eſt ipſa ratio, ipſa ſcientia, ipſa ueritas, quæ eadem eſt, ſemper cælo, terraquè, mariquè. Nemo ueſtrum ignorat uerbum Rachelis ad Iacob. Iuxta conſuetudinem fœminarum, nunc mihi accidit: Sed, & illa uox. Non coutuntur Iudæi Samaritanis; uox eſt muliercule. Videamus autem, & notemus apud inſignem illum virum Paulum Apoſtolum, quantam vim habuerit conſuetudo etiam bona, probanda, probata, collata ad ipſam rationem, ad ipſam ueritatem, ad ipſam ſcientiam. Conſuetudo erat tanti viri in omnibus ſuis ipſius Epiſtolis præfari à proprio nomine, ne doctrina ſuſpecta haberetur. A ſalutatione, vt captaret animos eorum, ad quos ſcribebat; A gratiarum actione, vt vel ipſo principio intelligerent, omnia referenda eſſe in Deum, per CHRISTVM IESVM. Quàm multis laudibus digna Conſuetudo? quàm ſancta, quàm honeſta? Certè, vbiquè hunc tenorem obſeruat; legite, perlegite. Nequè verò (vt de nomine loquar) nequè inquàm ſolum ſuum ipſius nomen inſcribere conſueuit, ſed & munus Apoſtolicum, ad quod vocauerat eum Deus, vbiquè inſigniter efferebat. Paulus Apoſtolus, ut quum audirent gentes, quis eſſet, qui loquebatur, ad ea, quæ ſcribebat, eſſent multò attentiores. Cur ergò ſcripturus Hæbreis, & calamo, & ore, & cogitatione etiam forſan ab omnibus hiſce abſtinuit, niſi, quia ratione, veritatequè docente, intellexit mutandam eſſe illi conſuetudinem, & ſatis indignantibus, non leniter, ſed abrupto ſermone, & ſine vllo exordio incipiendum, quod & fecit præter morem. Adde & illud, nam locuturus longo ſermone de CHRISTO, tanquàm de Pontifice, & Hierarcha, vocaturusq; eum Apoſtolum, incongruum exiſtimauit, vt ſimul cum eo, ipſe ſe ore ſuo Apoſtolum nominaret, qui etiam collatus ad cæteros dicebat. Non ſum dignus vocari Apoſtolus. Sed, & illud tacendum non eſt. Erat in more, apud D. Paulum, vt Apoſtolatum primam in Eccleſia CHRISTI dignitatem eſſe, & diceret, & ſentiret, nam præter alia loca, ille manifeſtiſſimus

ſtiſſimus eſt, Et quoſdam quidem poſuit Deus in Eccleſia, primùm Apoſtolos, ſecundo Prophetas, tertiò Doctores, deindè virtutes; Et tamen cedens conſuetudini, quia ratio cogebat, Epaphroditum, quo ille vtebatur, in miniſterio apud Philippenſes, appellat Apoſtolum, vt ad eos miſſus ad prædicandum verbum Dei, gratius exciperetur, & uberius frutificaret. Neceſſarium (inquit) exiſtimaui, Epaphroditum fratrem, & cooperatorem, & commilitonem meum, veſtrum autem Apoſtolum, vt miniſtrum neceſſitatis meæ mittere ad uos. Sic authoritas, & ratio tanti Apoſtoli præter vniuerſæ Eccleſiæ conſuetudinem induxit, ut in ſummo Apoſtolatus apice ſit CHRISTVS IESVS, ſequantur principes illi, quos ipſe ex Euangelio vocat magnos Apoſtolos. Eſt & ipſe Apoſtolus nihil minus habens cæteris anteceſſoribus ſuis Apoſtolis. Deniquè ipſe etiam Epaphroditus ſuo illo tempore dictus eſt Apoſtolus. Quid, quòd hæc ipſa conſuetudo nominandi tot Apoſtolorum gradus, in Eccleſia ipſa quoquè ſublata eſt; nam nec Petri quidem ſucceſſor dicitur Apoſtolus, ſed Apoſtolicus tantum, ſanè ipſa ratio oſtendit, & veritas ita habet non in omnibus poteſtatibus ſuccedere Romanos Pontifices, Petro, & Apoſtolis, ſed in ea, quæ eſt ligandi, & ſoluendi tantùm, atquè ideò Æquum non eſſe, vt Apoſtoli ſimpliciter tanquàm pares vocentur, ſed tanquàm non nihil minores, dicuntur Apoſtolici. Ite, Ite modò vos conſuetudinarij, & vſquè adeò fauete conſuetudinibus, vt non plus ſemper apud vos valeat Ratio, veritas, ſcientia, lex diuina, ſcriptura ſacra: futurum enim erit, vt interueniente tempore, & inualeſcente conſuetudine, error, tanquàm lex cuſtodiatur, & habeatur nefaſtum pro faſto, & ſacrilegium pro ſacrificio. Profectò verò, quòd & in decretis notatum eſt ex Diuo Auguſtino, CHRISTVS magna ratione dixit, Ego ſum veritas: & non dixit, Ego ſum conſuetudo; manifeſtiſſimè indicans, quod vbi veritas ſe ſe aperit, conſuetudo cedere debeat. Et hic quidem, in hoc verbo CHRISTI, æquum eſt, vt finiamus, & iam mutemus pro pace bellum, nequè enim ipſi bellum dedimus, qui pacem vbiquè quærimus. Mala conſuetudo eſt, quæ bella dedit, iam victa, & profligata, bella rurſus nobis dare non poterit. Victoria planè digna hac populi frequentia, hoc ipſo qui iam canere gliſcit muſico ſacerdotum choro; ſed & digniſſima publicis ſupplicationibus, & gratiarum actionibus, quandò Deus pacis author, per CHRISTVM IESVM dedit, vt bellum victoria, & triumpho clauderetur. Pauca quædam adhuc dicenda reſtant, & deindè vobis templum, forum, cantumq́, Reuerendi Sacerdotes, relinquo, vt in omnibus glorificetis Deum, quia veritas vincit, veritas regnat, veritas imperat. Quæ eſt autem veritas oppoſita malæ conſuetudini? veritas doctrinæ, iuſtitiæ, vitæ, & veritas quidem vitæ ad mores pertinet, omneſq́ idcircò virtutes complectitur, quarum vis, & fundamentum eſt dilectio. Dilige, & fac quod uis, dicebat Sanctus ille Pater, Dilige inquàm Deum in primis, & proximum,

nam

nam qui diligit, legem impleuit. Veritas iuſtitiæ ad ordines, & ad gradus ſpectat, vt omnia ordinata ſint, & vnuſquiſquè onus ſuum portet, nemo alterum ſupergrediatur, quiſquè maneat in ſua vocatione, omnia ſecundum ordinem fiunt ad Reipublicæ ſalutem, & pacem, cui tributum, tributum, cui honorem, honorem, inquit Apoſtolus. Veritas porrò doſtrinæ fidem catholicam comprehendit, extra quam non eſt ſalus. An igitur non ſtatim intelligitis, contra has veritates, vel earum aliquam, nullam eſſe vim malarum conſuetudinum? Ecquantas ſuperſtitiones genuerunt in hac ciuitate malæ conſuetudines? quantas rixas? quantos tumultus? Vincat conſuetudo, tollat, abroget omnem veritatem humanarum legum, at veritatem naturalem, & diuinam tollere, aut abrogare non debet, non poteſt. Sanctum eſt præhonorare veritatem, fratres Dilectiſſimi, ſupra omnem conſuetudinem: Et ſcitis profectò quanta diligentia cauenda ſint omnia ſcandala inter Chriſtianos ex præcepto CHRISTI. *Quid enim potuit dici vehementius, quàm quod dictum eſt? Videte, ne ſcandalizetis vnum ex puſillis iſtis. Unde, & ipſe Apoſtolus tantoperè commotus eſt, aduerſus principem Apoſtolorum, quod ſuo ipſius exemplo gentes cogeret iudaizare. Undè tandem dixit tanto ſerio, Si ſcirem propter eſcam ſcandalizare fratrem meum, non manducarem carnem in æternum, & tamen communi Theologorum ſententia vtilius ſcandalum naſci permittitur, quàm diuina veritas relinquatur. Longè ergò vtilius recedimus ab omni humana conſuetudine, quàm à diuina veritate diuortium faciamus. At qui in omnium ore, & in omnium auribus ſimiliter ſpecioſum eſſe videtur nomen conſuetudinis. Quid ergò dicendum? hoc dicendum, hoc concludendum, hoc ſtatuendum, definiendum: Eas conſuetudines, quæ veræ conſuetudines appellantur, & ſunt, hoc eſt ſecundum rationem, ſecundum ſcientiam, ſecundum veritatem, quas omninò (vt dixit Diuus Auguſtinus) credendum eſt ex vniuerſalibus conſilijs, & ex ipſis etiam Apoſtolis ad nos perueniſſe, eas inquàm, quæ plurimæ ſunt, quis non probet? quis non defendet? quis non obſeruet? Græci* διατάξεις *uocant, hoc eſt Conſtitutiones, Ordinationes Eccleſiaſticas. Hæ omnem uitæ chriſtianæ diſciplinam inſtituunt, omnis generis uirtutes docent, circuunt omnes gradus hominum. Illas ergò tametſi etiam locum ſcripturæ non haberent, quo probarentur, teneri omninò, ſeruariquè, & cuſtodiri inuiolata religione oportet, utpotè à Deo per* CHRISTVM IESVM, *& ſpiritum eius ad continendum in officio, & in pace, tàm Clerum, quàm populum ſapientiſſimè introductas, & temporum ſucceſſione perpetua confirmatas. Neque verò profectò Eccleſiaſticarum conſuetudinum contemptores minori ſeueritate, & rigiditate puniendi ſunt, quàm diuinarum legum præuaricatores. Contra igitur, mala conſuetudo, conſuetudo inquàm, quæ eſt contraria diuinæ ueritati, nam eo ipſo mala eſt, quo huic ueritati contraria eſt, & eò eſt deterior, quò diuturnior. Indigna eſt, quæ hoc ipſo*

titulo, & nomine conſuetudinis, gaudeat in præiudicium bonorum morum, & ordinis, & pacis, atquè ideò ipſius fidei. Dicatur corruptela, dicatur abuſus, dicatur uiolentia, non dicatur conſuetudo. Ideoquè ſi fieri poteſt ſtatim tollatur, ut auferamus tàm graue malum de medio noſtri, & omnis qui audierit, pertimeſcat. Exemplum habetis in Euangelio, nam quum Phariſei illi ſuperciliosi, & ſuperſtitioſi interrogarent CHRISTVM, *cur Diſcipuli eius, illotis manibus, præter communem Iudæorum morem, ad menſam diſcumberent. Sic illos repercuſſit* CHRISTVS. *Quarè & vos transgredimini mandatum Dei, propter traditionem ueſtram? Nam Deus dixit, Honora patrem tuum, & matrem tuam; Vos autem dicitis. Quiſquè dicat patri, & matri munus, quod eſt ex me tibi proderit, & non honorificabit patrem, & matrem ſuam. Et ſcandalizati quidem ſunt Phariſei, audito hoc uerbo ueritatis, quo apertiſſimè tollebatur iniqua, & impia eorum conſuetudo. Sed quid ſubintulit ueritas? Sinite illos, cæci ſunt, & duces cæcorum: omnis plantatio, quam non plantauit Pater meus cæleſtis, eradicabitur. Simile huic illud eſt, quod de Petro Apoſtolorum uertice legimus, nam quum diuino oraculo, quo illi dicebatur. Macta, & Manduca, ille iuxta conſuetudinem reſiſteret; Abſit domine, nunquàm manducaui quicquàm commune; vel immundum; audiuit ad conſuetudinis correctionem. Quod Deus purificauit, tu ne commune dixeris. Itaquè iam perſpicuum factum eſt, quantam uim habere debeat ueritas contrà malas conſuetudines, quòd ſi fortaſſe uim nobis facit mala conſuetudo, & uim faciat conſuetudini ratio, ac ueritas, ut iis uim repellat, & impetus conſuetudinis, quaſi torrentis cuiuſdam procella, atquè tempeſtas, ipſius ueritatis authoritate frangatur, & repreſſus extinguatur. Quod à nobis factum fuiſſe in non paucis fratres Chariſſimi, uobis etiam laudantibus, & probantibus, gaudemus, & lætamur in domino. Eſt autem tertium genus conſuetudinum, quæ non ſunt contra, ſed neque ſecundum rationem ſcientiam, & ueritatem. Et illæ quidem, poſtquàm non contrariantur rationi, ſcientiæ, ueritati, ſi non ſtatim diuturnitatis ratione probandæ ſunt; æquum eſt tamen, ut diſſimulentur, ut ferantur, ut tollerentur aliquanto tempore, ne conſuetudinum mutatio, quantum utilitate adiuuat, tantùm nouitate perturbet. Ferendæ ſunt autem, donec lux maior appareat, rationis, ueritatis, ſcientiæ. Nam, dies dici eructat uerbum. Illa porrò aduentante, & illuminante oculos noſtros, de illis diſponendum eſt pro Dei gloria, & eccleſiæ ædificatione; quod, & ipſi in multis fecimus, (ut ſcitis). Huc enim illud mihi ſpectare uidetur, quod dixit Apoſtolus ad Corynthios. Cætera cùm uenero, diſponam. Hæc, quum ità habeant ex ratione, ex ſcriptura, adeo què etiam ex ipſa natura; miror, & uehementer miror, cur homines malè educati, & malis moribus aſſueti, ex ui ſolius conſuetudinis non intelligentes, quæ loquuntur, neque de quibus affirment, bellum tàm immane, tàm horrificum,*

tàm nefarium, & omni imbutum odio, quotidie indicant ipſi religioni, cuius incrementum dies, & noctes molimur. Vos iàm rem tenetis, ne moueamini, ſed abſoluite me bello, pacem ipſi poſſidete ſecuri: nam rediuiua bella conſuetudinum, audito poſt hac nomine rationis, & ueritatis, ſolo terrore ruent.

SEQVVNTVR CANONES.

SICVT CONSVETVDO DICENDI, NON EST *uſus linguæ, quorumuis hominum, etiam ſi quàmplurimi ſint, ſed eruditorum, qui pauci ſunt; Ità conſuetudo uiuendi, non eſt vſus agendi, & tractandi, vel omnium, vel multorum hominum, ſed bonorum, & piorum dumtaxat, qui ſecundum Deum uiuunt, ut propterea in turba, & populo (exemplum enim afferendum eſt unum) illi, qui coniugium ità ſuſcipiunt, ut Deum (ſicut ſcriptum eſt in ſacris literis) à ſe, & à ſua mente excludant, & ſuæ libidini uacent, ſicut equus, & mulus, quibus non eſt intellectus, etiam ſi ſeptem ſint (hoc enim numero uniuerſitas ſignificari ſolet) conſuetudinem omninò non faciant, nam Dæmonium habet poteſtatem ſuper eos. Contrà illa eſt conſuetudo, quam Angelus Raphael docuit iuniorem Tobiam, tametſi non ignoramus, eam apud pauciſſimos eſſe in uſu. Tu (inquit) quum acceperis Sarram uxorem tuam, ingreſſus cubiculum per tres dies continens eſto ab ea, & nihil aliud facies, niſi quòd orationibus uacabis cum ea, ipſa autem nocte incenſo iecore piſcis fugabitur Dæmonium, ſecunda nocte in copulatione Sanctorum Patriarcharum admitteris; tertia conſequetis benedictionem à Deo, ut ex uobis filij prò creentur incolumes; tranſacta autem tertia nocte, accipies uirginem cum timore Domini, amore filiorum, magis, quàm libidine ductus. De qua re ſermo erit, quum dicemus De uſu, & Adminiſtratione Sacramenti Matrimonij.*

PROPOSITIO *illa uulgata: Conſuetudo eſt optima legum interpres, non eſt minus falſa, quàm famoſa; ſi trahatur ad leges diuinas, ueriſſima autem eſt in legibus humanis, quas poſitiuas uocant, quippè quia huiuſmodi leges, tum uim habere incipiunt, quum promulgatæ ad utilitatem populi moribus ſubditorum approbari uidentur. Itaquè non eſt mirum, ſi aduerſus illas interdum pro populorum ſalute militat conſuetudo. Non ſic lex diuina, non ſic; contra illam enim non eſt præſcriptio, atquè ideò neque allegari poteſt conſuetudo, aut mos hominum, ſanè quicquid contra illam eſt, corruptela eſt, mos non eſt, nefas eſt; Accipite exemplum, Diuina lege ſancitum eſt, quòd Sacerdos benedicat Regem, non Rex Sacerdotem. Nitantur Hæreticorum ſuaſu ſummi Reges arrogare ſibi hoc munus, arrogent, tentent benedicere, conſecrare, & ſanctifi-*

care,

care, duret hæc corruptela annos, luſtra, ſæcula, nihil unquàm efficient; Cælum, & terra tranſibunt. Verbum Dei nunquàm præteribit, hoc inquàm uerbum: Maior eſt qui benedicit, quàm qui benedicitur.

ADDENDVM *eſt hoc, nam in omni lege poſitiua, quæ digna ſit hoc ipſo ſancto nomine legis, hoc eſt in omni lege iuſta, & honeſta, ſemper aliquid includitur, quod ad ius diuinum, & naturale pertinet, hoc inquàm ſaltem, quod expedit hominem legibus regulari, & inferiores obedire ſuperioribus; quia, qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit. Idcircò ne conſuetudo quidem antiquiſſima, in totum, & ex toto interpretari poteſt leges humanas ſimpliciter, ſed nunc iſtas, nunc illas, at ſemper aduerſus conſuetudinem præualebit etiam lex humana, uirtute illius, quod (ut dictum eſt) includitur in omnibus humanis legibus, & pertinet ad ius diuinum, & naturale, ut omninò uerum ſit legem etiam humanam ſimpliciter eſſe potentiorem ipſa conſuetudine, tametſi non hanc, uel eam legem.*

QVOD *paſſim iactari ſolet: Communis error facit ius, intelligendum eſt in hoc ſenſu, quod magno iure Prælati, & Principes ſæpè condeſcendunt multitudini aſſuetæ pluribus erroribus, quos ſi non permitterent, uel tolerarent, eſſent crimina, digna mulctatione, ut potè contra ius etiam diuinum. Indicat Moſes; qui ob duritiam cordis Iudæorum, permiſit libellum repudij: quo factum eſt, ut inter Iudæos leuiſſimis de cauſis, uir ſæpè dimitteret uxorem. Vnde illa quæſtio Phariſæorum, interpellantium* CHRISTVM IESVM *dominum noſtrum, ſi licet homini dimittere uxorem quacunquè ex cauſa. Reſponſio autem* CHRISTI *nota eſt, quæ mirum quàm detrahat conſuetudini, & quam tribuat iuri. Ab initio (inquit) non fuit ſic, ſcriptum eſt enim. Quos Deus coniunxit, homo non ſeparet. Fregit autem omnes uires, & neruos illius malæ conſuetudinis Iudæorum, quum ſubintulit legem, Dico autem uobis, quòd quicunquè dimiſerit uxorem ſuam, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur: & qui dimiſſam duxerit, mœchatur.*

ET *quidem utilius quandoquè aliqua mala tolerantur, quàm prohibentur, vel puniuntur, ſicut ex Euangelio apparet, Vbi dicitur de Zizaniis, & Tritico. Sinite vtraquè creſcere vſquè ad tempus meſſis, ne forte euellentes Zizaniam, eradicetis ſimul & triticum; Vbi enim abſquè maioris damni periculo, nequè corrigi, nequè extirpari poſſunt mala quædam, non ſolùm expedit, ſed oportet ea diſſimulare ad tempus, quanquàm circunſtantias, Quandò, vbi, cui, difficile eſt ſemper, aliquandò autem, & impoſſibile generali ſermone definire, quod propterea relinquitur arbitrio ſuperioris, qui eſt lex viua, ſi modò non innitatur prudentiæ ſuæ, ſed diuinæ, quam pijs orationibus primùm impetrare debet, iuxta illud. Si quis indiget ſapientia, poſtulet à Deo, in fide nihil hæſitans. Tum diligenti ſtudio non tàm Philoſophiæ moralis, quàm ſacrarum*

crarum literarum, in quibus ſunt veritates firmæ, & ſtabiles, quæ nituntur fundamentis æternis legis diuinæ.

HAEC diſsimulatio, aut etiam diſpenſatio Prælatorum, quæ nihil aliud eſt, quàm iuris communis relaxatio, aut mitigatio quædam circa particulares caſus, & ſingulares aliquas perſonas reuerenter ſuſcipienda eſt, & benignè ab omnibus interpretanda, non vt præiudicium faciat legibus, vel canonibus, non vt inducat conſuetudinem contra legem, non vt ſit contra veritatem, ſed pro veritate, non vt ſit in deſtructionem, ſed in ædificationem.

ATQVE ideò, quum tandem Prælatus uidet per huiuſmodi diſsimulationes, & diſpenſationes abrogari vim legum, maximè diuinarum, & populos abuti indulgentia Eccleſiaſticæ poteſtatis, debet ad eruditionem ſubditorum eas tollere, & non obſtante conſuetudine, præcipere, vt in futurum obſeruentur leges, & iura, modo quo ſupra dictum eſt, Innixus apoſtolico verbo. Non poſſumus aliquid aduerſus veritatem, ſed pro ueritate, & poteſtas ueſtra eſt in ædificationem, non in deſtructionem, nam & Deus ipſe benedictus in ueteri teſtamento multa indulſerat, quæ adueniente tempore correctionis (ut utar uerbo Pauli) uetita ſunt, quanquàm diuturna multorum temporum conſuetudine, uim legis obtinuiſſent, & iuſtitiæ palàm, atquè etiam iuſtificationes dicerentur. Commune eſt enim legibus, ut quum in prætorium quidpiam indulgent in futurum prohibeant.

ABSIT autem, ut inter homines illud, quod non ratione primùm, ſed errore introductum eſt, deinde uerò in uſum ueniens, conſuetudinis nomen, & uim obtinuiſſe uidetur; abſit inquàm, ut tanquàm conſuetudo recipiendum ſit, & firmandum, ſed ad principium reuocandum eſt, ut tanquàm ab initio erratum corrigatur, & emendetur in melius.

ILLVD deniquè antè oculos habendum eſt, quod etiam luculenter notatum fuit in uirorum prudentum ſenatuſconſultis: Diuturnam conſuetudinem pro lege, & iure habendam eſſe, in iis, quæ non ex ſcripto deſcendunt, at ubi ſcriptæ ſunt leges, ſicut non eſt faciendum contra legem, ut id fiat, quod lex prohibet, ſic non eſt facienda fraus legi, ut ex uerbis legis arguatur contra ſententiam legis, & illud fiat, quod fieri quidem noluit, ac forſan expreſsè non uetuit, ne fieret.

IN ambiguitatibus autem, quæ ex uerbis legis proficiſcuntur, conſuetudo; aut rerum, quæ perpetuò ſimiliter iudicatæ ſunt, authoritas, uim legis obtinet; ſed, ubi non eſt ambiguitas in lege, & patet ex uerbis intentio legis, & legiſlatoris, ut in præceptis, quæ diuina lege continentur, non poteſt ulla ratione ſe ingerere conſuetudo, ut præiudicium afferat legi. Inde illud etiam in iure ciuili. Minime mutanda, quæ interpretationem certam ſemper habuerunt.

ET humanas quidem leges, pro neceſsitatibus, & rationibus temporum

mutandas eſſe, nouum non eſt, ſi quidem ſeruiunt pro tempore, non pro æternitate. Extat enim in decretis canon pulcherrimus ex Epiſtola Artaxerſis ad totas Perſidis prouincias, quæ ſcripta eſt in fine libri Heſter, ubi hæc uerba leguntur. Nec putare debetis, ſi diuerſa iubeamus ex animi noſtri leuitate uenire, ſed pro qualitate, & neceſſitate temporum, ut Reipublicæ poſſit utilitas, ferre ſententiam. At uerò leges, quæ ab ipſo Deo dantur hominibus ad æternam ſalutem, per bonorum operum merita comparandam, neceſſe non eſt, ut pro ratione temporum mutari debeant, ſed æternum eædem perſeuerant ſemper. Has leges in uiſitatione, & reformatione Eccleſiæ noſtræ ipſi reſpicimus, ad has leges oculos noſtros derigimus, ut ſecundum quas à maioribus noſtris, in fide, & bonis moribus, formata, inſtitutaq; fuit, ſecundum eas ipſas, non ſecundum alias reſtituatur, & reformetur. Profectò uerò ſola lex diuina eſt conſtans, immutabiliſq; uoluntas, atq; ideò ſola digna, quæ uocetur lex ſimpliciter. Quæ eſt autem uoluntas Dei, niſi ſanctificatio noſtra? Sancti eſtote (inquit) quia ego ſanctus ſum. Unde & D. Paulus titulo ſanctitatis ornat omnes Chriſtianos. Non enim uocauit nos Deus in immundiciam (inquit) ſed in ſanctificationem, ut unuſquiſq; diligat fratrem ſuum, ſicut ſeipſum; ut unuſquiſq; poſſideat uas ſuum in ſanctificatione, & honore, ut unuſquiſq; maneat in uocatione, in qua uocatus eſt, ut unuſquiſq; ad miniſtret gratiam ſuam in alterum, ut nemo ſupergrediatur, aut circumueniat fratrem ſuum. Aduerſus has Sanctiſſimas, & æquiſſimas leges nullam uim habitura eſt in uiſitatione, & reformatione Eccleſiæ noſtræ conſuetudo. Hoc ſcitote omnes, hoc credite, hoc certum habete.

SERMO AD CLAVDENDAM SYNODVM, AEDICENDASQVE ET PVBLICANDAS, PRO REFORMATIONE CLERI, ET POPVLI Botuntini, Conſtitutiones Synodales.

HÆC DIES BONI OMINIS EST, QVA *inter labra, & vindemias, inter uuas, & torcularia, muſtulenti toti, lætiq; & hilares, ſublata in altum Crucis inſignia, &* CHRISTVM *ipſum pro nobis in Cruce exaltatum Magneſij lapidis inſtar omnia ad ſe trahentem piè ſanctèq; colimus & celebramus. Itaquè iure ſuo inuitare, & admonere uidetur, ut in altum me rapiens copioſo ſermone diſſeram de ipſa Cruce, de Crucis magno myſterio, deq; perenni ipſius Crucifixi* IESV CHRISTI *gloria, ex qua ingenti miraculo ſic omnis Chriſtianorum mæror, ac luctus in ſpe præter ſpem illo ſemper uincenti, cui ipſi etiam hoſtes clamant uelut perterriti* νενικηκας, γαλιλεις *mutatur in gaudium, ſicut filijs Iſrael inter deſerta ſolitudinis itinera & peregrinationes Marath fluuius ex amaro, factus eſt potabilis. Ecquam optandum eſſet, ut in hanc ipſam* CHRISTI *Crucem mundo quidem ſycomorum, hoc eſt ficum fatuam, ſed ipſi Deo uictricem Palmam nobis omnibus liceret aſcendere, & colligere fructus eius. Fortaſsè Crucifixo iuuante, antequàm Sermonem perorando clauderemus, quiſq; noſtrum diceret, Bonum eſt nos in Cruce eſſe, melius immorati, optimum immori. Sed enim impedimento mihi eſt, & ſublimes haſce cogitationes meas remoratur ſacroſancta hæc & longè omnium amabiliſſima congregatio ſynodalis tàm diù à nobis deſyderata, tàm ſæpè concepta, & deliberata tanta neceſſitate ad multum tempus ſuſpenſa, nunc demum in ſpe præter ſpem ſingulari quodam Dei beneficio, ueſtroq; egregio labore ac ſtudio in unum coacta, finienda, perficienda. Vrget (ut uerum dicam) Synodalis*

nodalis his ueſter conuentus, ut hac ipſa die menſis Vindemiatorij ſecundo ſeptima, duplici benedictione ſanctificanda; qua dum concelebrat, & Crucem, & Virginem, aureo quodam circulo claudit uniuerſum negotium humanæ ſalutis, quod naſcente Virgine accepit exordium, & cui Deus in CHRISTO *per Crucem impoſuit ſupremam manum: urget (inquàm) cogit, impellit, terribilis hæc caſtrorum ueſtrorum acies ordinata, ut ſepoſitis myſterijs, quæ ad apices Theologiæ pertinent, & ad ſapientiam, quæ trahitur de occultis, illam ipſam Theologiam aggrediamur, quæ introducta eſt iàm in domos; quæ in oculis pœnè omnium uerſatur, cuius finis non tàm eſt ſcire, quàm operare, non tàm credere, quàm facere, deniq; cuius omnis làus, non in ſoliuaga contemplatione, ſed in uirtutis exercitio, & in ipſa actione conſiſtit. Dignum eſt certè, ut in conſpectu ipſius ſynodi loquamur quæ congrua ſunt ſynodo, & quæ incongruum eſt prætcrire ſynodum. Neq; tamen diuertemus ex toto à ſigno Sanctiſſimæ Crucis, quod tanquàm maxime ſynodale in illa magna non œcumenica ſolùm, ſed uerè generali & uniuerſali ſynodo, quum* CHRISTVS IESVS *ad iudicandum uenerit, & congregabuntur ante eum omnes gentes, apparebit in cœlo amandum pijs, impijs formidandum. O' Crux, ò Crux, Crux Dei uirtus,* CHRISTI *laus, ſacerdotum gloria, Epiſcoporum inſigne, Synodorum uexillus, Eccleſiæ ſanctæ triumphus, & deniq; Chriſtianorum omnium ſalus & uita. Ex ipſius Sanctiſſimæ Crucis uelut torcularibus, Fratres expreſſus eſt ſanguis* CHRISTI, *uinum illud myſticum, quo in Euangelio ſanantur uulnera ſauciati, quo in Prophetis lauantur ſordes uitiorum noſtrorum. Ecquæ nam eſt muſti huius, muſti purpurei muſti dulciſſimi.*

Quale nec Hybla uirens carpſit, nec palmite Lesbos;
Hæc Chios ipſa tulit.

QVAE *nam inquàm eſt cella uinaria, niſi Eccleſia Sancta Dei, immenſo quodam uoluptatis torrente exuberans & redundans, cuius eſt illa uox, Bibite & inebriamini chariſſimi? Nos porrò ſacerdotes, præſertim in ſynodo, hoc eſt non ſinguli, ſed omnes Vinitores ſumus, quibus ipſa uindemia, ipſum inquàm negotium totius humanæ Salutis creditum, commiſſumq; eſt. An ignoratis. Doctores inter multas illas configurationes ſtellarum, extare & pulcherrimum quoddam uindemiatoris ſydus in cœlo?* CHRISTVS *uerò noſter non ſe nominat uitem? An uerò non eſt. Deus ipſe uitiſator? qui etiam in Theologia ſymbolica Agricola dicitur?*

Innumeras ſub ſole ferens miro ordine uites?
Atquè immortales diuino nectare cellas
Æternum replens?

EIA, *Fratres, (ut ſynodalem ſermonem iàm incipiamus) quàm magna in nos fuit beneuolentia, & charitas ipſius Dei, qui nobis credidit ipſam Cru-*

 cem,

cem, ipſos clauos, ipſam lanceam, imò uerò illũm ipſum totum IESVM CHRISTVM *crucifixum, carnes ſanctiſsimas, ſanguinem pretioſiſsimum, animam puriſsimam, omnisq́ contagionis expertem; quin & diuinitatem ipſam omnia ſanctificantem, expiantem, regentem, continentem, creantem. Quis hæc referat? Quis hæc explicet? lingua cœlorum Paulus Apoſtolus, quum magno iudicio, atq́ prudentia Iudæorum gloriam efferre cuperet, ne præputiatæ gentis oleaſtri ſylueſtres illæ plantationes extollerentur aduerſus domeſticam oleam, aduerſus ſanctam radicem Circuncifionis, nihil habere ſibi uiſus eſt fortiùs atq́ uehementiùs quàm illud, Quorum eſt adoptio filiorum Dei, & gloria, & teſtamentum & legiſlatio, & promiſſa, & eloquia, & Patres, ex quibus* CHRISTVS *eſt ſecundum carnem. Quàm multò eſt potentius & euidentiùs uniuerſæ quidem Chriſtianæ gentis, ſed ante omnia nobilitatis & gloriæ ſacerdotalis argumentum illud, quod Tropheum illud inſigne Crucis* CHRISTI, *quod ille ipſe* CHRISTI *Crucifixi triumphus, quin & triumphator ipſe* CHRISTVS *& tota panoplia qua triumphauit, & bella quæ confecit, & fortis armatus quem deuicit, & ſpolia quæ rapuit, & mundus quem redemit, & pax quam dedit terris & fœdus quod percuſsit cum hominibus, & ruinæ quas inſtaurauit Angelis, & gloria quam reſtituit ipſi Deo: Omnia, Omnia quæ ad nouum teſtamentum pertinent, Omnia quæ ſpectant ad ipſam ſanctam Eccleſiam, pro qua Crucifixus eſt* CHRISTVS, *ſacra ſacrificia, ſacramenta, uirtutes, dona, gratiæ, Euangelium, lex tota, ſcriptura, prophetia, doctrina, præcepta, promiſſa, merita, præmia; Omnia inquàm & ſingula nobis tradita per* CHRISTVM IESVM *ſunt iàm in noſtris manibus, commiſſa noſtræ fidei; noſtræ authoritati, noſtro muneri, noſtræ diſpenſationi. O Regale ſacerdotium, immo uerò, O Regnum ſacerdotij, O ſacrum principatum, O Maieſtatem, O apicem, O culmen uniuerſæ dignitatis ſacerdotalis. Non eſt hoc ſacerdotium noſtrum ex Aarone deſcendens, non ex Abraamo, non ex Melchiſedech, non ex Noe, non ex Abele, qui non niſi dum uiuerent ſacerdotij Iure & munere fungebantur. Idcirco enim plures facti ſunt ſacerdotes, quia morte prohibebantur, ne in æternum manerent, ſed ex ipſo* CHRISTO *originem habet, cuius eò quod in æternum maneat, ſempiternum eſt ſacerdotium. Ille eſt ſacerdos magnus, qui etiam in nobis uiuens per nos uelut ſecundos ſacerdotes, ſuos cooperarios, ſuos coadiutores, ſacrificat, conſecrat, benedicit, offert, baptizat, confirmat, lauat, ungit, cibat, potat pane, uino, hoc eſt corpore & ſanguine ſuo. Quid? Etiam in ipſis cœlis ad dexteram Dei ſedens, nunc, & uſq́ ad conſummationem ſæculi in ſe ipſo quoq́ ſacerdotem agit, & ſacerdotio fungitur* CHRISTVS IESVS. *Nimirum dum ad Patrem, ſicut ſcriptum eſt, interpellat pro nobis. Ecquid eſt interpellat pro nobis? non cum cæteris ſanctis oratorem, ſed præ cæteris ſolus Sanctus aduocatum agit, magnos illos diuini furoris impetus, & ad-*

uerſus nos in dies magis, ac magis intumeſcentes fluctus irarum admirabiliter frangens, & cohibens; oppoſitus uultui iræ Dei iuſtitiæ ſuæ uelut repagulis atq; aggeribus, quorum magna moles, multò eſt grauior uniuerſa arena maris. Ecquis ſacerdos uel legis, uel ante legem huic noſtro ſacerdoti, & ipſius uniuerſi ſacerdotij anteſignano comparari poßit? Quàm aptè hoc loco quadrat Paulina illa ſententia, umbram habens futurorum bonorum; nam uerè ſacerdotium uetus umbra erat: nouum ſiquidem non eſt umbra ſed lux, ſed ipſa uera ſacerdotis imago, ſed ipſa ſacerdotij ueritas, ſed ipſum ſacerdotij & ſacerdotis exemplar. In eo erant nubes, in noſtro eſt ſol; & ſol ſolis. Habebant ſacerdotes illi ſuos agnos, ſuos panes, ſua uina, quæ offerrent: ſed agnos morituros, ſed panes deficientes, ſed uina ſpumantia, non defæcata. Agnus uerò noſter; qui & ſemel ſuſtulit, & quotidiè tollit peccata mundi, iàm non moritur, tàm etſi adhuc uidetur, tanquàm occiſus in altare. Panis noſter in ſe non deficit; quanquàm nos reficit, quum deſcendit de cælo & dat uitam mundo. Vinum calicis noſtri non deſpumat in libidinem, ſed germinat uirginitatem; quia inebriat ad diuinum amorem. O Calix, O Calix inebrians quàm præclarus es. Ecquis iam non dicat Calicem ſalutaris accipiam? Gloriare ſacerdos quicunq; es, Gloriare, ſed in domino; Funes ceciderunt tibi in præclaris. O ſi ſcires donum Dei. Ego in patre inquit CHRISTVS, & Pater in me eſt, haud dubiè uerò ubi Pater, ibi eſt & filius, ibi eſt & Spiritus Sanctus. An uerò inde abeſſe poſſunt illa millia millium, quæ miniſtrant? Illa decies centena millium, quæ aßiſtunt Sanctißimæ Trinitati, & irrequieta uoce canunt τρισάγιον Sanctus, Sanctus, Sanctus? Ergo quanta luce putatis, quanto ſplendore, quanta maieſtate, dicam proprie (O uiri nobiles, O conciues) quanta diuinitate fulgere, & illuſtrari exiſtimatis ſacerdotes hoſce ueſtros; dum ſacra faciunt dum altari aßiſtunt, dum λειτουργίαν celebrant, poſiti uelut in medio Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, circunfuſi ex omni latere tantis angelorum agminibus, tantis flammis, tantis ignibus, quorum ſplendores incredibiliter exuperant omnes gemmas, omnes ſtellas, ſexcentos, ſi tot eſſent in mundo, ſoles. Certè ſi uidere liceret non magis ſplendet CHRISTVS in cælo, quàm in altari; non minus radiat in manu ſacerdotis, quàm in ſinu Dei patris. O admirandam igitur, Illuſtißimam, Sereniſsimamq;, & (ut dicam breuiter) uerè diuinam Chriſtiani Sacerdotis dignitatem. Tantæ porrò dignitatis, & maieſtatis quanta eſt poteſtas? quanta? quanta? Audite omnes & obſtupeſcite. Vbi frumentum commune agrorum ueſtrorum attriuerit molitura, ubi eam frumenti medullam Piſtor aqua conſperſerit, coagmentauerit, in leuem maſſam, azimam, niueamq; placentulam formauerit, impreſſerit formam orbicularem exigui panis, ſi quid eſt in ea uitioſum amputauerit forfice; coxerit lentis ignibus coctum libamen ac tulerit ſacerdoti. Sacerdos ſtans ad aram, inter labra manusq; &

animum verſans candidum libum, ex eo (ſi velit) dicto citius per ipſam uirtutem omnipotentis Noſtri Dei, quò factū eſt cælum, & terra; conficit uiuam carnem, & uiuum ſanguinem. Ecquam carnem? Ecquem ſanguinem? non ſuum non cuius uis alterius communis hominis, ſed CHRISTI IESV. Illius CHRISTI IESV, qui in principio, & ante ſæcula erat uerbum, etiam mille quingentis annis fuit, & modo eſt, ſemperq́; erit uerbum caro factum: Quis ſapiens rei tantæ modum explicet? Imò uerò quis ſapiens rem tantam intelligat? Quæ agricolatio eſt hæc? Quæ natura? Quæ ars? Quæ occulta mutandi, conuertendi (dicendum eſt Theologicè) tranſubſtantiandi philoſophia? Sed hoc ſit vobis ſatis. Diuina eſt dignitas, diuina eſt poteſtas. Si diuina diſcutere, & examinare animus eſt, Mementote primum uos eſſe homines, & deinde ſcitote, quod incredibile eſt rationi humanæ, iam perſuaſum eſſe uniuerſo orbi authoritate diuina. Verbum ſanè Dei fuit illud ad ſacerdotes, Hoc facite, Hoc inquàm facite quod ego feci. Ille uerò hoc fecerat, panem mutauerat in carnem ſuam, uinum mutauerat in Cruorem ſuum. Panem, dicens, Hoc eſt corpus meum, Vinum, dicens, Hic eſt ſanguis meus; nam dicere Dei facere eſt. Idipſum ergo facit ſacerdos miniſter CHRISTI verbis CHRISTI, intentione CHRISTI, Ecquæ poteſtas cogitari poteſt non dicam maior, ſed tanta, quanta hæc eſt, quæ data fuit ſacerdotibus CHRISTI, ab ipſo CHRISTO? Benigniſſime CHRISTE, Unde hoc mihi? Unde hoc mihi? qui ſum puluis, & cinis, pulex uiuus, & canis mortuus, in peccatis totus natus, & altus, qui de immundo conceptus ſemine bibo ſicut aquam iniquitatem, cuius omnes ſenſus ſunt proni ad malum, qui nomen fortaſſe habeo, quod uiuam, & mortuus ſum. Vnde (inquàm) hoc mihi, hoc tàm regale & venerabile donum, ut quem cum cæteris rebus de nihilo creaſti, quem cum omnibus hominibus precioſo illo tuo ſanguine redemiſti, tandem ſupra ipſos etiam Angelos, & ſupra tàm multos homines dilectos ſuos, ſacerdotali munere exornare volueris, ſacerdotio inſtitueris, ad ſancta tua altaria uocaueris, elegeris, præfeceris, ut maieſtati tuæ pro peccatis meis, & populi, offeram in ſpecie ſibi, & potus, eam ipſam uictimam ſemper uiuentem; quam tu ipſe ſemel per ſpiritum tuum in propria ſpecie ſacrificaſti ad mortem; carnem nimirum tuam, Oſſa tua, Cruorem tuum, ſpiritus tuos, animam tuam. Unde hoc mihi, Unde hoc mihi, quod dum ad aras tibi ſacra facio dum miniſterio fungor vicis meæ nunquàm me proieceris à facie tua, nunquàm mihi dixeris quod ſemel tamen ſanctæ illi mulieri dixiſti? Noli me tangere, Immò verò non arbitraris me indignum, quùm Ioannes ille præcurſor tuus, quo nemo unquam ſurrexit maior uix auderet ſanctum tuum tangere uerticem, ut ipſe miſer peccator te totum mente uideam, genu adorem, contrectem manu, lambam oſculo, quin & te totum ſuſcipiam (ò Infœlix) & penè ſepeliam intra uiſcera

ſcera

ſcera mea. Ecq́ viſcera? tetra, putrida, fetentia, plena cadaueribus mortuorum, quum tu alioquin O Bone IESV *munditiæ amator perpetuus etiam mortuus ſepeliri volueris in tumulo, in quo nondum quiſquam poſitus fuerat. Expergiſcere, Expergiſcere hic ſacerdos ſi dormis, Imò uerò Expergiſcere tota quæ in his ſubſellijs ſedes corona ſacerdotum, ut quam humiliter interrogās ex grandæua illa anu. Unde hoc mihi? fideliter quoq́ ex ſapientiſſimo pſalte reſpondeas, Paraſti in dulcedine tua pauperi Deus, non iactans inquàm merita tua, ſed cognoſcens dulcedinem benignitatis ſuæ, quæ tanta eſt, ut quanta ſit definiri non poſſit, niſi quis dixerit quod infinita ſit. Vos porrò qui inter ſacerdotes non eſtis, ſed inter populum ſanctum Dei, gaudete (ſi ſapitis) in ſinu veſtro. Nam vobis non nobis ipſi in tantam dignitatem, ſublimitatem, poteſtatemq́ euecti ſumus. Humanum genus eſt ille pauper ille olim mendicus, nunc in* CHRISTO *diues locupletatus, & nullius egens, cui Deus benedictus in dulcedine miſericordiæ ſuæ, benignitatis ſuæ præparauit hanc gratiam, hanc tantam & penè incredibilem Chriſtiani Sacerdotij dignitatem, ut nos caro ueſtra, & ſanguis veſter, os de oſſibus, & caro de carne, homines, & filij, & fratres hominum, ex hominibus aſſumpti, pro hominibus conſtituti ad placandum, reconciliandumq́ Deum humano generi, Offeramus ſacra, & ſacrificia pro omnibus & ſingulis hominibus. Inde poſt eam quæ reſpicit corpus* CHRISTI *verum, manauit illa alia tanta poteſtas, & authoritas iudiciaria, atq́ arbitraria ſuper corpus* CHRISTI *myſticum quod eſt Eccleſiæ. Vt quorum Sacerdos peccata remiſerit, verè remiſſa, quorum retinuerit, verè retenta ſint in conſpectu Dei. Dicite, Dicite omnes vos Laici Io triumphe, Io triumphe. Benedictus* CHRISTVS IESVS, *Benedicta Crux, benedictus ille in Cruce Chriſti triumphus, unde tanta fluxerunt merita, vt Deus dederit talem, & tantam poteſtatem hominibus idq́ in gratiam aliorum hominum. Nos ſacerdotes non ſumus noſtri (Popule meus) ſed ſumus veſtri, veſtri Paſtores, veſtri Patres, ueſtri pædagogi, veſtri nutritij, veſtri ex charitate ſerui & miniſtri, Vobis uigilamus, uobis laboramus, pro vobis Zelamus, Oramus, dolemus, angimur, affligimur, urimur, ſollicitamur in ijs, quæ ad Deum ſunt ut inquit Apoſtolus. Hoc eſt in negotijs in cauſis, quæ verſantur inter Deum, & hominem in peccatis, in bonis operibus, in virtutibus, in meritis, in demeritis. Hoc planè eſt diuinum, & humanum negotium, in quo verſatur tota hominis vita, quæ omnino nihil aliud eſt vſq́ ad finem ſæculi, quàm mera negotiatio. Negotiatio inquàm diuinæ gratiæ cum libero arbitrio hominis, & liberi arbitrij hominis cum ipſa diuina gratia, Iuxta illud, Negotiamini dum venio. Vultis ſcire quæ nam eſt ſumma negotij? Deus dat uobis talenta ſua, & requirit à nobis induſtriam noſtram, vt ſi fideliter, & prudenter egerimus, & lucrati fuerimus alia talenta, iudicante Deo, conſequa-*

mur pro bene geſtis uitam æternam. Si uerò tanquàm infideles, & imprudentes ſerui, uentri indulgentes, & otio in uanum recipientes Dei gratiam, & talenta manibus vacuis apparuerimus in conſpectu eius: ſtatim coijciemur in ignem æternum Angelis & hominibus probantibus diuinam ſententiam. Intelligitis? Hoc autem iàm apertè dicendum eſt vobis Sacerdotes. In hoc negotio Deus conſtituit nos, nos inquàm, qui ad decorem, & gloriam illius perſonæ, quam ſuſtinemus, Crucis cornua, & radios. (O quàm forsàm indignè) in fronte portamus, tanquàm ſequeſtres, tanquàm aduocatos, dicam audacter, & intercedendo, & docendo & quomodolibet adiuuando tanquàm mediatores, & usq; adeò mediatores ut etiam in die Iudicij coràm uniuerſo orbe rationem reddituri ſimus pro animabus populi noſtri, tot mortibus, tot condemnationibus, tot inferorum ſupplicijs digni, quot ſubditi noſtri, noſtra negligentia perierint. Quid ſi perierint noſtrà culpa? noſtro exemplo? noſtro ſcandalo? à nobis corrupti, offenſi, perditi, à quibus & doctrina & uita ædificari, ſanctificari, & ſaluari debuerant? Heu fratres in quantis periculis poſiti ſumus ab ea primum die qua facti ſumus Sacerdotes. Ecquam uerendum eſt, ne aliquis noſtrum is ſit de quo tandem dicatur. Bonum erat ei ſi nunquàm Sacerdos factus fuiſſet homo ille, Sed dicam cum Apoſtolo; Confidimus de uobis meliora. Ob id ſanè ſynodum hodie, quod fœlix fauſtumq; ſit claudimus ut uos mecum, & ego uobiſcum, ſinguli inquàm; & omnes, qui ſacerdotio fungimur tanquàm huius gregis & arietes dignitate, & charitate Paſtores; ac duces ante uniuerſum populum & plebem, quæ expectat ut nos præeatis, quos illi deinde ſequantur, excitemur ad benemerendum de Deo, cuius miniſtri ſumus, ad ædificandum populum noſtrum, cuius tanti momenti cauſas negotiaq; tractamus. Quanta diximus? ſcripſimus? iuſſimus? Tempus eſt faciendi, Tempus eſt faciendi fratres, ſi ultis ut illi conuertantur qui diſſipauerunt legem domini. O quàm aptè dixit ille orator. Si uis me flere, prius tibi dolendum eſt. An uerò non ſtatim uenit uobis in mentem illud, Cœpit Ieſus primum facere, & poſtea docere? Mihi uerò profectò nunquàm à memoria excidet Canon ille Apoſtolorum. quo Epiſcopo dicitur. Quum uideris plebem ſine diſciplina, populum ſine lege, diuites ſine Eleemoſina, mulieres ſine pudicitia, pauperes ſuperbos, Iudices iniquos, ne accuſa populum; accuſa Sacerdotes, eos reprehende, in eos inſurge, illis cominare, quia omne malum à capite. Hæc quanta poſſum uoce, & charitate teſtificor, & uobis denuntio fratres amantiſſimi. Ipſi uidetis quàm obſcuratum eſt aurum, quàm mutatus eſt color optimus ſacerdotij. Eia agite reſtituite Vos, & ueſtra nobis, redite ad cor, Quieſcite agere peruerſe, diſcite benefacere, Ut ne aliquando offendatur diuina Maieſtas; & uicta illa ſua patientia Deus prouocatus ad iram nobis in furore ſuo dicat. Plenus ſum. Recedite polluti Holocauſta ueſtra; & ſolemnitates ueſtras odiuit, anima mea. Un

de pu-

de puſilli noſtri populi deſperantes tradant ſe omni impudicitiæ dicentes. Actum eſt de ſalute noſtra, Cecidimus à cauſa. Dum ipſe peccaremus, Sacerdotes orabant pro nobis, nunc ipſi Sacerdotes peccauerunt. Quis orabit pro eis? Quis orabit pro eis? Auerte hoc nomen à ſacerdotibus tuis I E S V C H R I S T E. *Sic Sacerdotij tui inſigne glorioſum Crux inquàm tua ſancta exaltetur in omnes nationes, & circumciſi illi cordibus, & auribus uel coacti adorent tandem ſancta ueſtigia pedum tuorum: Sic uinea illa electa, quam plantauit dextera tua tibi creſcat noua palmitum propagine, & à mari uſquè ad mare occupet omnes terras: Sic de collibus excelſis, inter ipſas quoq; ſentes barbaræ nationis exuberent tibi purpureæ, auroq; ſimiles uuæ.*

Sicq; tuo compreſſa fluant pede dulcia muſta.

V O S *nunc omnes & Clerici, & laici, erigite aures, ut audiatis ſynodalem doctrinam, & ſynodales canones, ad corrigendos abuſus, quos inter uiſitandum anno perpetuo ſacra deputatio nobiſcum oportunè uidit, & prouidit.*

Q V I *electi eſtis ad legendum ex ambone hæc omnia decreta, ſeruate, quòad fieri poteſt, eundem ordinem, quem ab initio proponebamus.*

Vt Primũ, de locis.
Tum de Rebus,
Tertiò, de Muneribus,
Quartò, de perſonis ſtatuatur.

H AE C *cum dixiſſet, & plauderet uniuerſus populus, uultu, & maieſtate manus, ſilentia fecit. Tum eo annuente cuſtos ſilentij, quem ſilentiarium uocant, tercircumiens chorum & totam Eccleſiam uirgam ſimul manu tenens uoce graui, & timenda, quæ etiam uis præſeferebat ter dixit. Silentium Silentium, Silentium.*

R E V E R E N D V S *autem Archidiaconus, mox è ſua ipſius ſede ueniens in medium Chori, ante altare maius procidit, & publico totius ſynodi nomine benedictione primum accepta à Pontifice, ex ſcripto profiteri cœpit hunc in modum.*

I N *nomine Domini Noſtri* I E S V C H R I S T I, *ſublato in altum uexillo Crucis, ad cuius ſignum flectitur omne genu.*

S A N C T A, *& religioſa, Botuntina ſynodus, ad ipſius Dei gloriam, & animarum ſalutem, hac ipſa die, exaltationis Sanctæ Crucis, in ſpiritu ſancto legitimè congregata, tanquàm uir unus, correctionem, & emendationem utriuſque ſexus fidelium huius ciuitatis in domino cupiens, de fundamento in primis tantæ ſtructuræ quod eſt fides catholica prudenter cogitans, Apoſtolum ſecuta, qui dicit tanquam ſapiens Architectus fundamentum poſui, eam ip-*

ſam fidem quam corde credit, ore profitetur, & explicat in his uerbis.

SYMBOLVM *Apoſtolorum, & alia quæ ab Eccleſia ſunt recepta ſymbola, uniuerſales, traditiones, quæ à Sancta Romana Eccleſia diuinè cenſentur, & quæ ab ipſis, Apoſtolis quaſi per manus ad nos uſquè, peruenerunt, atque œcumenica concilia in ijs, quæ de fide decernunt, ueluti ſacram ſcripturam credimus, amplectimur, & ueneramur.*

SACRAE *ſcripturæ, iuxta ſanctæ matris Eccleſiæ ſenſum, patrumq́ conſenſum interpretandæ ſunt.*

SANCTA *Apoſtolica ſedes, & Romanus Pontifex in uniuerſum orbem tenet primatum, Ipſequè Pontifex Romanus ſucceſſor eſt Beati Petri Principis Apoſtolorum, & uerus* CHRISTI *Vicarius totiusq́ Eccleſiæ caput, & omnium Chriſtianorum Pater ac Doctor exiſtit, & ipſi in Beato Petro paſcendi, regendi, & gubernandi Vniuerſalem Eccleſiam à D. N.* IESV CHRISTO *immediatè plena poteſtas tradita eſt.*

NOVAE *legis ſeptem ſunt Sacramenta à* CHRISTO *inſtituta, Baptiſmus, Confirmatio, Euchariſtia, Pœnitentia, Extrema Vnctio, Ordo, Matrimonium, quæ non ſolum ſignificant gratiam, ſed eam etiam continent, ac dignè ſuſcipientibus conferunt.*

BAPTISMVS *ad ſalutem omnibus mortalibus eſt neceſſarius etiam infantibus; delet uerò omnem culpam, & originalem, & actualem, & ſimul pœnam omnem pro culpa debitam remittit, filios Dei efficit adoptiuos, aperit regnum cœlorum, & iterari non poteſt.*

IN *confirmatione datur gratia Spiritus Sancti ad robur, ut Chriſtianus audacter* CHRSISTI *nomen confiteatur. Ordinarius uerò Confirmationis miniſter eſt Epiſcopus.*

VERVM CHRISTI *Corpus in Sacramento Altaris totusq́* CHRISTVS *ſub ſpecie panis; uerus ſanguis totus item* CHRISTVS *ſub ſpecie uini, realiter continetur tranſubſtantiatis Pane in corpus* CHRISTI, *vino in ſanguinem, poteſtate diuina.*

EVCHARISTIA *non ſolùm ſacramentum eſt, & cibus animæ ſpiritualis, ſed & nouæ legis ſacrificium quod in memoriam paßionis* CHRISTI *pro uiuis & defunctis offertur; eſt autem in hoc Sacramento* CHRISTVS *cultu latriæ qui vero Deo debetur adorandus.*

LAICI *ſub ſola panis ſpecie integrum* CHRISTI *corpus & ſanguinem totumq́* CHRISTVM *veraciter ſumunt, diuinoque præcepto ſatisfaciunt.*

SACRAMENTVM *pœnitentiæ lapſis poſt Baptiſmum eſt ad ſalutem neceſſarium, huius uerò tres ſunt partes cordis contritio, oris ſacerdoti iuriſdictionem habenti integra peccatorum confeßio, & ad arbitrium eiuſdem ſacerdotis ſatisfactio.*

SI verè pœnitentes in Dei charitate deceſſerint antequam dignis pœnitentia fructibus de commiſſis, & omiſſis ſatisfecerint, Eorum animæ pœnis purgatorijs purgantur, & ut à pœnis huiuſmodi releuentur proſunt eis uiuorum fidelium ſuffragia, Miſſarum ſcilicet ſacrificia, Orationes Eleemoſinæ, & alia pietatis officia, & indulgentiæ, ſecundum Sanctæ Romanæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ inſtituta.

IN Sacramento extremæ unctionis ægroti mens ſanatur, corpus etiam inquantum expedit.

SACRAMENTO Ordinis homini traditur ſpiritualis poteſtas, quam nemo habet niſi is cui ab Epiſcopo iuxtà Sanctæ Romanæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ quò ad eſſentialia ritum collatum eſt.

QVAE ad Ordinis ſpectant poteſtatem æquè mali ac boni ſacerdotes adminiſtrant, atquè item quæ ad iuriſdictionem attinent, quandiù illis non fuerit abrogata.

MATRIMONII vinculum ſi legitimè contractum fuerit, & conſumatum nullis de cauſis dirimi poteſt.

VOTVM Caſtitatis ſacris ordinibus coniunctum, atquè uota, quæ in probatis religionibus emittuntur, & alia quæcunquè ritè ſuſcepta, fideliter ſeruanda ſunt.

PECCATA non accidunt volente vel efficiente Deo, ſed ipſo permittente, ideſt non impediente quò minus fiant, quare peccati culpa libero hominis arbitrio attribuenda eſt, quod primi parentis inobedientia non extinctum, ſed viribus attenuatum & inclinatum eſt, Dei autem gratia præuenitur, à peccatis liberatur, ſanatur, & ut mandata ſeruare poſſimus, adiuuatur, Itaquè ſanato libero arbitrio per gratiam Dei opera vitæ æternæ meritoria homo iuſtificatus operatur.

AD impij iuſtificationem requiritur Dei præueniens gratia, & liberi arbitrij motus in Deum per actum fidei, & ſpei, & dilectionis Dei inchoationem, & deteſtatio peccati, ac propoſitum ſuſcipiendi Baptiſmum, & piè uiuendi. Ad infantum uerò iuſticationem ſola Baptiſmi ligitima ſuſceptio ſufficit. Ad lapſorum autem poſt Baptiſmum iuſtificationem neceſſe eſt ut excitante Deo procuret peccator amiſſam gratiam per pœnitentiæ ſacramentum recuperare. Cæterum qui iuſtificantur non modò reputantur, ſed uerè nominantur Iuſti & ſunt: Iuſtitiam in ſe unus quiſquè ſuam recipiens dum per ſpiriritum ſanctum in cordibus eorum charitas Dei diffunditur atquè ipſis inhæret.

VIRGO Dei Genitrix Angeli, & ſancti religiosè coli debent, & inuocari, ut eorum meritis, & precibus iuuemur.

CRVX CRISTI & Imagines & quæcunquè CHRISTVM attigerunt adorandæ ſunt iuxta Eccleſiæ doctrinam & fidem.

DEI-

DEIPARAE *Virginis Mariæ Angelorum, & Sanctorum imagines ſunt uenerandæ; tùm corpora ac reliquiæ quauis Sanctorum, memoriæ præterea & vigiliæ, ac dies feſti* CHRISTO, *Virgini Matri, & Angelis & Sanctis de dicati religioſè colendi ſunt.*

IEIVNIVM *Quadrageſimæ, alia ieiunia, & abſtinentia à cibis, quæ Eccleſia obſeruari præcepit, reuerenter ſunt obſeruanda.*

CEREMONIAE, *ritus, & mores omnes ab Eccleſia recepti, & probati, qui uel ad diuina officia, uel ad alia quæuis munia Eccleſiaſtica adhibentur, obſeruari debent.*

CONSTITVTIONES *Eccleſiaſticæ, Canones, Sanctiones, Cenſuræ, pœnæ, decreta, ſiue ad Eccleſiaſticam pietatem & morum compoſitionem attineant, ſiue ad diſciplinam & morum emendationem, malorumq; depulſionem, quæ uel à Summo Pontifice, uel à Concilijs, uel à quauis legitima authoritate proficiſcuntur, & ſuſcipi reuerenter, & fideliter obſeruari debent.*

POSTREMO *quod attinet ad huius ætatis, atquè omnium temporum ab hæreticis ortas, vel ſuſcitatas in dogmatibus diuinis atquè Eccleſiaſticis controuerſias, & peruerſas doctrinas illud tenemus, credimus, & confitemur, quod Sancta Romana & Apoſtolica Eccleſia tenet, credit, & confitetur.*

ANATHEMA *omnibus omnium temporum hæreticis atque hæreſibus, nominatim uerò anathema huius ætatis hæreſiarchis, Luthero, Œcolampadio, Zuinglio, Rothmano, Caluino, eorumq; ſequacibus, & alijs omnibus hæreticis quaſcunque in ſectas diſſecti ſint vel quouis nomine cenſeantur, vniuerſis etiam eorum hæreſibus, Anathema.*

HANC *ueram catholicam fidem, extra quam non eſt ſalus, quam in præſenti ſponte profitemur, & veraciter tenemus; eandem integram, & immaculatam vſquè ad extremum uitæ noſtræ ſpiritum conſtantiſſime Deo adiuuante retinere, & confiteri liberè, ſponte, & ex certa noſtra ſcientia ſpondemus & vouemus. Et ego publico nomine totius venerabilis Capituli, & Cleri cum dominatione veſtra Reuerendiſſima ſynodum legitimè facientis, & totam Eccleſiam Botuntinam repreſentantis, tanquam, licet indigniſſimus, omnium os & lingua in manibus veſtris Reuerendiſſime Pater & Domine, ſuper hoc miſſali aperto & ſuper ſacroſancta imagine Crucifixi promitto, iuro, & uoueo, Sic me Deus adiuuet, & hæc Sancta Dei Euangelia.*

AVDIERANT, *quieuerant, conticuerant omnes. Quùm ergo pius & Reuerendus Archidiaconus finem dicendi feciſſet, gratulante tota, ſynodo conuerſus Pontifex grauiter, ſed hilariter dixit: Placet ne vobis omnibus qui mecum ſynodum Botuntinam facitis hæc ipſa profeſſio fidei catholicæ? Et reſpondentibus omnibus.*

Placet.

ITERVM

ITERVM Interrogauit vultis; vt communi ſynodi nomine ſcribatur in actis hæc profeſſio? Iterum Reſponderunt. Volumus.

TVM tertiò rogauit. Laudatis hanc quam, uelut os ſynodi, emiſit Reueren dus Archidiaconus fidei profeſſionem? Et tertiò acclamantibus.

Laudamus. Laudamus. Laudamus.

LAVDO vos inquit, & vehementer laudo, quod imitantes alias huius noſtræ ætatis ſynodos, volueritis & ipſi, Fratres, & filij noſtri, publicè coràm Deo, & coràm hominibus, profiteri ueſtram fidem; fidem uerè catholicam, uerè orthodoxam, nimirum Romanam.

DE hac ſancta fidei profeſſione audite quæſo patrem veſtrum paucis verbis perorantem. Olim ab initio, inter perſequutionem, & perſequutionum rabiem, dum Chriſtiani quærerentur, tenerentur, torquerentur, profitebantur fidem Sancti Martyres; & profeſſionis præmium erat, illa ipſa in cælis decreta Corona martirij. Poſteriore ſæculo, ſucceſſerunt Sancti Doctores, & Confeſſores, qui & ipſi, non iàm cum Tyrannis, ſed cum hæreſiarchis bellum habebant; eos enim profiteri neceſſe erat, ut errores, quos illi in agro Domini ſeuerant, extirparent, qui nunc in cælo ſplendent tanquàm ſtellæ in perpetuas æternitates. Eſt & antiquior ratio profitendi fidem; ea inquàm, qua Petrus Apoſtolici Collegij Princeps, dum omnes interrogarentur à CHRISTO, uelut teſtes à iudice, Vos autem quem me eſſe dicitis? in medium exurgens, & voce ſacra, & ueneranda; non quæ meditatus fuerat, ſed quæ de cælo acceperat, Eloquens dixit. Tu es CHRISTVS filius Dei uiui. Porrò, hæc profeſſio, cuius praxim noſtro hoc tempore introduxit ſancta mater Eccleſia, non eſt ad exercendam patientiam & conſtantiam, ut tempore martyrum, non ad oſtendendam ſapientiam ut tempore Doctorum; non ad fundandam religionem, ut tempore Apoſtolorum; ſed eſt ad erudiendam multitudinem & Clericorum, & populorum: ut omnino omnes ſciant, aliqua ex parte, & intelligant, quid illis credendum ſit. Nunc enim, ut mundus ipſe totus iàm loquitur, uerum eſt illud, quod olim dixerat Dominus per Eſaiam, Propterea captiuus ductus eſt populus meus in captiuitatem, quia non habuit ſcientiam. Ecquis eſt, qui non uideat, quàm craſſa ſit inter noſtras plebes, & populos ignorantia Dei & rerum diuinarum? de hac enim ſermo Prophetæ intelligendus eſt, de qua & D. Paulus dixit. Qui ignorat ignorabitur. Nam aliarum rerum neq; cognitio, fælices, neq; ignorantia reddit infælices. Prouenit autem fratres mei, hæc tanta ignorantia, partim ex ſuperbia intellectus, dum non uult captiuari in obſequium Ieſu Chriſti; partim ex falſa philoſophia, qua dementatus eſt uniuerſus orbis; magna verò ex parte creſcit in dies magis ac magis, ex amore uoluptatum carnalium, quibus; & iudicium rationis excæcatur, & affectus exiccatur ueræ pietatis; & demùm, quia iàm aſſueuerunt omnes, audire prædicatores, imò uerò præuaricatores

tores parum catholicos, ne dicam palàm impios, à quibus ſeducti ſunt populi noſtri, tanquàm Columbæ. Quicunque igitur hic adeſtis, ſi uobis cordi eſt veſtra ſalus, hanc altiſsimam ſapientiam Chriſtianæ fidei, quam audiſtis, fideliter firmiterq́ credite, cuſtodite, tenete; Hæc eſt prima petra, hæc eſt baſis, hæc eſt fundamentum ſalutis. Ad ædificium ſanè pertinebunt, non ad fundamentum, reliqua omnia, quæ in hac ſancta Synodo tractabuntur.

Quoniam autem multa ſunt, neq́ congerere animus eſt, ſed digerere; ideò non uno die, (vt quandoq́ putaram), ſed per ſingulos dies legentur, & ipſi Deo fauente, & per orationes ueſtras hanc noſtram arentem ſenectam iuuante, non patiemur, ut præſentiam noſtram, & ſermones noſtros deſyderetis. Placet ne ſanctæ ſynodo? Et dictum eſt ab omnibus,

Placet. *Solutaquè eſt Actio ſynodalis illius diei, hora 21.*

INDEX

INDEX SERMONVM, QVI IN *ſancta Viſitatione habiti ſunt : de Locis , Rebus, Muneribus , & Perſonis.*

De Locis,

De Sacroſanctis Eccleſiis.
De Diuinis altaribus.
De Sacra cuſtodia Sanctiſsimi Sacramenti.
De Choro, & diſciplina Chori.

De Rebus.

De vſu, & Adminiſtratione Sacramentorum.
De Sacris Reliquijs.
De Sacris Veſtibus.
De Beneficijs.

De Muneribus.

De Diuino Officio.
De Horis Canonicis.
De Miſſa, & Celebratione Miſſarum.
De Reductione Miſſarum decretum.
De Pſalmodia.
De Diebus feſtis.
De Punctatoribus.
De Ceremonijs Eccleſiaſticis.
De Benedictionibus.
De Litanijs, & proceſsionibus.
De Prædicatoribus.
De Rationibus ſumptuarijs Capituli.
De Foro Epiſcopali.

De Perſonis.

De Vita & honeſtate Clericorum.
De Canonicis.
De Parochis.
De Monachis.
De Monialibus.
De Sanctis ſocietatibus.

videatur in Indice ubi plures notantur sermones.

SERMO

SERMO AD SYNODVM DE SACROSANCTIS ECCLESIIS.

GAVDETE IN DOMINO FRATRES, GAVDETE in domino Filij, Iterum dico gaudete omnes dilecti Dei. Ecce videmus Eccleſiam noſtram plenam Populo, ſagenam inquam CHRISTI, plenam rationalibus piſcibus, in nauem noſtram (Deo gratias) ſponte ſua inſilientibus. Leuate oculos veſtros communiſtri chariſſimi, & videte regiones, non dealbatas quidem ad meſſem; ſed cultas, fermentatas deniq; & nouatas, ac præparatas ad ſementem. Et profectò iam diu, myſtica hæc terra noſtra, populus noſter, plebs noſtra, expectans expectat, & nos nondum intendimus illi: Expectat inquàm, ut per omnes glebas iaciamus diuinum ſemen, quod, vſq; adeò generoſa fœcunditate telluris uterum adimpleat, vt iuxtà Prophetam lætetur deſertum, ac floreat ſicut lilium. Ecquod deſertum, quæ heremus comparari poteſt mortalium animis, diuino timore vacantibus ab omni fide, ſpe, & charitate alienis? Sed Deus ex tribulis ficus, & ex ſpinis colligit uuas. Agite igitur ventilatâ iam per uiſitationem area, & purgata, ac repurgata quò ad licuit tota maſſa, exeamus tandem ſeminare non ſemen noſtrum ſed ſuum, ut omnes quidem agros repleant frumenti ſpicæ, ad fructum trigeſimum, ſexageſimum, centeſimum, ſed nos præterea qui etiam in pratis Eccleſiæ flores aliorum omnium eſſe debemus, efficiamur à candore, & puritate animi tanquàm lilia in deſerto, à ſuauitate odoris & bonæ famæ, tanquàm roſa in hierico, & demum à celſitudine, & ſublimitate uirtutum, tanquàm Cedri in Libano. Tempus beneplaciti tui Deus, tempus beneplaciti tui, doni tui muneris tui; ut quia hoc tempore omnia plena ſunt tuis muneribus, & hac ipſa die, in Apoſtolo, & Euangeliſta Mattheo, incredibilem illam tuam

munifi-

munificentiam, quæ, illum quùm Teloneum exerceret, tantis gratijs locupletauit, colimus, & celebramus; ipſi quoq; munerati immortalibus beneficijs, quæ de manu tua immerentes accepimus, ea ipſa per omnem uitam noſtram, læti & hilares Maieſtati tuæ, cui omnia debentur dono donemus. Sit ergo primus labor doctrinæ, & eruditio de reformatione Eccleſiarum. Et unde, ut uerùm dicam, Eccleſiaſticæ inſtitutiones, inchoari debent, niſi ab ipſis ſacroſanctis Eccleſiis? Inſignis titulus Fratres, Nomen præclarum & generoſum. Res porrò ipſa plena eſt dignitatis, & maieſtatis, Sacroſancta Eccleſia, Nimirum ſanctuarium Dei, Domus Orationis, Domus Domini; ſic enim Canones Apoſtolorum, & Apoſtolicorum patrum Epiſtolæ & decreta, condecorant locum religioſum, conſecratum, ſanctificatum non communem inquàm cum cæteris locis prophanis, ſed ſeparatum Domino, dicatum, benedictum; in quo Sacerdotes celebrant, in quo CHRISTI fideles congregantur ad audiendum uerbum Dei, & ad percipienda diuina myſteria, ut eum appellent, eccellentia quadam magna τὸ κυριακόν, Dominicam, Templum inquàm Domini. Sicut & Paulus Apoſtolus myſticum CHRITI conuiuium in quo alimonia cæleſti fideles aluntur corpore inquàm & ſanguine Saluatoris noſtri, non cœnam communem, ſed cœnam dominicam appellauit græcè κυριακὸν δεῖπνον. Quod fuit tabernaculum ipſi Moſe, Quod templum Dauidi, & Salomoni, hoc ipſum eſt nobis qui CHRISTVM extra vmbras & figuras colimus, Eccleſia, quanquàm & illis ipſis, qui ad Euangelium magis, quàm ad legem pertinebant, vmbræ quoq; erant illa omnia, vnde & ſuſpirabant ad noſtras Eccleſias, ad noſtra altaria, ad noſtra deniq; ſacramenta, & ſacrificia, quibus eorum vmbræ, & imagines adimplerentur. Deſiderabant ſanè adorare Deum, & offerre illi hoſtias ſuper noſtris altaribus, verſi ad Orientem, ad CHRISTVM inquàm, de quò illud eſt. Eccè uir oriens nomen eius. Teſtis eſt Daniel vir deſyderiorum, qui aperiebat feneſtras, ut oraret verſus Hieruſalem, vbi erat templum Domini; ſed & Dauid velut conſtitutus non corde & animo ſolum, ſed etiam corporali præſentia, coràm Altaribus noſtris, cantabat mane ſurgens ad Dominum.. Sitiuit in te anima mea, quàm multipliciter tibi caro mea, In terra deſerta inuia, & inaquoſa, ſic in Sancto apparui tibi, ut uiderem uirtutem tuam, & gloriam tuam.

QVOD Carmen ipſi quoque per ſingulos dies iubente canone Apoſtolorum, cantamus ad matutinas laudes in Eccleſiis noſtris.

VERÈ conſerui, & compresbyteri (ut hinc ſermonem hunc noſtrum auſpicemur) poſt nomen IESV, poſt nomen Crucis, poſt nomen Virginis primum amabile, ſecundum admirabile, uenerabile tertium, hoc ipſum eſt nomen illud ſanctiſsimum amoris, admirationis, & uenerationis plenum, in quo uno oportet nos omnes ſaluos fieri Eccleſia Nomen Deo charum, nomen ſuſcipiendum Ange

lu, nomen amandum hominibus, ſolis dæmoniis, & perfidis hæreticis formidandum. Et quidem ſi rem ſpectamus non ab orbe redempto, ſed ab orbe condito nihil habet uel terra uel cælum quod ſit maius, aut ſublimius ipſa Eccleſia, propter quam facta ſunt & cælum & terra, propter quam tandem factus eſt ſecundum carmen ipſe quoq; creator cæli & terræ; ut meritò, quia homo natus eſt in ea, & ipſe fundauit eam altiſſimus dicatur Sponſa Dei, Soror CHRISTI, ſitq; Chriſtianorum omnium mater, cuius gloria extenditur à mari ad mare, ab ortu ad occaſum, ab Aquilone ad Auſtrum. Quæ propterea tanquàm poſita in ſuperbiam ſæculorum appellatur in Theologia, ſymbolica, & domus & Ciuitas & regnum & domus Iacob, & domus Iſrael, & mons, & murus, & Sion, & Hieruſalem, & uinea, & Turris, & hortus concluſus, & fons ſignatus, fons ille inquam ſignatus ſigno Dei uiui, unde riui, & flumina exeunt aquæ, uiuæ, quæ irrigant, inebriant, & germinare faciunt, uniuerſam terræ ſuperficiem, uſquè adeò, ut ſæpe ligna arida, & penè mortua, peccatores inquàm qui in profundum malorum uenerunt Lazaro ſimiles, defuncti, ſepulti, fœtidi præter omnem hominum ſpem reuiuiſcant. Vnde & pater noſter, qui Agricola eſt, cuius ipſi plantationes ſumus gaudet uiridantibus non hortis, & pomeriis ſolis ſed ſyluis quoquè, & nemoribus animarum noſtrarum; & Angeli pacis qui prius amarè flebant, lætantur ſuper iam deploratis peccatoribus pœnitentiam ueram in Eccleſia nunquam ſerò peragentibus. Iam ipſi uobiſcum reputate quantæ maieſtatis, & admirabilitatis eſt locus iſte, tàm & ſi lapidum, & lignorum congerie fabricatus, ad quem ex ipſo cætu fidelium ex ipſa inquàm Eccleſia myſtica, quæ ex uiuis, & electis lapidibus conſurgit in templum, hoc ipſum tantum nomen ſanctum, auguſtum, amabile, terribile ab initio unanimi conſenſu ab Apoſtolis, & apoſtolicis patribus traductum fuit. Illud profectò quàm maximè indicat maieſtatem Eccleſiarum quod nulli unquam in Chriſtiana republica niſi ſolis Hierarchis licuit conſecrare Eccléſias in domos & tabernacula Dei, uti nequè Virgines CHRISTI ſponſas, nequè Sacerdotes CHRISTI miniſtros.

QVIS porrò ueſtrum Sacra illa officia, myſteria, encænia, dedicationes, aliquandò uidit, & non obſtupuit? Etenim res, formæ, figuræ, ueſtes, motus, actiones, ſigna, quibus, in tanto miniſterio utitur Hierarcha, omnia planè ſunt plena admirationis, & ſtuporis. Baptizat enim Eccleſiam Hierarcha, ut in ea Chatecumini baptizari poſſint; inungit; ſignat, illuminat, tergit, inſcribit, ornat, ut ſit dignus locus ubi omnes inungantur ſpiritu ſancto, ubi ſignentur ſigno Thau; ubi illuminentur ad cognitionem ueræ fidei, ubi abſtergantur ſordes filiorum hominum, ubi ſcribantur credentes in libro uitæ, deniquè ubi ornentur bonis moribus, quibus obmuteſcere faciant imprudentium hominum, ignorantiam. Quorum omnium, ſingulares, quas Pij Patres tractauerunt allegorias, quicunquè intelligit, & per tropologiam referre didicit, tùm ad fidelem & piam, cuiuſquè animam,

mam, nam cor cuiusq̃ credentis Domus Dei eſt, tùm ad communem omnium credentium matrem, quæ eſt vniuerſitas fidelium, is profectò guſtat fauum mellis, & quicquid eſt melle dulcius. Pauci uerò illi, qui per Anagogen ex hac domo rapiuntur ad contemplationem humanitatis CHRISTI, *de qua ſcriptum eſt, Sapientia ædificauit ſibi domum, & virginis glorioſæ, in quam mirè illud competit, ſanctificauit tabernaculum ſuum Altiſsimus, & illud Impleuit gloria domini domum Dei, Denique & vrbis illius beatæ Hieruſalem quæ dicitur Ciuitas Sancta, & Ciuitas Sancti, neque enim pollutus ingreditur per eam, uerè domus admirabilis, de qua Propheta dixit, Ingrediar domum Tabernaculi admirabilis uſquè ad domum Dei; illi inquàm æthera & cœlum præteruolant & intelligunt ea, quæ communem noſtram indignitatem excèdentia non niſi à puris, & caſtis mentibus comprehendi poſſunt. Ecquis mihi tribuat, vt uel ſummis labiis tantam dulcedinem uobiſcum delibare ualeam? Eccleſia quæ in cordis regnat, illa eſt ad quam naſcimur; hæc quæ adhuc militiam agit ſemen habet ex quo naſcimur; ædes ſacræ de quibus ſermo eſt, ſunt noſtra Bethleem, noſtrum Præſepe in quo cum* CHRISTO *naſcimur, & ob id naſcimur Fratres eius, cohæredes eiꝰ. Tolle cœlum empyreum, ſublatus eſt locus creationis Angelorum. Tolle Eccleſiam, ubi eſt locus uel generationis, uel creationis Chriſtianorom? Sicut autem diuinum illud præſepe cuſtodiebant Angeli non homines, ità & Eccleſiæ excubias agunt, non laici, ſed ſacerdotes, Dij inquam magis quàm homines. Nam & ſacerdotibus ad quos Dei ſermo factus eſt dicitur, Ego dixi Dij eſtis. Neque uerò profectò quiſpiam dixerit, Imperatores ineptè affixiſſe hunc titulum Eccleſiis, ut eas appellarent (quos & ipſi ſecuti ſumus) ſacroſanctas. Sonat enim ſacrum & ſanctum rem non communem ſed ſeparatam, & omnino puram, ſeparatam, inquàm, & repoſitam Deo, quam uiolare ſit prorſus irreligioſum, & nefas. Vnde & per tempus inoleuit, ut ſoli Clerici Eccleſiaſtici dicantur. Quod non ità accipiendum eſt, ut laici ad Eccleſiam non pertineant, omnes enim & Clerici, & laici ad eundem Salutis portum peruenire contendimus, ideoquè in eadem naui ſumus extra quam non eſt ſalus iuxta illud allegoricum, Niſi manſeritis in naui, non poteſtis ſaluari. Et omnino conſtat huius ingentis corporis Eccleſiæ eſſe uelut duo latera Clericos, & laicos, dextrum inquam & ſiniſtrum, forte, & infirmum. Sed in hunc ſenſum potius intelligi debet quod ipſis ſacerdotibus inuitis & repugnantibus nihil iuris laicis, & ne Regibus quidem ipſis competat ingreſſus in ſanctas Eccleſias, de qua re luculenter, & magno cum fructu edoctus eſt Theodoſius à Diuo Ambroſio. Laici à Palatio Palatini dicuntur, Dicuntur Curiales à Curia, & Aulici ab Aula, at uerò Clerici dicuntur Eccleſiaſtici ab Eccleſia. Et profectò nemò ueſtrum ignorat in Chriſtiano orbe duas eſſe uiuendi rationes, quibus ingenia, & mores hominum inuicem nullo diſcrimine ſeparantur, contemplandi, inquàm &, agendi. Vtraquè eſt bo-*

na, ſed prima longè melior, quia per illàm uiuit anima ex Deo; per hanc uiuit corpus ex anima. Iuxta duas haſce uitas duæ quoq; ſunt poteſtates, quibus tanquàm duabus habenis regitur, & gubernatur uniuerſum hominum genus, cæleſtis inquàm vel ſacra, terrena, & profana; quia una eſt Dei, altera Cæſaris & aliorum Regum, iure quidem & illa ſub Deo, ſed ſæpè uſu contra Deum. Ità ergo duo ſunt loca in quibus, & qui contemplantur, & qui agunt, & qui perſonam ſuſtinent Cæſaris, & qui referunt ipſum Deum, quàm maximè vires exercent ſuas, Forum inquàm & templum, Aula & Baſilica, Curia & Eccleſia. Sors noſtra beata fratres, quibus (ut ſacris verbis utar) funes ceciderunt in præclaris. Nam extera litigioſa fora, extra inſidam aulam, extra ambitionis plenam Curiam, euocati Dei dono ad præclaram hanc hæreditatem, quæ etiam arrha eſt, & portio non exigua amabiliſſimæ illius hæreditatis æternæ uitæ ſegregati ſumus è media plebe ad contemplationem rerum diuinarum; Ob id ſanè hæc ſacra ædes præ omnibus alijs locis huius Ciuitatis, in qua Dei magnalia legimus, canimus, prædicamus, docemus, templi in primis nomen accepit. Electi ſumus ad ipſius diuinæ Maieſtatis nobile, & peculiare ſeruitium, ex quo etiam gaudet nomine communis Reipublicæ noſtræ, quod eſt Eccleſia, quæ reiecta iandiù ſynagoga, & euocata ex cunctis nationibus (hoc ſanè græcè ſignificat, uox Eccleſiæ) Deo benedicto, qui eam elegit, uocauit, magnificauit, piè & religioſè famulatur. Sumus demum euecti ad apicem, & faſtigium Regiæ dignitatis, ut propterea græco nomine antiquis illis ſæculis appellaretur Baſilica, hoc eſt Regia. Nam fecit CHRISTVS IESVS Sacerdotes ſuos non reges ſolum, ſed ipſis etiam ſummis regibus ſuperiores, ut qui per ipſum CHRISTVM IESVM omnes catholicos Reges, & benedicendo ſanctificant, & conſecrando inſtituunt, ſicut & docendo, quæ ad Reges pertinent, quaſi formant. Maior eſt enim, qui benedicit eo, cui benedicitur, & omninò eſt beatius dare, quàm accipere. O præ omnibus Dilecti Dei. O præ cæteris uocati Sancti. O generatio quærentium Dominum, quærentium faciem Dei Iacob. Quàm diſtat gloria cæli à fæce terræ, tàm diſtat Eccleſia Sacerdotum ab aula Regum. In hac ſpatiantur homines; in illa Angeli. An ignoratis uiſionem illam patriarchalem Angelorum aſcendentium, & deſcendentium in loco ſancto iſto? Aſcendunt Angeli, quia vident faciem patris; deſcendunt quia prouident rebus Eccleſiaſticis: Aſcendunt quia nos aſcendere faciunt ad contemplandas res diuinas; deſcendunt quia nos humiliari docent ſub potenti manu Dei. Quid? aſcendunt dum ipſi per eos proficimus, & quaſi deſcendunt dum deficimus à bene cœptis; Nota eſt illa uox Angelorum è Templo Hieroſolimæ, Migremus, curauimus Babilonem; & non eſt curata. Habeant, habeant laici ſuas ipſorum domos amplas, altas, antiquas, multiplices, locupletes, ornatas, beatas, inuidendas. Si quæ Cæſaris ſunt, reddenda ſunt Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo; ſacroſan-

ctæ Ec-

ctæ Eccleſiæ ſunt domus Dei, & Clericorum miniſtrorum eius. Domus mea (inquit Dominus) domus orationis uocabitur. Auferte iſta hinc, & nolite facere domum patris mei, domum negotiationis. An non audiſtis inſcriptionem? Domus mea, Domum patris mei? Imaginem porrò uidetis, imaginem inquàm Dei. Nam CHRISTVS *imago eſt, & figura ſubſtantiæ Dei Patris, & hæc ipſa imago uiua in ſanctuario eſt altaris Eccleſiæ corporaliter. Itaq; laici ſi boni ſunt optant habere locum in Eccleſia, ſed dantes gloriam Deo ſciunt ſibi nullum eſſe ius ſuper Eccleſiam, quin & ipſi quoq; Summi Reges, & Cæſares à Conſtantino illo magno, cuius tempore primum ædificari cœperunt. Eccleſiæ,* CHRISTO IESV, *& Imperio, & exemplo admoniti, uſq; ad hæc tempora noſtra, ſi catholici fuerunt filij Eccleſiarum eſſe uoluerunt Domini, aut eſſe, aut uocari noluerunt. Ecquis eorum unquàm iniuriam intulit alicui Eccleſiæ? Imò uerò quot illi iniurias pertulerunt, ut ab omni iniuria liberas, immuneſq; red derent Eccleſias? Intelligebant ſublimes illæ animæ quantam uim ſemper habuerit apud omnes nationes natale ſolùm, cuius ſermone latio nomen eſt Patria. Nam quum ſit uelut mixtum ex utroq; parente deductum, inquàm ex uoce patris, & inflexum terminatione fœmina, aperte ſignificat locum ubi nati ſumus; neq; amore, neq; honore poſtponendum eſſe, ſed æquandum ipſi patri, & matri. Ideoq; dum pia memoria recolerent ſummi illi Reges ſe ſpirituali renaſcentia natos eſſe in Eccleſia perſuaſum habebant abſtinendum eſſe ab iniuria omnium Eccleſiarum: nimirùm in illis eſt uniuerſæ noſtræ confraternitatis, hoc eſt omnium Chriſtianorum genitalis origo, in qua ſpiritali illa, & ne à magiſtris quidem in Iſrael ſatis intellecta regeneratione, renaſcimur ex aqua, & ſpiritu, & penè exuentes hominem terrenum Adam, ad cœleſtem, qui* CHRISTVS *eſt, pertinemus, facti per Dei gratiam conſortes diuinæ naturæ.*

SEQVVNTVR DOCTRINA, ET CANONES.

IN PRIMIS ITAQVE INTELLIGANT OMNES CHRISTI *fideles, ad honorem Eccleſiarum pertinere, ut, cuiuſmodi eſſe ſolent in magnis Ciuitatibus palatia Principum, ab omnibus ædibus, atq; etiam ædiculis, diſtinctæ ſeparatæq; ſint, hoc eſt, ut græce dicam,* οἰκίαι περιάμφοδοι, *nullis alijs parietibus continuæ, nullis contiguæ, quaſi inſulæ quædam, uel naues in mari. Neq; enim ineptè in forma nauium oblongæ ab initio fabricatæ ſunt habentes in ſummo altaria, ut præter analogiam humanæ uitæ ad nauigationem, atq; adeò ipſius myſticæ Eccleſiæ* CHRISTI IESV *ad nauiculam, uidean-*

tur re vera, ipſa altaria in Eccleſiis eſſe quaſi puppes in nauibus.

AD honorem quoq; Eccleſiarum illud ſpectare dignoſcitur, vt quicunq; cuius uis criminis reus etiam ſi ex ipſis curiæ manibus, aut ex carcerum clauſtris vim repellens, aut inferens, elabatur, & ad Eccleſiam ipſam tanquàm ad aſylum confugiat, tàmetſi etiam non dum tetigerit ſacrum cornu altaris, ſed vix primum limen illius terræ ſanctæ ingreſſus fuerit, nullius ſæcularis poteſtatis authoritate inde abſtrahi queat, & ne ab ipſis quidem Clericis deturbari, quominùs ea fruatur libertate, quam ſuo ipſius iure domus Dei habet, Deo dicata, Deo ſubiecta, ab omni humana poteſtate prorſus exempta.

GAVDENDVM porrò eſt pijs omnibus nonnullos iam caſus exceptos eſſe, in quibus ſummi Chriſtianæ religionis antiſtites, ordinarij interpretes diuini iuris, Catholicis regibus, atq; Principibus, qui gladium Dei portant ad vindictam malefactorum, ſecuritatem verò bonorum; Spiritu Sancto ſuggerente, declarauerunt, non licere malos homines, tàm abſoluta licentia, & libertate potiri, ut qui effrenata audacia in præiudicium humani generis, & contemptum Maieſtatis diuinæ, licenter nimium abutantur priuilegijs Eccleſiæ; quum iuſtiſſimus ille malorum omnium uindex, tantùm abeſt, vt peccati miniſter eſſe velit, ut, contra potius, inter improbos homines, tutam eſſe innocentiam in primis cupiat; tùm verò ipſis improbis metu pœnarum per miniſtros ſuos refrenari peccandi libidinem, facultatemq; nocendi, & graſſandi in alios.

IN illis tamen caſibus à iure expreſſis, & in alijs qui cum illis, uelut cognationem habent, & generatim, in omnibus, ſi miniſtri Curiæ ſæcularis. Eccleſias ipſas, aut etiam cæmiteria, & domos Eccleſiarum contiguas, ad aliquos in capiendos, inſcio Vicario noſtro, aggreſſi fuerint, vt qui ſoluerint, ac violauerint ius Aſyli ſtatim excommunicati eſſe intelligantur; & ubi opus ſit declarentur protinus ſimiliter quoq; cum illis, ipſi officiales, atq; etiam vltimæ ſortis miniſtri à quibus, ſine licentia Vicarij noſtri, deſtinati fuerint. Hi & illi, prorſus, ſi non in ſpecie forſan, certè in veritate; & in oculis Dei, cui omnis uoluntas loquitur, & quem nullum latet ſecretum, ipſius Eccleſiaſticæ libertatis contemptores, & violatores.

AD honorem quoq; Eccleſiarum, pertinet Iuriſdictio, quæ dicitur Eccleſiaſtica, & perſonarum Eccleſiaſticarum libertas, immunitasq; à tributis, & vectigalibus; quæ communis ſortis homines ſoluunt, & ſoluere tenentur; & ita pertinet, ut in hiis ſolutionibus uix poſſint laici eſſe infenſi Eccleſiaſticis perſonis, quin uideantur eſſe infenſi ipſis Eccleſiis, atq; adeò parum pij, ſcandaloſi, forſan, & damnum, niſi ſe corrigant, abſtineant, atq; etiam ablata reſtituant, meritò excommunicandi.

EIVSDEM ſceleris, & impietatis ſocios eſſe intelligimus, & declaramus, quot quot, vel Imperio, uel conſilio, ſiue etiam nutu, aut quauis alia ſignifica-

tione

tione directè uel indirectè agunt, ſiue etiam tentant, & moliuntur, ut ſuper hiſce violationibus Eccleſiaſticæ poteſtatis, nullus Laicus ſe examinari patiatur ab Eccleſiaſtico Iudice, niſi ei fecerit poteſtatem ſæcularis Iudex uel Gubernator.

HONESTAE *fabrica, & ornatus Templorum, ad honorem, quoq; Eccleſiæ, & ipſius Dei, cuius (ut toties diximus) domus eſt, referuntur. Et quidem cum ingenti maiorum noſtrorum Laude videmus in hac noſtra Ciuitate, erecta dotata, ditataq; fuiſſe olim, quamplurima templa, altaria, monaſteria, pro qualitate regionis, ampliſsima, & (ſi modeſtia veſtra patitur) magnificentiſſima. Itaq; hortamur vos in Domino, ut ad eorum imitationem hanc unam ſaltem Eccleſiarum veſtrarum matrem & matricem, iam ornamentis penè omnibus & uniuerſa ſuppellectile nudam, quin & in ipſa etiam ſubſtantia fabricæ multis locis rimoſam, ruinoſam; reparare, ornare, illuſtrareq; non grauemini. Nullam ipſi populo noſtro in re tanta metam præſcribimus, non taxamus partem, neque quotam, neq; aliquotam. Exemplo parentum, & auorum commoti, ſperantes filios haud quaquàm futuros eſſe à paterna pietate degeneres, totum committimus deuotioni fidelium.*

VNVM *hoc admonemus, dicimus, & pronunciamus, illos filios, qui morientes dum teſtamenta condunt, ſuæ ipſorum matris in totum obliuiſcuntur, matris inquàm ex qua non ad mortem naſcuntur, ſed ad uitam, ex qua perpetuò ſumunt cibum uitæ, quæ dum ſuam ipſius nuditatem palàm oſtendit tranſeuntibus profectò ſine uoce auxilium poſtulat à filijs, meritò nobis indignos uideri, pro quibus ſepelliendis uiſcera materna fodiuntur, atq; etiam totum ipſius uenerandæ matris corpus, per omnia latera, & in ipſa etiam facie, fodiendo, & refodiendo deturpetur.*

QVOT *legata relicta ſunt ab auis, & atauis veſtris huic noſtræ ſponſæ Eccleſiæ Botuntinæ, quibus tamen nos ipſos fraudatos eſſe quotidieque fraudari uidemus, & dolemus, ſed ipſi tantem magno & æterno damno ueſtro uidebitis, & tabeſcetis, & inania ueſtra reſtituendi deſyderia peribunt; uerè peribunt. Ergo dum poteſtis, dum res eſt integra, dum uiuitis ſuper terram, nobis capitulo noſtro, omnibus Eccleſiis Botuntinæ Ciuitatis, ſiue regularibus, ſiue ſæcularibus, ſiue ſimplicibus, ſiue curatis, reddite quod per uos, per patres ueſtros, per auos ueſtros debetur, non reddetis hominibus, reddetis Deo, qui Eccleſias ſuas zelo zelat, & illas impune ſpoliari non patitur.*

ATTENDAT *autem ſumma fide, & diligentia Procurator Capituli Eccleſiæ noſtræ Cathedralis, ne panci illi redditus ab initio deputati ad fabricam Eccleſiæ, & ſi qui alij ſunt, uel in poſterum erunt, ullo unquàm tempore ſine conſcientia Epiſcopi diſtrahantur aliò. Sed omiſsis quibuſcunq; alijs rebus expendantur in neceſsitatibus, utilitatibus, atq; opportunitatibus ipſius fabricæ reparandæ. Idq; iudicio Reuerendi Archidiaconi, & Archipresbyteri, non ta-*

men ſine Vicario noſtro. Declaramus autem ipſi ex motu proprio, & ex certa ſcientia noſtra ad euitandas, quò ad poſſumus, omnes fraudes, quæ ad fabricam pertinere intelligantur ea ſolum in quibus ſuas operas exercent fabri lignarij, Funarij, Ferrarij, Cementarij.

SCIANT *Laici non licere illis in Eccleſiis quantumcunq; eas fundauerint, dotauerint, reparauerint, ut ius dicant, aut etiam arbitrentur, ſed nequè aut aliquos contractus celebrent, præter matrimoniales; ij enim ad Sacramentum pertinere uidentur.*

ET *illud ſciant non poſſe ſolemne & publicum ius iurandum deferri, nequè præſtari in Eccleſia, niſi coràm Epiſcopo, uel ſuo ipſius Vicario. Quod ſi ſecus quandoq; factum fuerit, tentatum eſt, uerè factum non eſt, quia nihil omninò ualet, quod illegitimè factum fuit.*

NEMO *in Eccleſiis poteſtatem habet nundinandi, conuehendi, uendendi, emendi, comedendi, bibendi, pernoctandi. Profana ſunt hæc omnia, irreuerentiaq; & turpitudinis plena, dedecora, atq; ideò flagellis, & funibus, pro zelo Dei, ab ipſius* CHRISTI *Sacerdotibus ſeueriſsime uindicanda; quia Domus Dei, Domus eſt Orationis, & Domum Dei decet omnis Sanctitudo.*

IN *Eccleſiis, ubi Deus ſingulari modo eſt, quo ubiq; non eſt, & ubi Sanctiſsimum* CHRISTI *Corpus uerum & uiuum ſub Sacramento mirabili à fidelibus adoratur; ubi etiam ſanctorum Martyrum reliquiæ cum luminibus, & cum honore Thuris in altaribus requieſcunt, indignum eſt, ut mortalium hominum fœtentia cadauera tumulentur, nequè ſint tecto ſaltem ſeparata domus Dei, & domus hominum mortuorum.*

IMMANE *eſt atquè nefarium, ut quotidie plena ſint populo Fora atquè palatia, & per negligentiam eorum qui gladium Dei portant, in Eccleſiis etiam diebus Feſtis ſit ſolitudo; quia in ſignum religionis ante omnia uiſitandum eſt templum, & colendus Deus, ſicut ſcriptum eſt. Primum quærite Regnum Dei, & iuſtitiam eius.*

INGREDIENTIVM *Eccleſiam inprimis & ante omnia hæc una eſt communis cogitatio, communis intentio, communis Oratio. Introibo in domum tuam, Adorabo ad templum ſanctum tuum, & confitebor nomini tuo Domine.*

SICVT *autem ille qui diù multumquè laborauerit in Curia Regis, ut inueniat gratiam in oculis eius, ſi tandem in cubiculum regium admittatur; ut ſolus cum ſolo colloquia miſceat ſe ipſum quàm maximè poteſt componere ſtudet, ut uultu & ſermone placeat Regi, quod alij ſine culpa prætermittere poſſunt, qui cum promiſcua multitudine in palatio, aut etiam in aula uerſantur, quanquam Rex utrobiquè eſt, qui etiam non abeſt à toto Regno. Ita licet in omni loco oculi Dei contemplentur bonos & malos, tamen quicunq; ingreditur Eccleſiam, uelut thalamum, & conclaue Dei, adytumq; ſacrum & ſeparatum ipſi Deo, quàm*

dile-

diligentiſſimè hoc unum animo verſare debet, ut nihil committat, quod diſplicere, nihil omittat, quod tanta maieſtati placere poſsit, haud dubie ſuper eos omnes, qui extra Eccleſiam delinquunt, futurus reus, neglectæ religionis ſi in re tanta, coràm Deo, & (ut ſic dicam) in occulis Dei, peccauerit.

NVLLVS *in Eccleſia tumultum excitet, nullus profana colloquia miſceat, Sciant omnes, ſe eſſe in templo, non in foro. Ideoquè procul abſint nugæ, et nugiuendi, deambulationes, rixæ, riſus, impudici aſpectus, & quicquid ſpeciem habet criminis, turpitudinis, irreuerentiæ.*

QVIA *Eccleſia Noſtra contigua eſt plateæ, quam ſimile eſt uerè olim fuiſſe uel cæmeterium, uel clauſtrum Canonicorum; prouideat Gubernator Regius, ut eo ſaltem tempore, quo diuina celebrantur in templo, quòad fieri poteſt ceſſet omnis ſtrepitus in platea. Illud unum maximè agat ne illa hora quæuis tympana, etiam Regiæ militiæ, concrepent, ne perſonent tibiæ, & ne promulgent regia edicta Tubicines.*

QVID *Sancto cum cane? Propterea qualibet hebdomada deputetur in orbem perpetuum unus ex exorciſtis Clericis, qui flagello eijciat omnes canes ex aula ſancta Dei; ſitquè flagellum ſemper paratum uelut ad manus exorciſtæ, appenſum inquàm in ipſius ſecretarij primo ueſtibulo.*

SED *& canes myſticos, ſuſpenſos inquàm, interdictos, & excommunicatos multò magis abhominari debent miniſtri Dei in ipſa Eccleſia. De quibus illud eſt, Foris canes & venefici, impudici. Quum igitur aliquis, ex ijs atris hominibus ingreſſus fuerit ualuas Eccleſiæ protinùs à quouis ſacerdote eijciatur, in quo qui deliquerit publicè confundatur ab Archipræsbitero: Archipræsbiter autem ſi diſſimulauerit, ab Epiſcopo, aut à Vicario.*

SACRISTA *curet, ut qualibet hebdomada, bis in choro, ſemel in tota Eccleſia non deſint, qui ſcopas ferant arundines habeant, qui tergant, ungant, uerrant, ſpargant, qui educant purgamenta, pauimenta expoliant, in angulis, quibuſquè perdant omnia opera aranearum, nitidas oſtendant altaris maioris columnas, & columnellas, lucenteſq; eos, qui ad Sanctiſſimum Sacramentum, & ad altare maius dependent à laquearibus Cychnos.* QVOLIBET *autem anno, ternis uicibus, hoc eſt in Feſto Natiuitatis Domini Noſtri* IESV CHRISTI, *in Reſurrectione Eiuſdem, & in die Aſſumptionis Glorioſæ Virginis Mariæ, ſub pœna arbitrio Vicarij noſtri imponenda. Idem ſacriſta agat, ut omninò ipſa etiam templi laquearia, atq; omnes parietes, inundante glomerati pulueris nube, exonorentur, & liberentur.*

SERMO

SERMO SYNODALIS DE DIVINIS ALTARIBVS.

ALTAS & ſublimes, aras, Eccleſiarum, faſtigia, & coronamenta, propitiatoria diuinæ maieſtatis, Thronos gratiæ, & garzophilatia theſaurorum CHRISTI IESV, ecce nunc primum ingredimur, prouolutis ad Terram genubus, & animis, ut par eſt, humiliatis & compunctis; paulò poſt, ſi illi libuerit, qui habet clauem domus Dauid, qui aperit, & nemo claudit, penetraturi etiam vobiſcum Fratres, ad interiora uelaminis, ad arcana altaris, ad abſcondita tabernaculi, Dei; ad ſacrificium inquàm ipſius Miſſæ, quod, nuſquam niſi in altari, ſacerdotum manibus, offertur & conſecratur Domino: Diuinas, lectiones, ſiue propheticas ſiue apoſtolicas, ſiue etiam euangelicas, quæ in Miſſa recitantur, in ueſtris laribus cum laude, & fructu audire, legereque ipſi poteſtis, & Clerici, & laici; ipſum quoquè diuinum officium, quod in choro, à uobis celebrari debet, ſi quis ueſtrum aliquandò, legitima neceſſitatis occaſione impeditus, extra chorum, in Eccleſia quæ tota domus Dei eſt, aut etiam in porticu Eccleſiæ, celebrauerit, nihil illi obeſſe poterit coràm oculis Dei; conſecrationem uerò, & oblationem corporis & ſanguinis CHRISTI myſteria illa ſancta, hoſtiam illam immaculatam, cui unquam licuit aut licebit ſine infirmitate, ſiue alia quauis neceſſitate, facere, perficere, immolare, extra altare CHRISTI IESV. Sunt myſtica altaria in uno quoq; noſtrum, ſi quidem omnes ſumus templa Dei, & CHRISTVS habitat in nobis. Nam, & Salomon, in templo domini, conſtruxit altare foris, ubi animalia mactabantur, & altare intus, ubi adolebantur thura, & Thymiamata. An non eſt altare Dei, corpus caſtum?

ſtum?

ſtum? & cor mundum? Illud eſt altare exterius in quo offeruntur opera bona, hoc interius, ubi fumant, & redolent cogitationes ſanctæ. Eſt & altare inuiſibile Dei,quo præcurſor noſter CHRISTVS intrauit, ubi & interpellat pro nobis ad patrem pro nobis inquàm,in nobis, & nobiſcum. Pro nobis,tanquàm ſacerdos noſter; in nobis tanquàm caput noſtrum; nobiſcum tanquàm primogenitus Frater noſter; quanquàm & oratur & exoratur, à nobis tanquam Deus noſter. Enimuero, ſicut extra nos ſunt uiſibilia templa, ſic in ipſis templis ſunt uiſibilia altaria, dicata Deo. Deo inquàm, non Dijs, neque uerò Deo ignoto, ſed iam ubiquè gentium notiſſimo, celebratiſſimo, uni, uero, & uiuo domino noſtro IESV CHRISTO; quem, cæli, & terræ canunt; quem, adorant Angeli; quem omnis mundus inuocat; ad cuius nomen, ipſi quoquè inferi contremiſcunt. Cui, in ara cordis ipſi, ſpiritum noſtrum, nunc ut hædum laſciuientem, nunc cum auiculis errantem per deuia, nunc inſtàr pecudum inſanum, & ſtultum, nunc demum, uelut taurum indomitum, & ſuperbum gladio uerbi Dei, quo nullus unquàm penetrantior, mactamus, iugulamus, ſacrificamus. Et quidem, hæc ipſa Eccleſiarum altaria, ab ipſis hierarchis toties luſtrata, abluta, inuncta, incenſa, & demum, undiquè crucibus munita, & conſignata, an non hoc loquuntur? an non hoc dicunt? quod ſunt altaria CHRISTI? dedicata CHRISTO? ſanctificata per CHRISTVM? qui, & myſta, & myſterium, & templum, & altare, ſicut & holocauſtum; pro nobis eſſe non dedignatur. Quin, & forma ipſa altarium, quanquam interdum opere dorico, interdum ionio, aut etiam corynthio, ſemper tamen, & omninò, quadrangula eſt. Materia quoq́, ex qua communiter altaria conſtruuntur, terra, lapis, æs, aurum, lignum; non enim ex qualibet materia altaria ſiunt, ut neque Statuæ; hæc inquàm omnia, CHRISTVM indicant.

SANE', Quadratura Crucem CHRISTI, & quaternas illius tantorum myſteriorum plenas dimenſiones, longitudinem, latitudinem, ſublimitatemq́, & profundum, apertò loquitur. Terra, ſignificat exinanitionem Incarnationis, iuxta illud. Similis uobis ex genere terreno, in uentre matris figuratus ſum Caro. Lapis, ſymbolum expreſſum eſt CHRISTI, de quo illud eſt. Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic, factus eſt in caput anguli. Quid porrò, melius, aut apertius, indicat ſonum prædicationis eius, quam crepantia Ærea? ideoquè, altaria ærea, & ærata? Certe uerò, poſt omnia nihil tam decet CHRISTVM in altari, quàm aurum & argentum, & laminæ, aureæ, & argenteæ. Ille enim, & nobis ſæcula fecit aurea, & per Apoſtolos ſuos auro ſapientiæ, & eloquentiæ argento, ſancta quadam fame, & ſiti ſummos philoſophos, oratoresq́, & Reges, ac Cæſares, accendit, & ad ſe traxit, tanquàm ad omnium diuitiarum principem, imò uerò tanquàm ad dominum omnium Theſaurorum. Quanquàm autem, pars illa magna templi, quæ dicitur nauis Eccle-

ſiæ, tota eſt domus Dei, ideoq́ tota Sancta & ſacra, quàm iccirco vniuerſa plebs ſancta ingreditur, nam hierarcha dicit illis ſolis, foris canes, quibus iam velut profanis, meritò interdictum eſt aqua & igni; ſicut tamen ſacratior locus in Templo, eſt chorus, in quo non plebs, ſed Clerus Deum laudat; ſic ſacratiſſimus eſt ipſum altare, in quo ſoli ſacerdotes celebrant, & celebrando conficiunt corpus CHRISTI; *Leuantes, quòad per humanam fragilitatem licet, puras manus, ad Deum, non ieiuni ſolùm, ſed uirtute confeſſionis, quæ ſacramentalis dicitur, ab omni contagione expiati; ſanctificati, & quaſi, non iàm in carne exiſtentes, ſed in ſpiritu laudantes, benedicentesq́ Deum, & gratias illi agentes, in Pſalmis, Hymnis, & Canticis ſpiritualibus. Erant altaria, etiam ante inuulgatum Euangelium, & legem. Vt enim ſilentio prætereamus primum illud, vix extra ſacras literas mundo agnitum ſæculum, certè poſt famoſam illam aquarum cladem, ſummus ille Sacerdos, & renaſcentis orbis pater, Noe, vt Deo pro omnibus hominibus, qui in eo, tanquàm in ſemine erant, gratias ageret, ædificauit altare; ſuper quo, de animalibus mundis, quæ, ille ipſe, diuinq edoctus magiſterio, in arca ſeruauerat, ſacrificium obtulit, quod, Moſe teſtante, adoratus eſt Dominus in odorem ſuauitatis. Et omnino, manifeſtum eſt ex profanis literis, oblationes, & ſacrificia, atq́ adeò ipſas aras, quæ, in latina lingua, dum ſublatæ ſunt in altum, altaria dicuntur, exiſtimanturquè, dicata Dijs ſuperis apud gentes, ut aræ inferis; manifeſtum inquàm eſt, altaria antececiſſe ipſas Eccleſias, hoc eſt, templorum omnium, quæ, non niſi multa opera conſtrui poſſunt, in gentes machinationes. Porrò verò, à beata illa plenitudine temporum, à nouiſſimis illis diebus, quibus Verbum caro factum eſt, ut eſſet hoſtia pro peccatis noſtris, dum reſpiceret, & ipſe Deus in faciem* CHRISTI *ſui, illicò faſtidire cœpit, nauſeareq́, & ſtomachari omnem cultum aliarum gentium; Iamq́, per omnia ſæcula, extra* CHRISTVM, *execratur omnia ſacra, reputans altaria ſtabularia, feſta nefaſta, ſacrificia ſacrilegia, officia maleficia (& ut per quendam Prophetam, ferè dicitur) laudes blaſphemias, & benedictiones maledictiones; Poſtquàm ergò intellexit Chriſtianus orbis, fœtere diuinis naribus, carnes, & ſanguines agnorum, & taurorum; atq́ adeò ipſa altaria, & Iudæorum, & gentium, æquiſſimum fuit, vt ipſi, qui, per Dei gratiàm,* CHRISTO *nomen dedimus, in quibus vnis, Deus amanter inambulat, tanquàm grati animi homines, ædificaremus altaria ipſi* CHRISTO, *in quibus & illè delectaretur, & nos non ſolum ſacrificaremus, ſed & litaremus. Sacrificare omnes gentes poſſunt, Litare non niſi Chriſtiani poſſunt, quia ſoli Chriſtiani ſunt homines Deo digni, quorum & ſacrificia ſunt Deo digna, & Deo quoq́ digna putantur altaria. Ne abhorrete quæſo animis, aut etiam auribus, Dilectiſſimi Fratres, à uoce Altarium quaſi Deus ſibi erigi iubeat altare, non altaria. Vtrunq́ legimus in ſacris literis.*

Introibo

Introibo ad Altare Dei. Altaria tua Domine virtutum. Et loca hæc veritatem ipſam, de more, vt ſcitis, aperiunt; Vnum quidem ſolum eſt omnibus catholicis altare, ſicut & vnum ſacrificium, vnum Euangelium, vnus Dominus, vna fides, vnum baptiſma: nam, hæretici, illi ſunt, qui vnitatis hoſtes ſchiſmatis, & ſeditionis authores conſtruunt altaria, faciunt conuenticula, variant dogmata, multiplicant baptiſmata; ſed enim quum numero plurium altaria dicimus, per eam ipſam; quam profitemur Chriſtianam ſimplicitatem, in nobis paruuli, in Domino ſapientes, cum patribus noſtris literam, non myſteria loquimur. Baſilicas, in orbe terrarum, multas habemus, vbicunq; cum laude nominatur CHRISTVS; *& in una quaq; Eccleſia, ad ſacrificiorum pompam, multa ſimiliter habemus altaria, ſed omnia altaria Vnum altare, ſicut omnia ſacrificia vnum ſacrificium; omnes doctrinæ vna doctrina, & omnes libri vnus liber; neq; enim de catholicis, ſed de hæreticis dictum eſt, faciendi libros nullus eſt finis. An neſcitis, quod & omnes Eccleſiæ ſunt una Eccleſia? & omnia corporis membra ſunt unum corpus? Ecquid tandem putatis eſſe altaria Chriſtianorum (ut rem totam aperiamus) niſi thecas membrorum ipſius* CHRISTI? *repoſitoria carnium & oſſium* CHRISTI? *tumulos inquam, ſepulcra, & mauſolea Sanctorum, qui dum uiuerent,* CHRISTO *uiuebant, dum morirentur pro* CHRISTO *moriebantur, & nunc, uita functi, cum* CHRISTO *in cælo regnant?* CHRISTVS IESVS, *qui eſt omnium martyrum gloria, & Corona, vt ſeruorum ſuorum reliquias honoraret, ut fidem faceret uerbo illi. Pretioſa in conſpectu Domini mors ſanctorum eius; & illi, Nimis honorati ſunt amici tui Deus; nuſquam, ſuæ ipſius Maieſtati ſacrificari voluit (hic eſt enim ſupremus honor, qui Deo impenditur, honor ſacrificij) niſi ſuper corpora Sanctorum ſuorum, ſuper oſſa arida, ſuper puluiſculos, ſuper fauillas eorum, qui pro teſtamento ſuo glorioſum ſanguinem fuderunt. Vt propterea, per uniuerſam Eccleſiam, ad uenerandos illos cineres, in* CHRISTI *gratiam, genua flecteremus, preces funderemus, cereos accenderemus, thura adoleremus; quod deuotiſſime faciunt catholici omnes, uſque adeo, ut hoc ipſo quoque nomine, & titulo, ipſi inuidioſi facti ſimus hæreticis; qui in religionis deſpectum, & contemptum altarium, atque Sanctorum, nos cinerarios, & idolatras uocant; quod in cineribus ſacrificemus, quod hominum mortuorum exanima oſſa, & extinctos pulueres, tanta religione colamus. Quaſi uero, honorantes ſeruos Domini, ipſum in ſeruis Dominum, qui ſe in illis mirabilem uarijs modis ſemper oſtendit, non primum & principaliter adoremus. Ut enim, Sanctis Diuorum corporibus, quaſi cadaueribus, multum detrahat hæreſis (cuius fex, quod dolens dico, non dum eſt exinanita) Ipſæ tamen ſcripturæ ſacræ, teſtantur, ad Prophetæ Dei, ad Heliſei inquam contactum, dum iam mortuus in ſepulcro iaceret, alium mortuum repente è morte in uitam ſurrexiſſe.*

ſurrexiſſe; & , hebraica veritas, dicit, corpuſculum Moſe fuiſſe ſepultum, à Domino; Angelos autem, quis eſt qui neſciat, in veſtibus albis feciſſe excubias corpori Saluatoris? Atq; ideo; ſacroſancta ſacerdotalis prudentia, ducta partim diuina ipſius ſcripturæ authoritate, partim ineffabili uniuerſæ Eccleſiæ magiſterio, manu ipſius Hierarchiæ, condit tumulo, & tabernacula integra, & membra conciſa, tanquàm pretioſiſſimas reliquias ſanctorum, ut tumulati martyres ſint locus altarium, imò verò ut conſurgant in altaria, in altaria, in quàm, vbi, iuxta Prophetam, immolatur agnus, cum incenſo arietum. Ecquid eſt agnus cum incenſo arietum, niſi CHRISTVS *cum orationibus Sanctorum? Quanta gloria martyrum? quanta Maieſtas Sanctorum? ut Eccleſia ſancta Dei, tumulum unius Sancti, arbitretur altare, & menſam* CHRISTI? *Vtrunq; nomen conuenit aris noſtris, fratres; Sunt altaria, Sunt menſæ. Altaria in quibus offertur Deo corpus* CHRISTI, *Menſæ ex quibus diſtribuitur populo idem Corpus* CHRISTI; *offertur, tanquàm ſacrum holocauſtum, diſtribuitur cæleſtis cibus fidelium. Ecquam bellè diceretur Eccleſiam eſſe tanquàm aulam, Altare eſſe velut Thalamum tanti Regis, in quo ſedet, quieſcit, recumbit, delitiatur. Et quidem non ab re Adonias qui ſcelus ſuum agnoſcebat, nam neſciente patre, ſciens & prudens pro rege adorabatur, cum Salomon, patris Imperio regnare cæpiſſet, dum ſibi metuit, ut euaderet iram regis aſcendit ad cornu Altaris, quod & manu prehenſat, ac tenet, & nihil non agit ut ab illo diuelli ſe nequaquàm patiatur. Quanta altarium gloria? quanta dignitas? quantus honor? Certè, non eſt æquum, altaria numerari in ſupellectile inter res mouentes, ſed in fundis, in ædificijs, in domibus, in bonis certis, atq; ſtabilibus. Ob id fortaſſe priſca latinorum lingua non dicebat aras, ſed anſas, quòd à ſacrificante tenerentur. Vnde & carmen Virgilianum.*

Talibus orantem dictis, araſq; tenentem.

NAM anſis teneri uaſa, nemo ignorat, Vnde uaſa anſata, Poſteriores autem abiecta litera. N. conuerſioneq; facta. S. in R. dixerunt pro Anſa, Aram. Nobis porrò antiquata ferè; & abſoleta eſt uox ara, nam præter capitolinam arcem, in qua eſt altare illud ſacroſanctum, cui titulus eſt ad hunc vſq; diem; Ara cœli, uix uſitatum eſt inter nos, vt altare dicatur Ara. Nimirum non habemus Deos ſuperos, & inferos, ſed nobis eſt unus Deus, cui in luce, in aperto, in excelſo ſacrificamus, atq; ideo non in antris aras, quaſi haras porculatores, ſed in medio cælo, quaſi Dei altiſſimi Sacerdotes, diuina altaria erigimus, & multa religione conſecramus.

SEQVVNTVR DOCTRINA,
ET CANONES.

IGITVR QVODLIBET ALTARE SIT IN PRIMIS *fideliter firmum, firmè grauiterq́; & ferociter fixum, ac ſtabiliter collocatum; ut, non modo abſq́; periculo ſtet, ſed ne facile quidem moueri, aut improbis conatibus motari poßit.*

IN *ſignum ſuæ ipſius Maieſtatis, & dignitatis, altare circunludatur cancello, ſaltem ligneo, ne eo ipſo, quod patet omnibus, uileſcat in animis omnium. Oſtium ſit unum & anguſtum, quod aditum præbeat non promiſcuæ multitudini, ſed ſoli Sacerdoti. Feneſtra ſit lata, ut aere liberè perflatus locus, totus ſit Illuſtris, & ſaluber; ſed tamen reticulata ſit, ut nequè ſerpens, nequè aliud animal noxium, & immundum, & ne aranea, quidem, introire queat, & coinquinare menſam tanti Regis.*

ALTARE *quidem ex una ipſius forma* CHRISTI *crucem, & quatuor illius cornua referre uidetur; quia tamen refert crucem iacentem, non, ut oportet, in Tropheum Chriſtianæ religionis erectam, ad ſimilitudinem lapidis, quem erexit Iacob in titulum: Iccircò, iubemus, ut ſuper quodlibet altare, ubi nequè ipſius Crucifixi,* IESV CHRISTI, *Domini Noſtri, nequè Almæ Virginis, aut alterius Sancti imago habeatur (ſanè hæc inſignia modo quodam loquuntur* CHRISTVM *& eum Crucifixum) erigatur omninò figura uiuificæ Crucis, aut lapide, aut ligno inſculpta, ſiue ad minus quomodolibet depicta, idq́; ad crucis* CHRISTI *gloriam, ad terriculum dæmonum, & ad ſolatium piarum mentium.*

MOS *eſt piorum Virorum, & mulierum, ut delectentur uehementer in frequentandis Eccleſiis, & exoſculandis altaribus. Sacerdos autem dum celebrat Miſſam, quoties ad populum uerſitur religione perpetua in primis oſculatur altare. Poſtquàm ergò, ut dictum eſt, altare* CHRISTVM *refert, qui & ipſe altare eſt Dei quicunq́; altari oſcula imprimit maximè uerò Sacerdos meminerit deſyderiorum & amorum ſponſæ, quum impatiens, iàm ſuſpiraret & diceret. Oſculetur me oſculo oris ſui, & toto impetu cordis ipſe, quoq́; in hunc ferè ſenſum clamare incipiat, ità tamen ut labia eius non moueantur: Dominus meus, Deus meus, amor meus, gloria mea, deliciæ meæ. Quis mihi det, ut non iàm in myſterio, ſed facie ad faciem te uideam, & deoſculer pedes tuos, & iàm nemo me deſpiciat? Quum autem oſculum ſit non ſolum ſignum amoris, ſed & reuerentiæ, nam Heſter Regina in reuerentiæ ſignum oſculata eſt ſummitatem uirgæ Aſſueri regis. Caueat quiſquis accedit ad oſculandum altare ne, aut odij,*

aut

aut inuidiæ ueneno percuſſus, aut etiam iracundiæ furore repletus ſit, abſtineat potius iuxta præceptum Domini, & longè, longè fiat ab altaribus, donec reconciliatus placatuſquè fuerit fratri ſuo, ne cum tanta animi impudentia appropinquans ad Dominum, & oſculans eum audiat cum Iuda Scarioth uocem illam. Siccine oſculo filium hominis tradis? Amice ad quid ueniſti? Quomodo huc intraſti non habens ueſtem nuptialem? Vade reconciliare fratri tuo; Et quod magis timendum eſt, Ligatis manibus & pedibus mittatur in tenebras exteriores, ubi eſt perpetuus fletus, & ſtridor dentium. Itaq́ meminerit Sacerdos oſculans altare uerbi illius. Qui non diligit proximum ſuum quem uidet, Deum quem non uidet, quomodo poteſt diligere? ſe ipſumq́ quòad poteſt excitare nitatur, ut nulla amaritudo, nulla indignatio ſit in corde eius, pacem habeat cum omnibus, benè cupiat omnibus, & pro ſe, & pro omnibns amanter & reuerenter deſyderet uidere Dominum, frui Domino, & oſculari pedes Domini, ut & ipſe dignetur illuminare faciem ſuam ſuper eum, oſculare eum, & delectari in eo, quia deliciæ ſuæ eſſe cum filijs hominum.

CVRET Sacriſta, ut menſa altarium deterſa rubigine ſeruetur, quoq́ ſemper munda, & nitida, libera & à ſordido puluere, & à nebula pulueris, adhibito cuilibet altari integumento linteo, quo tota menſa ſepiatur, ſed picto, uel colorato, ut conſpicua fiat.

IN priuatis domibus, quæcunq́ altaria ſunt, agant Parochi, ut omnino deſtruantur, niſi ſint oratòria, per nos literis noſtris probata. In Eccleſiis autem ubi tria conſtituta ſunt, quartum poſt hac non erigatur, non ſolum ad religionem numeri ternarij, in quò etiam Philoſophi gentium neſcientes fortaſſe, quid dicerent, dixerunt adorandum eſſe Creatorem, ſed ne paulatim in nimiam multitudinem excreſcant, & eò ipſo, quò multa ſunt dum propter inopiam, & per incuriam neglecta iacent, uileſcere incipiant. Nam uitium & humani generis, ut eſt ſacra & profana, & omnino omnia in oculis noſtris eò ipſo ſint chariora, quò rariora. Si quæ inter rura, nemora, uias, pagos, cryptas, inueniantur altaria, in quibus nulla reliquiæ martyrum condita ſint, ea omnia à Vicario noſtro inter uiſitandum, authoritate noſtra, penitus deſtruantur. Quod ſi per tumultus populares fieri, ſine periculo, non poſſit, ſaltem & uoce, & ſcripto improbentur, ut paulatim inanis vulgi opinio extabeſcat, nequè pro religione alatur, ſuperſtitio; quæ etiam, ut ſit, uires acquirat per ſomnia, & uanas quaſi reuelationes, & conficta miracula.

SERMO

SERMO SYNODALIS DE SACRA CVSTODIA SANCTISSIMI

CORPORIS DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI.

HABETIS cuſtodiam, Ite cuſtodite ſicut ſcitis. Illi autem abeuntes, munierunt ſepulcrum, ſignantes lapidem cum cuſtodibus. Cuſtos qui de nocte? Cuſtos qui de nocte? Cuſtodi te ipſum nobis Domine, qui nunquàm dormis, nequè dormitas, quia niſi tu domine cuſtodieris nos, fruſtra vigilauerit qui dies, & noctes, excubat ad poſtes Oſtij Sanctuarij tui, Cuſtodi, inquàm te nobis, ut habeamus quod manducemus, ne deficiamus in uia non habentes te Dominum panem noſtrum superſubſtantialem, uires, robur & neruum totius ſubſtantiæ noſtræ. Fratres, Sancta illa Peccatrix Maria Magdalene, quum reſpexiſſet in monumentum, & non uidiſſet Dominum, ideòquè ſublatum credidiſſet, in lacrimas, & luctus, miſerata ſeſe dedit. Heu tulerunt Dominum meum, & neſcio ubi poſuerunt eum; Vbi poſuerunt? Vbi poſuerunt? Domine ſi tu ſuſtuliſti eum dicito mihi, & ego eum tollam. Sed & ſanctus ille Rubem, dum non uideret Ioſeph, quem Pater tantoperè diligebat, Typum domini noſtri IESV CHRISTI, *in quo uno Pater æternum ſibi complacuit, primùm non potuit tenere lachrymas, tùm dulcibus indulſit lachrymis.*

Heu me miſerum. Puer non comparet, & ego quo ibo? Puer non comparet, & ego quo ibo? Ecce adeſt IESVS *Noſter, Dilectus ex Dilecto, Dilectus in ſanctiſsimo ſacramento, ex Dilecto in forma propria. Venite, & uidete locum ubi poſitus erat. Ecce in eodem loco eſt. Gaudete, Gratias agite. Sed beatus ille eſt in re tanta, qui ſemper eſt pauidus. Timemus à maleficio, Timemus à ſuperſtitione, Timemus ab auaritia. Cur non timeamus à negotio perambulante in tenebris, quod eſt impietas, à Dæmonio meridiano, quod eſt hypocriſis, & ab illo ipſo Aquilone, unde panditur omne malum. Itaquè poſthac non ſemiapertis aliquandò foribus, ſed die noctuquè clauſis, & obſirmatis, ære, ferro, inſtrumentis duelli non ſani* IESVM CRRISTVM *hoc loco adorare licebit. Et nunc primum, Ante hanc ſanctiſsimam Arcam, ante hoc diuinum tabernaculum, Venite, genua Flectite, petite, quærite, pulſate, & Dominus qui non longè eſt ab uno quoquè noſtrum dabit ſpiritum bonum petentibus ſe. Domine* IESV CRRISTE *nos indigni ſerui tui, ne plagas quidem tuas neq; uulnera in corpore hoc tuo, quod ſacris adopertum eſt Symbolis, intuemur, & tamen cum Beatiſsimo illo Thoma tuo, qui unus ex Duodecim, non tàm ſibi, quàm nobis & uidit, & tetigit (quod hodierna die in feſtiuitate ſua piè recolimus) ut una uoce, ſic una eaquè cana & pura fide totus hic tuus populus Botuntinus mecum exclamat. Dominus meus, & Deus meus, Tuamq; ſacroſanctam & inuiolabilem maieſtatem myſticis panis, & uini integumentis, & uelaminibus obumbratam, non ſecus quàm in papylione regem Omnes, & ſinguli apertis capitibus, & genibus poſitis reuerenter adoramus Dicentes. Verè tu es abſconditus homo & Deus, Deus abſconditus in ſpecie hominis, Homo abſconditus in ſpecie panis. Et in Cruce quidem latebas Deus, & apparebas homo, at uerò in altari lates & Deus, & homo, ſed nos te Deum uerum, & hominem uerum Deum in homine, & in Deo hominem, uerum in uero, & uiuum in uiuo credimus, confitemur, agnoſcimus, prædicamus. Quia uerè tu es ille ipſe unus* CRRISTVS IESVS *olim in triduo mortuus, nunc & in ſempiternum uiuens, qui reſurgens ex mortuis, immortalis, ut ſemel ſuſtuliſti, ſic quotidie tollis peccata mundi, ſemel in ligno Crucis totus cruentus, quotidie in ſacrificio altaris candidus, & rubicundus. Fratres ſegregate animis ueſtris Sanctiſsimum diuinæ Euchariſtiæ Sacramentum ab alijs ſacramentis, tanquàm à ſyderibus Solem, tanquàm à riuulis fontem, tanquàm ab elementis ignem. Omnia ſacramenta ſacrant, ſantificant, benedicunt, hominem homine ſpoliant, & Deo induunt, quia diuinam gratiam, quam ſignificant, & continent, pro ſua cuiuſq; proprietate, & differentia ſuſcipientibus largiuntur, Regenerantem, roborantem, iuſtificantem, liberantem, gubernantem, & præſeruantem. De quibus ſuo tempore, & loco, dicturi ſumus. Verum enimuerò Vnde hæc tanta poteſtas, & efficacia, uel in rebus, uel in actionibus, quæ in hominis animam inuiſibiliter illabatur,*

batur,

latur, quæ eam interius renouet, quæ ultra quàm homini datum eſt in altum prouehat, quæ iuſtitia, & omnibus, uirtutibus, exornet, quæ minutas quoquè illas in oſsibus, & medullis impreſſas, & inhærentes peccatorum reliquias, & ſordes abſtergat, quæ uim etiam hierarchicam regendi, & gubernandi conferat, quæ diras Concupiſcentiæ flammas, quibus incenditur, ſi non exinguat, ſaltem temperet. Vnde inquàm hæc tanta Virtus rebus creatis aqua oleo, balſamo, Crucibus, ſignis, benedictionibus, manibus hominum; atquè adeò ipſis hominibus adminiſtris ſacramentorum, niſi ex uirtute Dei? nimirum Omnis uirtus in creatura, quæ limites naturæ creatæ excedit, reducitur ad uirtutem creatoris, inde eſt, inde fluit, inde ſeruatur. Rogo autem quæ eſt alia Creatoris uirtus, quàm Dominus noſter CHRISTVS IESVS? *ſedens ad dexteram Maieſtatis in excelſis, purgationem peccatorum faciens, quem Pater conſtituit hæredem, uniuerſorum, per quem fecit & ſæcula, cuius uerbo cæli firmati ſunt, per quem omnia facta ſunt, ſine quo factum eſt nihil? Sic ſanè Apoſtolus dicit* CHRISTVM IESVM *Dei uirtutem, Deiq́ ſapientiam. Et propheta illum, uocant in theologia ſymbolica, Manum, Brachium, & Dexteram ipſius Dei. Profectò uerò eſſe ne aliud poteſt illa ipſa Dei uirtus quàm Verbum Dei? quàm ſapientia Dei? quàm lux Dei? At uerò* CHRISTVS *eſt hæc omnia. Ipſe eſt uerbum. Ipſe eſt ſapientia. Ipſe eſt lux. In principio erat uerbum. Ego ſapientia ex ore Altiſsimi prodij primo genita ante omnem Creaturam. Erat lux uera, quæ illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundum. Intelligite Fratres, & erigite mentes ueſtras. Sapientia eſt uerbum, & Verbum eſt ſapientia, Et ipſa ſapientia lux eſt, & Deus lux eſt, & lux quæ Deus eſt, eſt fons ſapientiæ, & pater uerbi, Et* CHRISTVS *eſt uerbum de patre, & lux de luce, & filius Dei, Deus de Deo. O Dulciſsime* IESV, *O lux de luce, O fons luminis, O æterna lucis candor, O paterna gloriæ ſplendor, Illumina faciem tuam ſuper ſeruum tuum; ut dum uidet te ſapientiam, uerbum Cordis, uideat & te uerbum, ſapientiam Oris, & ſciat te ſimul eſſe & ſapientiam, & uerbum; quia tanquàm ſapientia doces interius, tanquàm uerbum ſonas exterius, & utroquè modo lux es, quia utroq́ modo illuminas, nequè alia quadam, luce illuminas, ſed ea luce, quæ ipſe es, Lux uera, Lux non participata, non lucerna, luce à lumine accepta lucens; ſed lux, quæ per temetipſum luces, lux quæ per temetipſum illuminas, quæ propterea etiam in tenebris luces, & omnes qui ſunt in tenebris illuminas, ſed tenebræ te non comprehenderunt, imò ne deprehenderunt quidem, nam qui ambulant in tenebris, illuminantur quidem ut uideant, ſed uident per te, non uident te.*

NEMO *aliquid uidet niſi per Te domine* IESV, *ſed pauci, uident te. O ſi uiderent, beati eſſent. Itaquè (ut concludam Dilectiſsimi) in cæteris ſacramentis & uirtus creata ipſius* CHRISTI, *ex* CHRISTO *eum, & per*

F ij CHRI-

CHRISTVM ſanctificamur, quia ipſe eſt ſolus ſanctus, In CHRISTO, & per CHRISTVM benedicimur, quia ipſe eſt benedictus, qui uenit in nomine domini, uerè ſemen Abrahæ, in quo benedicuntur omnes gentes, imò qui eſt benedictio omnium gentium, In CHRISTO, & per CHRISTVM ſacramur, & ſignamur, quia ille eſt quem Pater ſignauit, quem ſignum fecit, qui poſitus eſt in ſignum, in ſignum cui contradicitur ab ijs qui pereunt in ſignum, in quod aſpiciunt, qui Salui fiunt. At uerò in ſacramento Euchariſtiæ, quid quæritis, uirtutem, influxum, gratiam, donum? quando in eo eſt ipſa ſubſtantia, ipſa natura, ipſa eſſentia, ipſa integra perſona CHRISTI IESV. Quid confuſa loquor, Perſona CHRISTI IESV? & non exertè dico illa ipſa perſona, quæ eſt CHRISTVS IESVS? Ille homo Deus, in quo habitat corporaliter omnis plenitudo diuinitatis, Ille in quo ſunt omnes theſauri diuinæ, ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi, Ille, in quo ſunt Tres Eſſentiæ, Caro, Anima, Diuinitas. Dicenda eſt res paulò planius, Ille ipſe IESVS Nazarenus, qui dicitur CHRISTVS, Meſſias Iudæorum, Dei & Mariæ Virginis filius, Lux mundi, Redemptor humani generis, Rex Iſraël, Rex cœli, & terræ, Mediator Dei, & hominum, Caput Eccleſiæ, Corona ſanctorum omnium, Deus Deorum, & Dominus dominantium. Ille inquàm ipſe non κατὰ τρόπον, non κατὰ δύναμιν, non συμβολικῶς, non ὑπερβολικῶς, ſed ἀληθῶς, ſed ὑπαρκτικῶς, totus ex toto; & in totum eſt in ipſo ſacramento Euchariſtiæ. Imò uerò illud ipſum ſacramentum Euchariſtiæ, eſt illa ipſa uera caro, ille ipſe uerus ſanguis, illa ipſa uera anima, illa ipſa uera perſona Verbi, Vt propterea qui ad altare ſumit hoc ipſum ſacramentum, uerè comedat carnem CHRISTI, uerè bibat ſanguinem CHRISTI; uerè cum anima ſua habeat, & ipſam totam animam CHRISTI, uerè in ſuo homine ſuſcipiat totum CHRISTVM, ut iam poſt hac uiuat uitam CHRISTI, ſi tamen non indignè ſuſcipit CHRISTVM. O Magna, O Veneranda, O Admiranda myſteria. Stupenda quidem ſunt omnia chriſtianæ religionis ſacramenta ſupra rationem, præter rationem; & magna ex parte contra cæcam, & ſtultam humanæ intelligentiæ rationem, quæ propterea quis diſcutiat? Defecerunt ſcrutantes ſcrutinio Fratres in his duobus præcipuis Theologiæ noſtræ capitibus. Trinitate diuinarum perſonarum & Euchariſtia Sanctiſſimi corporis domini noſtri IESV CHRISTI. Sed Trinitatem nunc in ſilentio adoremus. De Euchariſtia ſermo eſt. Eam credere iubemur; diſcutere prohibemur. Ecquis diſcutere audeat ea, quæ facit ſola potentia, ſola ſapientia, & ſola Bonitas Dei? Illa potentia, cui idem eſt facere, ut aliquid ſit, quod uelle ut ſit; Illa ſapientia cui nihil eſt impoſſibile ut faciat, quod nouerit eſſe poſſibile ut fiat; Illa Bonitas, cui quicquid placet, eò ipſo, quò placet, decet, & id ſolum, quod diſplicet, eo ipſo dedecet, quod diſplicet. Hæc ergò potentia, quæ eſt omnipotentia, cuius non eſt menſura, neq;

modus.

modus. Hæc ſapientia cuius non eſt numerus; Hæc Bonitas quæ tanta eſt, ut fide careat, facit ut Corpus CHRISTI *& Sanguis ſub panis & uini coloribus, odoribus, ſaporibus, quos myſticus Iſaac ne percipit quidem rationi cæcus; fidei centoculus ſit conuiuium noſtrum; Euchariſtia noſtra, Sacramentum noſtrum, myſterium noſtrum. Quid? non myſterium, & Sacramentum ſolum, ſed Sanctiſſimum quoq; & Deo acceptiſſimum ſacrificium. An non meminiſtis uerborum illorum trium, Hæc dona, hæc munera, hæc ſancta ſacrificia? Donum eſt Dei donatum nobis, munus eſt noſtrum oblatum Deo; ſacrificium eſt, quo placatur Deus, quo reconciliatur homo. Et hæc quidem ratio ſacrificij ea eſt, quæ maxime pertinet ad ſignificationem huius uocis Euchariſtiæ. Quæ ſanè uox authoritatem accepit à patribus in Concilio Niceno, copulata cum illa antiquiſſima uoce προσφορὰ, quæ oblationem ſignificat. Intellexerunt enim, & ſignificare uoluerunt, hoc ipſum Sacramentum Corporis & ſanguinis Domini Noſtri* IESV CHRISTI, *non eſſe oblationem ſolam (hoc enim nomen longe lateq; patet) ſed eam oblationem, quæ eſt ſacrificium, & ſacrificium, quod eſt Euchariſtia, hoc eſt ultimum, ſummumq; & maximum ſacrificiorum, quo nimirum omnes oblationes, & omnia antiquæ legis ſacrificia conſummantur. Nam in ipſo & per ipſum Eccleſia ſancta gratias agit Deo, quod tandem aduenerit Dies illa, in qua finem impoſuerit cruentis ſacrificijs, & ipſo iubente iuxta oracula Prophetarum, quæ id quandoq; futurum eſſe prædixerunt, inceperit offerri hæc oblatio munda, ſacrificari hæc hoſtia incruenta in omnibus gentibus à ſolis ortu ad occaſum. Erat in lege ſacrificium, quo placabatur ira & indignatio Dei. Erat quo laudabatur, & colebatur à timentibus Deum. Erat quo agebantur gratiæ, & ſoluebantur uota pro uictorijs, & alijs beneficijs, quæ populus conſequebatur ab ipſo Deo. Et primum quidem dicebatur, Hoſtia pro peccato, Secundum Holocauſtum, Tertium Hoſtia pacifica. Hoc ſacrificium igitur eſt uerè Euchariſtia tanquam Corona omnium ſacrificiorum, atq; ideò (ut græcè dicam) θυσία θυσιῶν, Adduxe nos & propter rationem Sacramenti τελετὴ τελετῶν, πηγὴ πηγῶν, χάρις χαρίτων, Hoſtia hoſtiarum, Perfectio perfectionum, Fons fontium, Gratia gratiarum; Ob id enim appellatur ſynaxis, & Articulum illum Apoſtolicæ fidei. Sanctorum Communionem, altiſſimæ Theologiæ Magiſter Dionyſius docuit de hac ipſa diuina Euchariſtia intelligendum eſſe, quod uerè ſit Sacramentum unitatis, charitatis, & (ut ſignanter dicam) communionis, & communis participationis ſanctitatis* CHRISTI *fidelium, quo Sanctus Sanctorum à nobis participatur, quo ipſi Sancti efficimur, quo & inuicem alter alteri, & omnes ipſi ſanctæ Eccleſiæ, tanquam membra myſtica, & uina copulamur, quo ut omnes ſancti orent pro nobis digni efficimur, & ipſi etiam aliquando in illa Sancta ſanctorum, ubi nos cælites expectant, facti unum cum* CHRISTO *ingredimur; propter quod & in primi-*

tiua Eccleſia, uix baptizati etiam pueri ſuſcipiebantur ad Euchariſtiam, ut in baptiſmo loti, & puri, CHRISTO *incorporarentur, & cibo & potu fierent unum cum ipſo* CHRISTO; *hic eſt enim ſcopus, & fructus huius Sanctiſſimi Sacramenti. Profectò uerò nihil eſt extra hominem, quod in hominem ingrediens, ita fiat unum cum ipſo homine, ſicut cibus, & potus. Itaq;* CHRISTVS IESVS, *ut intra nos eſſet, & ità intra nos, ut nihil eſſet nobis magis intimum intermedia ratione diuiniſſimæ Euchariſtiæ, effici uoluit cibus noſter, Caro noſtra, Sanguis noſter, Conuiuium noſtrum. Quid? Vita noſtra, Spiritus noſter. Nam qui adhæret Deo, unus ſpiritus eſt cum illo. Nota ſunt uerba illa. Ego ſum panis uiuus de cœlo deſcendens. Panis quem Ego dabo, Caro mea eſt pro mundi uita. Caro mea uerè eſt cibus, & ſanguis meus uerè eſt potus. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo. Hoc uerò profectò ſpectabat, quò ad ſpeciem tanti myſterij panis & uinum ſummi illius Sacerdotis Melchiſedech, quò ad rem & ueritatem Pater Abraam offerens filium ſuum unigenitum ſuper altare, non enim panis & uinum, ſed unigenitus Dei filius eſt ſacrificium, & ſacramentum noſtrum, quanquàm ſub panis, & uini ſpecie, quò ad uirtutem, & efficaciam aduerſus hoſtes humani generis Agnus paſchalis filiorum Iſrael, quo liberati ſunt ex Egypto, & de ſeruitute Pharaonis; denique quò ad rationem cibi, & alimoniæ ſpiritualis, quâ paſcitur, & delectatur anima noſtra, luculenter expreſſit Manna, quod pluit Deus patribus in deſerto.* De quo Spiritus Sanctus *teſtatur quod omne delectamentum in ſe habebat; & ingenti miraculo redolebat omnis ſaporis ſuauitatem. Ecquàm uerum Manna* CHRISTVS IESVS *Fratres, ſi tamen guſtatis, quam proprio quodam ſaporis genere, quo omnes ſapores continentur extra omnem comparationem, dulcis, & ſuauis eſt Dominus, uerè cibus Angelorum, & beatorum, qui etiam quotidie, tanquàm uerbum Dei per ora Prædicatorum, uelut per ianuas Cœli deſcendit in terram, non murmurantis, & tentantis ſynagogæ, ſed credentis, & amantis Eccleſiæ, & tanquàm Caro factum, ut etiam mortalium hominum corporalis cibus eſſe poſſit in illa menſa Domini, de qua ſcriptum eſt, Paraſti in conſpectu meo menſam, hoc eſt in altari, per conſecratas Sacerdotum dexteras, adminiſtratur populo Sancto Dei, ut in hac miſera, & ærumnarum plena uitæ humanæ heremo durare ualeamus, mira & incredibili uarietate ſuſtentat, alit, & paſcit animas noſtras; nimirum panis ad confortandum, uinum ad lætificandum, lac ad nutriendum, adeps ad impinguandum, oleum ad exhilarandum, Caro ad delectandum, dulcior ſuper mel & fauum, diues in omnes, qui inuocant illum; Sapientia ad intelligendam uoluntatem Dei, Sanctificatio ad expurgandas animas noſtras; Iuſtitia dirigens nos in uiam ſalutis æternæ, Redemptio abſoluens nos à uinculis peccatorum. Et ut omnia concludam uerus Hemanuel, qui*

nobis

nobis à puero didicit, & per omnem vitam deniq́, & in ligno Crucis, tanquàm in libro nos docuit reprobare malum, & eligere bonum. Iàm quis non amet CHRISTVM IESVM? *in omni uita ſua magiſtrum noſtrum? in morte pretium noſtrum? in reſurrectione Dominum noſtrum? in ſingulis Sacramentis Saluatorem noſtrum? ſed in baptiſmo patrem noſtrum, & in Euchariſtia panem noſtrum. Heù Cor durum, Cor ſtultum, Cor ingratum, uerè Cor perfidum, quod tantis beneficijs non emollitur, quod tanta ſapientia non eruditur, quod tanta charitate non flectitur, quod tanta beneuolentia non inclinatur, non commouetur non compungitur, non teritur, & conteritur. Dignum eſt, dilectiſsimi, poſtquàm in* CHRISTO *habemus omnia, quia eſt factus nobis panis hoc eſt* τὸ πᾶν *ut ipſi quoq́ non iàm ſimus noſtri, ſed ipſius* CHRISTI*, atquè ideò non uiuamus nobis ipſis, ſed ipſi* CHRISTO*, non amplius quærentes quæ noſtra ſunt, ſed quæ* CHRISTI*, non amantes nos ipſos, ſed* CHRISTVM*, non cupientes creſcere in nobis, ſed in* CHRISTO*, renuntiantes amori noſtro, deſyderijs noſtris, inclinationibus, & affectibus noſtris, & uiuentes iuxta regulam, & intentionem non tàm legis, quàm charitatis ipſius* CHRISTI. *Quæ ſicut ſe ipſam in præſentia illa manifeſta mirabiliter, & incredibiliter oſtendit, quandò* CHRISTVS *in propria forma conuerſatus inter homines, pro hominibus tandem mortuus reſurrexit, & aſcendit in cælum, ut peccatis mortui, iuſtitiæ uiuamus, & ex terrenis efficiamur cæleſtes: Ità in tota hac noſtra præſenti uita eadem incredibili admirabilitate ſe ſe planè declarat, dum ille ipſe* CHRISTVS *ſub aliena forma facit ſe de pane noſtro terreno, panem uiuum deſcendentem de Cælo, ut manducetur à nobis, ut unus ſecum panis efficiamur, unum inquàm corpus, una Caro, una ſubſtantia, unus ſpiritus, ut unum ſimus cum ipſo* CHRISTO*, non natura quidem, aut ſubſtantia, ſed conſenſu, & amore; ut quod* CHRISTVS *vult velimus, quod* CHRISTVS *non uult nolimus, quod* CHRISTVS *diligit diligamus, quod* CHRISTVS *odit odiamus, quod præcepit impleamus, quod prohibet caueamus. Sanè ſic intelligitur illud, Pater uolo ut credituri in me, omnes unum ſint, ſicut & nos unum ſumus. Nos unum ſumus unitate, Illi unum ſint unanimitate, iuxta uerbum quod legimus in actis Apoſtolicis, Multitudinis credentium, erat Cor vnum, & Anima vna. Unde & nata ſunt ſimilia illa uerba extatica, verba plena exceſſus, verba plena amoris* CHRISTI IESV*, Crucifixus eſt amor meus* CHRISTVS IESVS. *Ego ad nihilum ſum redactus. Viuo ego, iàm non ego viuit autem in me* CHRISTVS. *Ecquàm pulchrè reſpondet amor amori, exceſſus exceſſui, dicam ne furor furori? Furor certè amoris ille fuit, dum diceret amor ille noſter. Panis quem Ego dabo Caro mea eſt pro mundi uita: Caro mea verè eſt cibus, ſanguis meus uerè eſt potus. Niſi manducaueritis carnem filij hominis non habebitis vitam in vobis: Inde enim, tàm multi ex lu-*

 dæis

daiſ ſcandalum in CHRISTO *paſsi, abierunt retrorſum. An non legiſtis, exierunt tenere eum, dicentes, quia in furorem verſus eſt? Ecce, Ecce Dauidem coram Barbaro Rege tanto myſterio inſanientem, collabebatur enim manibus, & ſaliuæ illi ex ore defluebant in barbam, ſic ſic placuit Deo per ſtultitiem* CHRISTI *infatuare ſapientiam mundi: Audite infatuatum à* CHRISTO *Barbarum. Totum mundum (inquit Aueroes) peragraui, tàm uarias ſectas inueni, ſed nullam tàm fatuam, quàm quæ eſt* CHRISTI, *in qua Deum, quem colunt dentibus comedunt. I Fatue, I Fatuæ, I Maledi ctæ, qui animarum immortalitatem in perniciem humani generis, contra ueterem omnium ſæculorum philoſophiam tanta contentione negaſti, qui in omnibus hominibus unum tantum intellectum eſſe confinxiſti, qui Deum ne intelligere quidem hæc particularia tibi ipſi perſuaſiſti, qui diuinam è mundo prouidentiam penitus ſuſtuliſti, qui contra experientiam, contra communem famam, contra ſenſum, quæ dicuntur de malis genijs, & dæmonibus figmenta eſſe & dixiſti & ſcripſiſti, qui in Moſen, quem omnia ſæcula uenerata ſunt, tantæ impietatis virus euomuiſti, qui te omnium religionum hoſtem, & verè diabolum conſtituiſti. Fratres hic unus eſt ex illis mundi anteſignanis, & ſapientibus, qui quum Deum cognouiſſent, non ſicut Deum glorificauerunt, neq; illi gratias egerunt, ſed euanuerunt in cogitationibus ſuis, & propterea iuſto iudicio deſerente eos diuina gratia, cuius ipſi Maieſtatem ſuperbæ contempſerunt, obſcuratum eſt inſipiens cor eorum, ita ut dicentes ſe eſſe ſapientes, quos mundus ſequi deberet, tanquàm magiſtros, & dogmatibus & operibus ſuis probauerint, quàm ſtultiſsimi meritò ab omnibus hominibus haberi debeant: Res in manifeſto eſt, & iam ipſi uidetis, in quantas inſanias miſerè prolapſus fuerit hic ipſe Aueroes à ueritate tàm omninò alienus. Dolendum eſt autem quod radices egerit in ſcholis noſtris, hæc ipſa impia philoſophia, & iàm.*

Dira per incautum ſerpant contagia vulgus.

CVIUS *conſuetudo loquendi, heù nimium libera finem ſibi audaciæ ſtatui & præſcribi uix patitur. Vt autem reuertamur, & aperientes ueritatem loquentium obſtruamus ora: Scitote ex ui Sacramenti, hoc eſt ex ui conuerſionis panis & vini non eſſe in ipſa Euchariſtia, niſi* CHRISTI *carnem, & ſanguinem, nam conuerſio panis ad carnem, conuerſio uini ad ſanguinem, terminatur, non ad animam, non ad diuinitatem. Et quidem quùm homo corpore conſtet, & anima, an non ſatis alitur uita hominis ex carne, & ſanguine? nam uita corporis eſt exanima, animæ autem fomentum, & quaſi pabulum eſt ſanguis, propter quod & dicitur Anima omnis in ſanguine iſt; Itaq; hæc duo ſunt quæ directè ad Euchariſtiam pertinent, hæc Sacramentum conſtituunt;*

his

his Eccleſia gaudet, in his delectatur, de his CHRISTVS loquitur, hæc miniſtrat Sacerdos; hæc ſumit Chriſtianus de manu Sacerdotis, hæc inquàm ſunt cibus & potus, omniſq; alimoniæ ſpiritualis hominis, corpus, & ſanguis CHRISTI; ſed enim CHRISTI corpus uiuit, nimirum tertia die ſuſcitatum à mortuis, cuius etiam reſurrectione, & uita, mors mortua eſt, Viuit autem per uitam, Et uita eſt ex anima, quæ eſt principium uitæ, quo uiuimus, ſentimus, mouemur, intelligimus. Ergò non poteſt corpus illud glorioſum eſſe inanime, ſi autem habet animam ex corpore illo, & ex anima illa conſtituitur homo ille, qui CHRISTVS eſt. Eſt autem homo ille non homo ſolum, ſed & Deus, quod tàm & mundus credit, & Dæmones ipſi trementes confitentur, neq; uerò eſt prius homo, quàm Deus, ſed in uentre matris ſimul Deus & homo, nimirum una perſona ſola, non duæ. Ita tandem & ratio ipſa cogit, ut concomitanter (ſic enim aiunt) in Sacramento ipſo Euchariſtiæ ſit & Anima, & Diuinitas, ſicut directè eſt caro & ſanguis. Hæc eſt ueritas tantæ rei. Dilectiſſimi Fratres, hæc ſunt Sacramenta, & myſteria fidei noſtræ. Hæc eſt ſapientia noſtra, & intellectus noſter coràm populis, & magiſtris populorum Philoſophis. Ut audientes uniuerſi dicant. En populus ſapiens, & intelligens, Gens magna. Accidentia panis, & uini non pertinent ad Sacramentum tanquàm res, ſed tanquàm ſacra ſymbola, ſignificantia nimirum multò magis alere animas noſtras, Carnem CHRISTI, & ſanguinem, quàm corpora panem & uinum, quorum erant, antequàm Sacramentum conficeretur ex pane & uino. Sacramentum propriè & uerè myſterium, eſt gemina hæc CHRISTI ſubſtantia, caro, & ſanguis quæ ſignificantur, & non uidentur. Hæc enim eſt ratio myſterij, ut illud ſub quo aliquid latet, Sacramentum, illud verò quod latet, myſterium dicatur; in quo fortaſſe locupletior eſt, neſcio certè an fœlicior, lingua latina, quàm græca, Illa enim hac una uoce τὸ μυστήριον utranq; rationem exprimit, hæc ad æquiuocationem uitandam, quum duæ ſint rationes, duabus utitur uocibus. Nota eſt illa præcatio, Deus qui ſub Sacramento mirabili &c. tribue quæſumus, ita nos corporis & ſanguinis tui ſacra myſteria uenerari &c. Sic ſanè erat Eccleſia, quanquàm, ne corpus quidem, & ſanguis, implet totam huius myſterij rationem. Eſt enim & hoc ipſum tale tantumq; myſterium, Sacramentum alterius myſterij, Vnitatis inquàm corporis myſtici Eccleſiæ, cuius CHRISTVS uerus eſt caput; propter eam ſanè unitatem & faciendam, & ſignificandam, inſtitutum eſt, adminiſtraturq; & ſumitur hoc ipſum ueri corporis Sanctiſſimum Sacramentum: Ut tandem accidentia, quia ſigna ſunt, ſacramenta ſint. Hæc ipſa unitas myſtica in hoc Sacramento ſit res tantum, corpus uerum & ſanguis, ſint res & ſigna ſimul ipſius Sacramenti; omnia porrò unum Sacramentum. Quanquàm illud uos ſcire non dubito, quod, & interdum, ut Sacramentum, ſic Sacramenta dicuntur; tùm propter ſpecies, re ipſa ſeparatas in

Sacramento, tùm & magis propter diſtinctionem corporu ueri, & myſtici, quorum vtrunq; dicitur Sacramentum; tùm propter ſeparationem carnis à ſanguine, & ſanguinis à carne, in illo ipſo vero corpore, cuius ſacramenta, ſunt panis, & vini ſpecies. Etſi enim, re ipſa non ſit hæc ſeparatio, quid enim eſt aliud hæc duo inuicem ſeparari, quàm CHRISTVM *mori; ipſis tamen actionibus, & myſterijs, mirum quàm repræſentatur. Vt propterea, quanquàm* CHRISTVS *in Sacramento non moritur, dicatur tamen tum Sacramentum, quàm ſacrificium, memoriale, & uiua quædam quaſi imago mortis* CHRISTI; *ideoq; myſterium, & compendium redemptionis, & uniuerſæ ſalutis noſtræ. O quanta materia gaudij, Confratres. Manifeſtè enim tandem apparet nihil eſſe ſanctius, nihil ſacratius, nihil maius, nihil melius, nihil deniquè beatius in Eccleſia* CHRISTI, *hoc ipſo præcelſo, & admirabili diuinæ Euchariſtiæ Sacramento. Vtinam verò placeat in oculis Dei, ut, ſicut Patres ueteris legis uiderunt tantæ rei veriſimiles vmbras, & figuras, nos porrò in hoc ſtatu, vel curſu Euangelij, uidemus ipſam ueritatem ſub figuris & ſymbolis, ita in cælo uita functi, & à morte ad immortalitatem reſurgentes, ſine vlla vmbra, ſine ullo ſigno, ſine vllo ænigmate facie ad faciem uideamus oculis noſtris, manibus noſtris contrectemus, hanc ipſam nudam* CHRISTI *ſenſibilem, & intelligibilem ueritatem. Tunc enim ſatiabimur, quùm apparuerit hæc ipſa noſtra gloria, gloria Dei, gloria hominum, gloria Angelorum, Facies inquàm Dei, de qua, Moſes, tam Deo charus, Si inueni, inquit, gratiam in oculis tuis, Oſtende mihi faciem tuam. O facies plena gratiarum, O ignis amorum, O finis deſyderiorum, ſtudiorum, laborum, uirtutum, Sacramentorum, donorum, meritorum, præmiorum, deniq; finis omnium finium, finis omnium bonorum, ad quem omnia ordinantur, quo omnia conſummantur, Domine Ieſu* CHRISTE, *Tu es illa facies, illa lux, illa manifeſtatio totius diuinitatis; atq; ideò te uidere, te frui, te poſſidere eſt finis; ſine fine eſt uita æterna, quæ omnia finit, & illa finem non habet. Nunc hoc totum ex parte cognoſcimus fratres & filij. Tunc cognoſcemus, ſicut & cogniti ſumus.*

HAEC omnia admonent quanta fide, & diligentia ſit cuſtodiendus locus iſte ſanctuarij; in quo, ad vitam noſtram, repoſitum eſt non aurum, non argentum, non lapides prætioſi, ſed corpus, & ſanguis, huius Regis gloriæ, huius Regis uirtutum, Domini Noſtri IESV CHRISTI, *cuius etiam nomen ſolùm, ſufficere debuerat, vt ſine cuſtodia eſſet tutus, defenſus, cuſtoditus, ſeruatusq; in æternum ab omni iniuria.*

CANO-

CANONES.

QVI AD SACRAMENTI EVCHARISTIAE cuſtodiam deputatus eſt, eum in primis cordis ſui cuſtodem eſſe oportet. Quod, quanti momenti ſit, ex Salomone apparet, qui exertè præcipit, Omni cuſtodia ſerua cor tuum. Profectò uerò non cuſtoditur cor noſtrum, unde uita procedit, niſi uel non peccando, uel corrigendo quæ peccauimus. Quoniam autem nemo eſt, qui non peccet, profectò non alia ratione corrigimus peccata noſtra, niſi cuſtodiendo, & obſeruando mandata Dei. Sic enim interrogabat Pſaltes. In quo corrigit adoleſcentior uiam ſuam? & reſpondebat, In cuſtodiendo ſermones tuos. Itaq; ne in parabolam uertatur prouerbium, Quis cuſtodiet cuſtodes? præter Reuerendum Archipræsbyterum, qui proprium Parochum agit in Eccleſia noſtra Cathedrali, is eligatur cuſtos ſanctuarij, qui inter omnes Clericos habeatur præceptorum Dei obſeruantiſſimus, religioſiſſimus, pius, ſanctus, & uitæ prorſus inculpatæ, cuius explorata fides, alio cuſtode opus non habeat, cuius diligens uigilantia, improbis quibusq; terrorem incutiat.

OCVLI porrò & aures eius, hinc atq; hinc obſeruent, ſpeculentur, cuſtodiant locum illum ſacratiſſimum; ita ut nemini poſt hac ne in mentem quidem uenire poſſit tantum ſcelus aggrediendi, ingrediendi, & inferendi iniuriam ſanctuario diuiniſſimæ Euchariſtiæ.

ILLVD potiſſimè omnium cuſtodiatur, ut ne ad primos quidem cancellos, ullo unquàm tempore, neq; mulier, neq; homo mulieroſus, ſed neq; puerulus, neq; Ebrioſus admittatur.

CLAVES, & clauiculas, ſimulq; catenas, & cathenulas, ſeras quoq; omnes ferreas, æneas, quolibet die, à Completorio, uideat, quàm diligentiſſimè Archipresbyter, & ſtans ſuper faciem loci, hæc omnia conſignet cuſtodi, his uerbis. In tuam cuſtodiam, eius qui omnia cuſtodit, cuſtodiam trado; ſic ille te, & omnem hanc Ciuitatem noſtram, per noctem & diem, in omni ſanctitate cuſtodiat.

HORTAMVR autem omnes utriusq; ſexus CHRISTI fideles, ut Sanctiſſimum hoc, quod antonomaſia quadam præ cæteris omnibus ſacramentis Sacramentum dicitur, quo omnia ſacra (ut ita dicam) ſacrantur, communi fide & religione cuſtodiant in cordibus ſuis, cuſtodiant inquàm tanquàm panem uiuum, & cibum animarum; hoc eſt, non ſolum percipiant CHRISTVM IESVM, ſed traijciant etiam in uiſcera animæ; ut concoquente igne charitatis, ipſe enim ignis eſt, & ipſe charitas eſt, tranſeat in eorum affectiones, & mores, eosq; mutet, renouet, transformet; ut omninò efficiantur alij quàm ante fuerint,

& ſicut

& ſicut adipe & pinguedine deuotionis, repleantur animæ eorum, quæ lætentur, & exultent ſemper in Domino; ſic ſanè cuſtoditur abſconditur, ſeruatur & retinetur ipſum etiam uerbum Dei, ut fructificet in animabus noſtris, unde & Dauid dicebat, Abſcondi in corde meo eloquia tua; ſic conſeruatur, & diuina gratia, quæ ipſa quoq; eſt animæ cibus, & arrha æternæ illius gloriæ, qua demum impletur omnis Eſuries & ſitis animarum noſtrarum, ſicut ſcriptum eſt, Beatus qui manducabit panem in regno Dei.

DISCANT autem potiſſimùm Laici noſtri, hoc ante omnia humilitatis, & reuerentiæ ſignum exhibere huic Sanctiſſimo Sacramento, ut pauca & cum paucis, & rarò loquantur, vel de pane ſenſibili ubi ſit, vel de accidentibus cui ſubiecto inſint, vel de uera carne, & ſanguine CHRISTI, quomodo ibi ſit; quin & libenter fugiant huiuſmodi diſputationes, de quibus ſæpè, ut multo faſtu, ſic nullo fructu, diſſeritur ab ijs, qui alto ſupercilio ſe aquilas putant, cæteros noctuas faciunt. Vtinam in his populi noſtri ſint creduli magis, quàm curioſi; indocti, quàm inflati; modeſti, quàm ſcioli. Optamus eos in diuinis rebus ſilentes potius, quàm loquentes, admirantes, quàm diſputantes, denique non tàm ſcientia, quàm charitate ſe ipſos excedentes; quia charitas intrat, ubi ſcientia foris ſtat, iuxta Paulinam illam γνώμη ſupereminentem ſcientiæ charitatem.

OPTAMVS, ut nemo neſciat primam omninò hæreſim, quæ Eccleſiam Sanctam exagitauit, fuiſſe hanc ipſam de ueritate diuinæ Euchariſtiæ. Nota enim ſunt maligna illa uerba, impudentiæ plena, quæ in facie CHRISTI IESV, eo audiente, elato capite protulit ſuperba hæreſis. Durus eſt hic ſermo, & quis poteſt illum audire? ſed & optamus, ut quiſq; intelligat, iam tùm ab initio, eam extinctam fuiſſe, per Apoſtolorum Principem Petrum, Petram fidei, docente Deo, & illuminante filio Dei, per Spiritum Sanctum. Quum enim, multis hæreſim ſequentibus quos Satanas excæcauerat, magiſter noſter & Dominus IESVS CHRISTVS, diceret ad diſcipulos ſuos, Nunquid & uos vultis abire? Petrus reſpondit, factus os omnium; Domine ad quem ibimus? Verba uitæ æternæ, Tu habes: Et nos credidimus, & agnouimus; quia ipſe uita æterna es, & das in carne & ſanguine tuo id totum quod es, ut in te, & per te, ex te uiuamus, qui in nobis per nos, & ex nobis mortui eſſemus. Sic factum fuit, ut ſermo CHRISTI, qui impijs erat durus, pijs ipſa pietate molliretur, quibus tandem ſolutus eſt, & liquefactus totus, & factus tanquàm oleum, quod cum omni ſuauitate ad oſſa interioris hominis penetrauit, ut iam nihil ſit illis dulcius, quàm ſæpè ſumere cibum hunc uitalem, quia qui manducat hunc panem uiuet in æternum.

TOTA Eccleſia eſt Domus Orationis, ſed hunc honorem imprimis habet hic ipſe Sanctus & terribilis locus, ubi adorant Sacerdotes; ideoq; omnes & ſinguli;

guli; quum primum ad Eccleſiam veniunt Oraturi, appropinquent quòad licet ad ſanctam hanc cuſtodiam, & adorent Dominum Noſtrum IESVM CHRISTVM, tanquàm verum & uiuum Deum, Illi gratias agant, quod ſunt, quod viuunt, quod eius beneficio redempti, iuſtificati, gratificati, & niſi per illos ſteterit, etiam glorificandi ſint in regno cælorum. Ab eo petant remiſſionem peccatorum, gratiam, gloriam, illi offerant ſe ipſos, ſua corpora, ſuas animas; in illius honorem uota ſuſcipiant, & ſoluant; in illius amorem accendantur, quòad poſſunt, & ut accendantur toto corde rogent, obſecrent, arbitrantes ſe beatos ſi CHRISTVM diligunt, miſeros ſi non diligunt. Nam vox ſua illa eſt. Ego diligentes me diligo, Glorificabo glorificantes me, & qui me contemnunt erunt ignobiles. Hæc omnia ſanè ſpectant ad eum cultum, qui Latria dicitur, qui in recognitionem ſuæ ipſius maieſtatis, & diuinitatis debetur ſoli Deo, atquè ideò Domino Noſtro IESV CHRISTO, qui cum patre, & Spiritu Sancto viuit, & regnat, vnus, verus, & viuus Deus.

SERMO

SERMO AD SYNODVM DE CHORO, ET DISCIPLINA CHORI.

INVITAT NOS CHORVS, INVITAT, Chori ratio, ipſum nomen, ipſa forma, inuitant penetralia, Ara ſuper populum, Hymnodia uocum, Fragrantia odorum, ſplendor luminum; Hæc omnia inquàm Inuitant Fratres Amantiſſimi, ut propter tantæ gratiæ magnitudinem, quæ omnes linguas uincit, & omnes meas cogitationes ſuperat, inuocemus ſanctiſſimos illos Angelorum choros, à quibus cantantur cantica Deo digna, qui ipſi ſunt lumina, ipſi Thura, & Thymiamata, quorum ſacris fumis ſuaue olent & terra, & cælum; ut dum celebrari, & inſtaurare pergimus choros noſtros, inſerant nos ſuis ipſorum choris; In quibus uidentes æterna exemplaria, tertium cælum, ſancta ſanctorum, non in totum aberremus à uero, ſed excedentes, quò ad humanæ imbecillitati licet, uires noſtras reformemus chorum Eccleſiæ noſtræ, quæ communem militiam militans, diuerſatur in tabernaculis, ad inſtar Eccleſiæ illius magnæ, quæ triumphum agit & regnat in cælis. Adeſtote ſacrorum principes, adeſtote, fouete pennis, lucernis, unguentis; inumbrate, illuminate, præite, circuncurſate, ſequimini, ut ipſi quoque coniuncti pſalentibus inſtructo, primum in nobis choro, quem uulgus uidere non poteſt intelligamus deinde, & doceamus quæ ſit diſciplina uiſibilis Chori, placens Deo, & ædificans populum eius. Omnibus quidem omnium linguarum nationibus & populis, Magnum quoddam, auguſtum, & inſigni Dei templum, eſt mundus ipſe totus; & is exiguus quem incolimus orbis terræ, eſt quaſi ſacer & lætus quidam chorus; in quo, ad æmulationem ſphærarum cæleſtium, quæ tenore perpetuo ſubſilientis, enarrant gloriam Dei, mortales Deum laudare, benedicere, & glorificare debent; eo animi feruore, & affectu, ut ex corde erumpant uoces & uerba, quibus pleno gutture diuina canant, Deo exultent, iubilent, dicant. Quis ſimilis, tibi O Deus?

non

non eſt ſimilis tibi in Dijs, Tu es Deus Deorum. Verumenimuerò, Religio chriſtiana, qua una hominum genus fœliciſſimè Deo benedicto religatum eſt; quum olim, impia illa ſuperſtitionum mole quaſi erecta in altum maceria, diuiſum eſſet, & magno interſtitio ſeparatum; quanquam uult omnes homines orare in omni oportuno, loco; in agris, in ſyluis, in domibus, in itenere: Tamen, per ſingulas iam ciuitates, & oppida (in quo maxime pijs omnibus gratulandum eſt) habet publica templa, & inſignes choros, in quibus, uelut in domibus Deo dicatis, Eccleſiaſtici ordinis uiri, non tanquam priuatæ, ſed tanquàm publicæ perſonæ, pro ſeipſis, & pro uniuerſo populo ſingulis diebus atque, etiam media nocte conſurgentes, præuenientes (ut ſic dicam) concentum auium; per amica noctis ſilentia, diuinas laudes de more altiſſimè canunt, diuina beneficia, deuotiſſimè recolunt, & Deo ipſi piè ac fideliter, religioſam ſeruitutem exhibent. Nemo ueſtrum ignorat Fratres uoces iſtas Concio, Synagoga, Eccleſia, Chorus ſignificare imprimis & ante omnia, conuentum multitudinis deinde uerò locum, ubi multitudo ipſa conuenit, & congregatur; porrò ut de Choro aliquid dicamus; apud nos quibus ne nominare quidem fas eſt choreas, choreuma, choragium, uox ipſa Chori quid aliud quàm coronam indicat; coronam autem non philoſophorum, non poetarum, non ludentium, non, ſaltantium, ſed flaminum & archiflaminum, qui in aditiore parte ſacrarum ædium in orbem, & per uices alter cum altero, omnes autem cum ipſo Deo miſcent de rebus diuinis iucunda, & chara colloquia. Verè enim totum negotium Chori in hoc uno uerſatur, quia & ipſi Deum alloquimur, & nos Deus uiciſſim alloquitur. Loquimur nos cum Deo quando ſtantes, ſedentes, aut etiam genua flectentes pſallimus & oramus. Deus loquitur nobiſcum quando in corona fratrum unus pro omnibus legit aut canit uerba Dei, ſic enim ſcriptum eſt: Sacerdos ſtans iuxtà aram & circa illum corona fratrum. Itaque & ſi Deus ubiq; eſt & nullo continetur aut clauditur loco, quem iccirco ſuprà, præter & ante omnia loca adorarè oportet in ſpiritu, & ueritate; tamen hunc ipſum uiſibilem locum; quem ille ſibi per ſuos ipſius miniſtros ante altam aram tanta diligentia conſecrauit, ut qui neque ſacerdotium, neque ſacrificium abſtulit ſed tranſtulit, decet omnis ſanctitudo, omnis cultus, omnis reuerentia. Vt in templo quidem toto, ſed in choro quàm maximè ſint oculi noſtri ſemper intenti ad dominum, ut miſereatur noſtri imprimis, & deinde populorum noſtrorum, nam ipſi montes, & colles ſumus; qui iuxta prophetam abs Deo noſtro ſuſcipimus pro populo pacem, & gratificantem iuſtitiam. O quam terribilis locus eſt chorus Fratres, in quo regale ſacerdotium orat, cui Angeli præſunt, cui ſancti omnes aſſiſtunt; Verè non eſt aliud quàm Domus Dei, quàm porta cæli, qua aditus patet hominibus, ut ex terris in cœlum aſcendant, & effecti conſortes diuinæ naturæ æternum uiuant, regnent, delectentur, & fruantur ipſo Deo.

SEQVVNTVR DOCTRINA, ET CANONES.

ERGO, VNA COMMVNI LEGE, OMNIBVS ET ſingulis laicis, quum diuina officia celebrantur, mulieribus autem perpetuò, ad penetralia chori, ipſius Dei ſacratiſſima adyta, & verè ſancta ſanctorum, interdictus ſit ingreſſus. Quod ſi quis, auſu temerario, tempore diuinorum officiorum Chorum ipſum introierit, velut importunus, irrumpens in ſecreta colloquia, quæ, ut diximus, miſcentur inter Deum, & domeſticos ſeruos ſuos, ſubiaceat excommunicationi; qui autem ignoranter ingreſſus fuerit, monitus, ſtatim exeat, & interea, addiſcat quiſq; aſſueſcere illi uoci, Ne appropries huc, terra ſancta eſt.

COMMVNIS ad Chorum ingreſſus & egreſſus, tàm Clericorum, quàm Laicorum, & omninò omnium, ſit una illa porta, quæ directè reſpicit ipſum altaris medium; quam, velut latera chori ex æquo diuidentem, & verè in ſe ipſa ſpetioſam, & non vulgari artificio inſtructam; miratur, & ueneratur tota Eccleſiæ facies, cum illa ipſa, cui Leones ab utroq; latere excubias facere uidentur, principali porta Baſilicæ.

FIRMITER autem ſtatuimus, vt niſi perrarò, vbi inquàm neceſſitas aliqua occurrat, cui præſcribi lex non poſſit, ne ipſi quidem Sacriſtæ, liceat ingredi vel egredi ex latere ſiniſtro Chori, verſus ſecretarium, per oſtiolum illud quod dicitur Sanctæ Mariæ ad Conſtantinopolim; idq; iubemus, propter reuerentiam Sanctiſſimi Sacramenti, cui neceſſe eſt, ut etiam nolens, niſi ſit maximè attentus, terga vertat, quiſquis inde aſcendit, vt deſcendat ad Chorum.

CLERICVS autem, quum diuini officij celebrandi cauſa Chorum ingreditur, in quo ſe maxime beatum exiſtimare debet, ſi ingrediatur, quòad per Dei gratiam poteſt, ſcelerum purus ſeipſum totus recolligat, & nitatur concipere animo exemplar Eccleſiæ primitiuorum in cælis, vbi circunſtantibus propèmodum infinitis agminibus Angelorum, ſancta & indiuidua Trinitas, ſuper ſolium excelſum & eleuatum ſedit, quam Sancta Seraphim reuerentur, & adorant, & irrequietis vocibus illi canunt, Sanctus, Sanctus, Sanctus. Sicq; cogitatione, & deſyderio factus totus cæleſtis, relictis cogitationibus & curis ſæculi, ac penè oblitus ſui, & memor ſolius Dei, accingat ſeſe, corde, & lingua & opere, ad ſeruiendum Deo, in magno timore; ne opus Domini negligenter faciat, & ad exultandum cum magno tremore, ne per negligentiam damnetur, & pereat; quia, ut ſeruire Deo, regnare eſt; ſic negligere Deum, perijſſe eſt.

IN

IN primis autem, accedat recto itinere ad ſcalas diuini altaris; & , poſtquàm corpus ſternere humi eo loco non licet, quod in cubilo maximè decet, in infimo ſaltem gradu, dimiſſo capite, vtrunq; genu flectat; conuerſaq; ad ſanctuarium facie, vt & mente; praecelſum illud diuinae Euchariſtiae Sacramentum, in abſcondito tabernaculi ſui, tanquàm in papylione Regem, fide pura, & confeſſione atq; oratione deuota, colat, & adoret, ter dicens orationem Dominicam. Quia ipſe eſt compendium Sanctiſſimae Trinitatis, Dominus noſter IESVS CHRISTVS, in quo, corporaliter, hoc eſt, plenè & perfectè, habitat Pater, Filius, & Spiritus Sanctus.

QVVM autem ab oratione ſurrexerit, ne ad locum ſuum pergens, terga vertat Sanctiſſimo Sacramento, quàm diligentiſſimè aduertat, vt, quum dextro genu, & capite ſimul, reueritus fuerit ipſum ſanctum altare, referat pedem, verſus eam partem chori, ſiue dextram, ſiue ſiniſtram, ad quam illi eſt accedendum; indeq;, Vicario noſtro, humili capitis inclinatione facta reuerentia, modeſto & demiſſo vultu, tanquàm timoris caſti, & ſanctae uerecundiae plenus, per cancellos ex alterutro chori latere, eat, quo illi eundum eſt; ſalutetquè non ore, ſed nutu, omnes illos, per quorum ſedilia tranſierit, à quibus, ipſe quoquè viciſſim, iuxta apoſtolicam chriſtianae & ſacerdotalis modeſtiae formam, in ſilentio ſalutetur; amore & honore; ſigno capitis, altero praeueniente alterum.

IN choro, nemo locum mutet, nemo priuatim ſibi officium dicat; nemo literas, libros, aliaſq; ſcripturas legat; vnus non loquatur cum altero, neq; ad alterum; ſitq; vſq; ad finem officij, ſacrum apud omnes & religioſum ſilentium: taciti ſint vultus, nutus, paſſus, ipſa quoq; pectora, & mentes tacitae ſint; ut, ne ſibilus quidem ille S T. quo, maiores, addita Maieſtatem manus, ſilentia indicunt, niſi raro audiatur; iq; non niſi ex ore Magiſtri ceremoniarum, ad continendum non minus in officio, quàm in ſilentio Clericos.

HEBDOMADARII locus ordinarius, & communis in choro, ſi fuerit ſimplex presbyter, erit prima ſedes partis inferioris, ex alterutro latere chori. Si autem fuerit Canonicus, ea quae ferè media chori ſuperioris, praeceteris conſpicua eſt; ad quam, ex cancellis, vno gradu aſcenditur, & ex qua pariter, uno gradu deſcenditur in inferiora chori. Dignitates autem, quum celebrabunt, ſedebunt in ſede illa, quae eſt Archidiaconi, à dextero, & Archipresbyteri, à ſiniſtro latere chori. Archidiaconus porrò & Archipresbyter, in illis officijs, & miſſis, quas, inſtitutione noſtra, & nomine noſtro celebrabunt tantu, permittimus, in ſignum honoris, ut ſedeant in ſede, quae eſt ad ſiniſtrum cornu altaris, in qua nos ipſi aliquando ſedere conſueuimus.

QVONIAM autem in Choro ipſo praeſertim, apparet Maieſtas Sacerdotij, nulla vero eſt, neq; eſſe poteſt Maieſtas, aut dignitas, ubi non eſt ordo; & haec ipſa uox, Chorus, ordinem indicat & conſonantiam, atq; concentum, ad cer-

tos modos ac numeros præeuntis magiſtri, quod ſi abſuerit, aberit & Chori ratio, Iccircò, attendat Magiſter ceremoniarum, attendant & magiſtri Chori, ut omnes & ſinguli, qui ad chorum conueniunt, pro temporis, & officij ratione unum eundemq́ tenorem ſeruent, ſedendo, ſtando, genua flectendo, tegendo, & detegendo caput, dimittendo extollendoq́ Vocem, ut ex verbis, & actionibus ſingulorum, vna quædam omnium incredibilis harmonia, & uideatur, & audiatur; qualis eſt in magno hoc mundo, vbi omnia mutuam conſtant mutuis numeris, grauibus, & leuibus, ipſius Dei optimi Maximi, velut citharœdi, manu, admirabiliter temperatis; &, qualis eſt in ipſis quoq́ Angelis, in quibus, dum ordinem, conſonantia oſtendit, & ordo ipſe conſonantiam facit, in militiam tranſit Chorus, & militia pariter tranſit in Chorum; vſq́ adeò, ut apud patres noſtros, ex ſacris literis, idem ſit Angelorum Chorus, & militia cæleſtis exercitus.

EAM ipſi in choro harmoniam toto corde deſyderantes, quam ipſi quoquè idiotæ ex populo noſtro audiant, & videant, ut ex ſenſibilis iſta erigantur animis ad intelligibilem illam, qua Angeli & Archangeli in ſæculo ſæculorum laudant Deum inuiolabili iure præcipimus, ut Magiſter ceremoniarum ab omnibus, & ſingulis habeatur in choro ipſo, tanquàm campiductor, ad cuius nutum caſtra ſtant, mouentur, eunt, redeunt, vt quum ille aliquid iuſſerit dicendum, faciendum, prouidendum, non obedire ſit ſcelus, reſiſtere autem, & repugnare nefas.

ARCHIPRESBYTER porrò uigilare ante omnia iubeat Magiſtros Chori, ne aliquis ſiue ex maioribus, ſiue ex minoribus Clericus dum diuina officia celebrantur in choro maneat, & ne ingrediatur quidem ſine veſte talari, & ſine ſuperpelliceo, Canonici autem & Dignitates quiſq́ pro ſuo ipſius gradu ferant Almutias hyeme ad collum; alijs temporibus ſuper humeros.

SIMILITER iubeat, ut nemo niſi peractis ex toto diuinis officijs egrediatur è choro, aut ad celebrandam in Eccleſia noſtra miſſam, ſeu ad audiendas ibidem aliorum, qui celebraturi ſunt confeſſiones: etiam ſi uocari eum contigerit vel à Sacriſta vel à Punctatoribus. Porrò quiquis neceſſitate aliqua urgente non vocatus egreditur chorum, abſente Vicario alicui ex dignitatibus nutu capitis cauſam ſui digreſſus annuat, & ſignificet. Qui non obedierit notetur, vt notatus puniatur.

QVOD ſi magiſtri chori negligentes fuerint, ut non ſtatim deferant Vicario noſtro Clericos, qui ſponte, ſua, & abſquè ulla authoritate receſſerint, quum re ſciuerit Vicarius primùm ab illo moneantur, ſecundò publicè confundantur, tertiò deponantur. Vt autem Magiſtri chori liberius tanto muneri uacare poſſint, neq́ ullum habeant excuſationis pallium, quo ſeſe tueantur, ſi defuerint ad ipſam chori dignitatem & maieſtatem retinendam, uolumus ut illis horis quibus celebran-

celebrantur diuina officia exempti ſint ab omnibus oneribus, ad quæ alias tenerentur, etiam à celebratione miſſarum, & à deferendo, & aſſociando ſacratiſſimum diuinæ Euchariſtiæ Sacramentum? Et quoniam dolentes experimur pleroſquè indeuotos Clericos & non ſemel recedere, & ſæpe ſæpius occaſionem quærere recedendi à choro, ſub prætextu pietatis & deuotionis comitandi idipſum, præcelſum Sacramentum, qui etiam quum ſemel receſſerint, tanquàm corui egreſſi ex archa inhærent cadaueribus, & operibus mortuis, & nunquàm redeunt ad archam ad ſeruiendum Deo uiuenti. Propterea iubemus, ſingulis Parochis ut quàm diligentiſſimè curent & obſeruent quoad poteſt fieri ſine periculo ſalutis, exeuntium ne niſi magna neceſſitas poſtularit deferatur Sanctiſſima Euchariſtia ad infirmos dum diuina officia celebrantur. Porrò aduerſus fictos illos Clericos inuigilet Vicarius ut eos in ſua ipſorum malitia ſaltem ſemel comprehendat, tùm comprehenſos caſtiget quàm ſeueriſſime ad eorum pœnam, & aliorum exemplum.

ILLVD *omnino prohibemus ne quiſquàm uel pro alio, uel per alium ueniat ad ſeruiendum Deo in Choro: perſonas ſingulorum Clericorum requirit chorus; nos quoq; non paucos quoſdam ſed ſingulos & omnes, in rebus diuinis, uſu & conſuetudine exerceri deſyderamus; atquè ideo quiſq; uel per ſeipſum & pro ſeipſo ueniat, uel niſi magna & euidens ratio excuſet omnino non ueniſſe intelligatur, mulctetur què non ſola puncti ademptione, ſed pro qualitate negligentiæ grauiore etiam pœna.*

QVONIAM *libri chori diuturno uſu & uetuſtate omnes penè laceri, attriti, conſumptiq; ſunt Reuerendo Archipresbitero curæ ſit ut qui impreſſi ſunt noui emantur, qui autem manu ſcripti reficiantur; idque quàm citius fieri poterit. De pecunia autem quæ & quanta, quo modo & qualiter ſit inſumenda ſollicitus ſit Reuerendus, Archidiaconus, cuius præcepto iubemus ut ſtatim pareant, Procurator, & ordinati Reuerendi Capituli. Quo ordine & modeſtia Clerici celebraturi diuina officia ingrediuntur Chorum eodem pænitus completis diuinis officijs egrediantur è choro. Vix enim ferri poteſt tumultus ille inſanus & præceps curſus Clericorum exeuntium; qui haud dubie nobis (ut uerum dicamus) uidentur caſtrorum acies inordinatæ, quæ præ timore fugiant à facie inimici.*

DENIQVÈ *ſicut ingreſſi chorum ad ſanctum altare adorauerunt in ſilentio dominum noſtrum* IESVM CHRISTVM *oratione dominica tertio repetita; ita peracto officio antequàm egrediantur, omnes ſimul in ſilentio pariter, dicant ſemel, iterumq;, & tertio, eandem orationem dominicam; in quo Reuerendus, Archipresbiter inuigilet, cui præ omnibus Canonicis ipſa religio, & ratio colendi Dei in Choro, & in Eccleſia, ipſo iure ſpecialiter commiſſa eſt.*

SACRISTA *maior qui & Theſaurarius curet, & omnino faciat, ut chorus qualibet hebdomada, ſemel & iterum, hoc eſt quouis die ſabbati, & feria quarta à miniſtris ſacriſtiæ ſcopis mundetur, & tergatur quàm diligentiſſimè.*

SERMO SYNODALIS. DE VSV, ET ADMINISTRATIONE SACRAMENTORVM.

PVBLICVM NOBIS HODIE PRAEBENT *epulum ſacroſancta myſteria Chriſtianæ Religionis Dilectiſſimi Fratres, ad celebrandum, ad laudandum, ad eloquendum; Sed quis loquetur potentias Domini? Imò uerò quis loquetur miſericordias Domini? Nam miſerationes eius ſuper omnia, opera eius, Veritas tua domine Deus, inquit Pſaltes, usquè ad nubes, ſed uſque ad cœlos miſericordia tua. Ecquid ſunt Sacramenta, niſi uaſa diuinæ miſericordiæ? Theſauri diuitiarum gratiæ Dei? Alabaſtra illius unguenti prætioſi, cuius ſuauè olentibus odoribus repleta eſt, & quotidie repletur domus Eccleſiæ, ut infragrantiam unguentorum illorum circulo perpetuò currant, & recurrant omnes qui male habent, conſecuturi per* CHRISTVM IESVM, *ſi morigeros ſe ſe exhibuerint, & dicto parentes æternam ſalutem? Inſtituebat generalem militiam ex omnibus, quos ad ſe traducebat* CHRISTVS IESVS, *(ut hinc ſermonem ordiamur) nequè uerò inſtituebat militiam imaginariam, ſed intentam, iuſtam, compoſitam, ordinatam. Iecircò ſciens quàm faciles ſumus ad mutandum locum, ad deſerendum ordinem, ad pertimeſcendam uim hoſtium, (O quam fallax equus hic noſter ad ſalutem) Iecircò inquàm & multa ſanctè præcepit, & multa largè, liberaliterquè promiſit, illud tanquàm iuſtus dominus, hoc tanquàm miſericors Pater, illud vt à nobis timeretur, hoc ut diligeretur, illud vt nos cohiberet à ſcelere, hoc vt nos extimularet ad virtutem. Nota eſt uox illa compendiaria, Si uis ad uitam ingredi ſerua mandata, præcipit enim obſeruationem mandatorum, & pollicetur æternitatem futuræ uitæ. Verum enimuerò quoniam nos nequè integrè, facere poſſumus, quod præcipit, nequè plenè aſſequi quod promittit, niſi à morbo primum reſurgamus, ni-*

ſi

ſi ſanitatem comparemus, niſi ipſam animæ, ualetudinem exercitio bonorum operum, confirmemus. Propterea inſtituta ſunt ſanctiſſima Sacramenta Eccleſiæ, & CHRISTI (utriuſquè enim eſſe dicuntur, Eccleſiæ tanquàm fino propter quem, & gratia cuius; CHRISTI autem tanquàm authoris abſquis, & uim ſumpſerunt, & Originem) inſtituta inquàm ſunt tanquàm media inter præcepta, & promiſſa Dei, ut eorum uirtute illa adimplere ualeamus, hæc aſſequi mereamur. Signa quidem ſunt Sacramenta militiæ noſtræ, quibus & ipſi diſcernamur à cæteris militibus, mundi, Satanæ, Maumethi, & Iudæorum id ſanè commune eſt Sacramentis, & ſignis militaribus, ſed hoc maximè, diuinum eſt, & noſtræ religionis uerè proprium, quod noſtrorum Sacramentorum uirtute, & ſanamur in terris per gratiam ad obſeruanda iuxta intentionem ipſius, mandata Dei, & ſaluamur in cælis per gloriam ad regnandum in ſæcula, cum ipſo Deo, alioquin nunquàm ſanandi, ut boni ſimus, nunquàm ſaluandi, ut beati ſimus. Vt propterea ſi definire uolueris Sacramentum noſtrum, dicturus ſis, quod ſit ſacrum & ſecretum medicamentum, cuius efficacia ſanatur antiqua illa, & quæ etiam quotidie nouis peccatis ſuperuenientibus uires acquirit lathalis animi tabes, de qua conqueritur Dauid. Putruerunt, & corruptæ factæ ſunt Cicatrices meæ à facie inſipientiæ meæ. Sanatur inquàm ipſo Deo modo inuiſibili ſub integumentis illis rebus, & uerbis interius operante multò ſecretius quàm natura operetur in Medicorum thermis, uel balneis, ut per hæc uelut malagmata incipiat inter manus Piiſſimi illius Samaritani conualeſcere homo ille uetus, quem ſemiuiuum reliquerunt Latrones inter Hieruſalem, & Hierico: Tum ſanitatis beneficio gaudens ne tanti beneficij ingratus eſſe uideatur, ſe ſe totum diligenter exerceat in obſeruatione præceptorum Dei, Et tandem uel ad literam longa ætate, plenus dierum, uel in myſterio breui temporis ſpatio uirtutibus conſummatus ex ſancto illo ſalutari, & boni odoris pleno ſtabulo (in quo utinam ipſe ego iumentum ſim apud te domine IESV, portatus ab Angelis in æternam requiem) verè Lazarus adiutus à Deo habeat iuxta Apoſtolicam doctrinam fructum ſuum, plenam ſanctificationem, finem uerò æternam uitam. Quanta eſt uirtus Sacramentorum noſtrorum? quanta? quanta? Exiguum quidem eſt id totum, quod in eis uidetur, ſed credi uix poteſt id quod non uidetur, quanquàm ſi non uidetur, ſignificatur. Hinc enim quum res, & ſigna ſint, meritò non res dicuntur, ſed ſigna potius, quia parum eſt id quod ſunt, plurimum autem eſt id quod ſignificant, propter quod illud honoris nomen acceperunt, ut dicantur ſacra ſymbola, hoc eſt inuiſibilis gratiæ uiſibilia ſigna. Erat Paulo Apoſtolo ſignum honorificum Romanæ Ciuilitatis famoſa illa penula, cuius ipſe meminit, eſt machera ſignum dignitatis equeſtris, eſt corona inſigne maieſtatis regiæ, Sacramenta ſunt noſtræ ſigna religionis, & profeſſionis chriſtianæ. Porrò non ſunt ſigna ut umbræ, ſed ut imagines, in lege erat um-

bra, in cælis erit nuda veritas, in Euangelio eſt imago. Neq; verò imago eſt Sacramentum noſtrum, vt ſerpens æneus, vt columna ignis, vt petra quam percuſsit Moſes, imago inquàm ſignificans ſolùm, ſed imago eſt eam ipſam Dei gratiam, quam naturali quadam ſimilitudine, & diuina inſtitutione ſignificat, continens in ſe ipſo, quam & nobis admirabiliter, ſed inuiſibiliter diuino munere confert. Typica illa Iudæorum archa continebat tabulas, manna, virgam, myſtica noſtræ Eccleſiæ archa in ſuis ipſius Sacramentis continet diuinam gratiam, qua velut tabulis docemur, paſcimur tanquàm manna, & tanquàm virga dirigimur, & corrigimur, neq; continet ſolùm (ut aiebam) ſed & eam confert per hæc ipſa Sacramenta Sanctiſsima, tanquàm per adiumenta, & diuinitùs parata inſtrumenta, quorum interuentu applicatur omnibus non indignè ſuſcipientibus, virtus meritorum CHRISTI, perindè ac ferè per canalos & fiſtulas ciſternis noſtris ſuppeditatur aqua de cælo, vt noſtra quoq; ſiticuloſa Apulia habeat, vnde homines, & iumenta bibere poſsint. Video uos rem totam percapiſſe Fratres, vnde vehementer lætor, futurum ſperans, ut qui humeris veſtris incumbunt à vobis ſimpliciore paſtu alendi, & erudiendi diuina hæc myſteria, pro eorum neceſsitate, & capacitate ex vobis intelligant; Ob id enim Sacramenta uiluerunt in oculis plebium, quia eorum virtus ætate noſtra à Parochis noſtris vix declarata fuit, ut benè intelligeretur. Vileſcunt arcana naturæ, vbi manifeſta fiunt oculis vulgi, ac cæleſtia hæc Sacramenta, tum maximè dignitatem, & Maieſtatem accipiunt, quum innoteſcunt, quum in lucem ueniunt, quum docentur. Ipſi verò iam videtis, quàm facilis eſt hæc doctrina; hæc Iſagogia; hæc pedagogia. Homo ægrotus erat, qui corpore conſtat ex animo, CHRISTVS erat medicus, homo ſimul & Deus, Gratia eſt illa ipſa ſanitas animæ, quæ etiam ex anima redundat in corpus, ut & oſſa noſtra humiliata tandem aliquandò exultent, & dicant. Quis ſimilis tibi in Dijs Domine? nam & Pſaltes cecinit, Cor meum, & carò mea exultauerunt in Deum uiuum. Sacramenta igitur ſimiliter eſſe debebant non ſimplicia, ſed compòſita medicamenta, in quibus eſſet uiſibilium rerum inuiſibilis efficacia, quà per CHRISTVM IESVM non aliquandò & aliquibus, ſed ſemper & omnibus quantum eſt ex parte ipſorum Sacramentorum, exhiberetur diuina gratia ad ipſius ſuſcipientis iuſtificationem coràm Deo; iuſtificationem inquàm vel inchoandam, vel augendàm, vel reparandam, atq; etiam conſeruandam.

AD hæc enim ſingula & omnia ſeſe exerit virtus Sacramentorum CHRISTI, Virtus digna Deo, Virtus digna CHRISTO. Ecquàm magnum Sacramentum diuinæ pietatis ipſe CHRISTVS Fratres? CHRISTVS inquàm qui manifeſtatus eſt in carne, qui iuſtificatus eſt in ſpiritu, qui apparuit Angelis, qui prædicatus eſt in gentibus, qui creditus eſt in mundo, qui aſſumptus eſt in gloria? Verè magnum Sacramentum, Sacrum, & ſecretum, abſcondi-

tum

tum in corde patris, tanquàm ſapientia, verbum abſconditum in fabrica mundi tanquàm ratio, & architectus, in carne legis, & prophetarum tanquàm virtus, & anima, ingentium aris tanquàm ignotus Deus, in myſterijs noſtris tanquàm Dei, & hominis filius. Etſi verò egrediens ex utero Virginis tanquàm ſponſus de thalamo ſuo, mundo ſe ipſum manifeſtare cœpit; tamen dum adhuc videret omnis caro ſalutare Dei, ſupra quàm dici poſsit, latebat miro quodam & ineffabili modo habens obuolutum caput in pedibus, & in capite implexos pedes; diuinitatem inquàm in humanitate, & in diuinitate abſconditam humanitatem gerens, ità ut Dæmones, mentes aliòquin ſeparatæ, & perſpicaciſsimæ, in diſputationem illud verterent, eſſet ne homo purus, an & Deus; adoptione ne, an natura Dei filius; ſanè illo ipſo diuinæ diſpenſationis mutuo, neſciebant unionem illam, & inſertionem ineffabilem; quam diuinæ prouidentiæ diſpenſatio, & ut ſic dicam agricolatio fecit; ex qua in CHRISTO, & Deus homo erat; & homo erat Deus, qui & diuina operabatur humanè, & humana diuinè. Unde illud. In te eſt Deus, & neſciebamus, & illud, Homo eſt, & quis cognoſcet eum? Propterea enim uocatum eſt nomen eius Admirabilis. Et quis profectò non admiretur? Eſt ſanctificator, eſt ſanctificatus, eſt ipſa Sanctitas; Eſt unctus, eſt ungens, eſt ipſa unctio; Eſt benedictus, eſt qui benedicit, eſt & ipſa benedictio; Eſt qui ſignat nos, ipſe eſt ſignatus ipſe eſt ſignum. An verò non meminiſtis loci illius? Hunc Pater ſignauit, Ecce poſitus eſt hic in ſignum, & illius. Quem Pater ſanctificauit, & miſit in mundum? Locus porrò ille manifeſtus eſt, Unxit te ò CHRISTE Deus, Deus tuus, & ille, Ipſe erit benedictio; Benedictus qui venit in Nomine Domini. Intelligitis? Ex ipſo CHRISTO igitur diſcite non eſſe in Sacramentis noſtris unitatem ſimplicem, hoc eſt eam tantum; quæ ad naturam pertinet, ſimile eſt ex ſimili; Sacramentum eſt ex Sacramento; medicamentum ex medicamento, confectum ex confecto; compoſitum ex compoſito. CHRISTVM conficiunt duæ naturæ, diuina & humana. Sacramenta Chriſti quoque conficiunt duæ uirtutes, naturalis & gratuita quæ eſt ſupra naturam, & in coſmopœia quidem ille ipſe Adam Protoplaſtes, erat forma futuri. Et lux illa aurea, quæ ut primum affulſit, mundum exhilarauit, ſymbolum CHRISTI erat, cuius eſt illa uox. Ego ſum lux mundi. Adde & firmamentum cœli, & ſolem fontem lucis, & lignum uitæ, & Paradiſum uoluptatis, & ſemen mulieris, hæc enim omnia erant typi quidam ſacri, figuræ, & imagines, quæ CHRISTVM adumbrabant, & repreſentabant, ſic ergò ſacramenta omnia antiqua, umbræ erant noſtrorum Sacramentorum. Nam & illi Sacerdotes legis, & ante legem, erant Sacerdotes imaginarij, atq; (ut ita dicam) umbratiles comparati ad CHRISTVM IESVM. Quemadmodum autem Sacerdotium CHRISTI eſt verum, & (ſi hac voce uti licet) reale Sacerdotium, quia CHRISTVS verè, & ſecun

dum rem eſt Deus & Rex, & Sacerdos natus, natus Deus, natus Rex, natus Sacerdos, Sic hæc ipſa Sacramenta, quæ CHRISTVS *inſtituit, non ſunt (ut ſupra dicebam) imagines tantùm, ſed inſtrumenta quoq́, quæ ſecundum rem mouente* CHRISTO, *agunt, imprimunt, ſacrificant, benedicunt, ungunt, ſignant, non corpus tantum, ſed & animam, quia* CHRISTVS *Sacramentum Sacramentorum, & Sacerdos Sacerdotum modo ineffabili in eis eſt, & in eis, & per ea operatur; ipſe quidem etiam imago, ſed imago primigenia, exemplaris, non deducta, non aliundè accepta, hoc eſt imago uiua, & naturalis, qualis imago eſt filius patris. Vt tandem in Sacramentis noſtris perindè ferè, ac in ipſo* CHRISTO, *ſimul concurrant res, & ueritas, imago, & typus, cauſa & inſtrumentum, Sanctitas, & Sacramentum. Plura erant Sacramenta Iudæorum, ſed noſtra ut pauciora ſunt numero, ſic ſunt maiora uirtute, ſecretiora myſterio, & utilitate longè meliora. An non reſonat in auribus ueſtris uox illa terribilis Domini? Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in Regnum Dei; & illa. Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis uitam in uobis? Sed ne quiſpiam fortaſſe dicat Deum nullis Sacramentorum legibus alligari. Illud certè conſtat neminem unquàm in omnibus ſæculis ſaluum eſſe poſſe ſine* CHRISTO. *Ille eſt uia, Ille eſt ueritas, Ille eſt uita, non eſt aliud nomen ſub cælo, in quo oporteat nos ſaluos fieri, niſi nomen* IESV. IESVS *eſt Saluator,* IESVS *eſt ſalutare,* IESVS *eſt ſalus,* IESVS *eſt Oſtium,* IESVS *eſt Oſtiarius,* IESVS *eſt Dominus,* IESVS *eſt Deus. An ſine Deo Deus? An ſine Deo ſalus. Ecce habetis Sacramentum Sacramentorum omnium, ſine quo ab ipſo Deo hominibus neq́ eſt, neq́ eſſe poteſt aliqua ſalus, ſicut ille dixit: Nemo uenit ad patrem, niſi per me. Et diſputationibus de eo, quod fieri præter Sacramenta poſſit, uel non poſſit omninò relictis, illud conſtat, quod ſacra, ſancta ſacrificia, obſeruantiæ, Ceremoniæ, Ritus, atquè demum ipſa tota* CHRISTI *religio, & quæcunq́ ad Chriſtianam Religionem pertinent uirtute continentur, in his ſeptem Sacramentis* CHRISTI. *Cur non dicam in ſeptem hiſce ſignaculis libri uitæ,* CHRISTVS *enim eſt, & liber uitæ, & uita, Vita propter gratiam, liber uitæ propter doctrinam, Vita propter meritum, liber uitæ propter exemplum; forſan autem, perindè ac in ſeptenis illis ſyderibus, quæ errantia uocant continetur uniuerſus ſplendor ſtellarum, & gloria totius cæli, in ſeptenis hiſce Sacramentis, uelut in compendio aureo continentur omnes gratiæ, & uirtutes chriſtiano homini dignæ; nam & Ioannes in Apocalypſi, quæ undiq́ eſt plena ſymbolicæ Theologiæ, uidit in dextera* CHRISTI *ſtellas ſeptem, quibus & dotabat, & ornabat ſponſam ſuam Eccleſiam; hæc inquàm Sacramenta nobis omnibus à nomine, à uirtute, à ſignificatione, ab uſu, à myſterio, purè & fideliter amanda, & ueneranda.*

da. *Quis enim neſciat, vt ad ſingula deſcendamus, quod Baptiſmus ſit Sacramentum fidei, Confirmatio ſpei, Euchariſtia charitatis; profectò verò ipſa pœnitentia ad generalem iuſtitiam pertinet, quia in ea decoratur Regnum Dei per pœnam, quod homo dedecorauerat per culpam. Porrò extrema vnctio ad heroicam fortitudinem nimirum nos roborat, aduerſus Satanam, qui tanquàm coluber in uia inſidiatur calcaneo noſtro. Ordo verò non ne eſt inſigne ipſius prudentiæ miram quandam proportionem habens cum ipſa prudentia, ad erudiendam plebem Sanctam Dei, per Sacerdotes, & miniſtros Eccleſiæ, verbo & exemplo: Matrimonium uerò tandem illud eſt, quo formatur atq; perficitur laudatiſſima illa Philoſophorum temperantia, qua caro refrenatur in concupiſcentijs ſuis, ne uituli laſciuientis inſtar exultet in perniciem animarum noſtrarum; Magna Dei Benignitas, Immenſa clementia, & Miſericordia inenarrabilis, Fratres Dilectiſſimi: Nam per uim ipſorum Sacramentorum Sanctificati, & facti mundi ab omni peccatorum labe; audemus mortales alioquin homines loqui cum Deo, orare Deum, & ſacrificare ipſi Deo; Inde porrò efficitur, vt Deus nos amicos ſuos uocet; & in amicitiam receptos, ipſius amicitiæ iure exaudiat in orationibus, & oblationibus noſtris; unde denùm impetrata & obtenta eius beneuolentia, & gratia; per CHRISTVM IESVM dilatato corde progrediamur, currentes in uia mandatorum eius, ut aſſequamur brauium æternæ vocationis. Et Sacramenta quidem vetera dici poterant ſigna prognoſtica, quibus humano generi prænunciabatur futura ſalus; at verò hæc noſtra præſentem exhibent, ſi diſpenſantur, Si diſpenſantur inquàm: eorum enim virtus communiter in vſu eſt, ſicut & omnis etiam medicinæ, & omnis theſauri, nam Theſaurus inuiſus quæ utilitas in eo? Et verò iuſtitiam noſtram, vt quod initio proponebamus, declaremus, non coràm hominibus, qui exteriora tantùm uident, ſed in conſpectu diuinæ Maieſtatis inchoat Baptiſmus ſpiritalis regeneratio, & Renaſcentia. Confirmatio auget, imò verò eſt ipſum augmentum, ipſum robur ætatis, hoc eſt adoleſcentis uirtutis, quo per Spiritum Sanctum per impoſitionem manuum aduerſus pericula omnia durat tenella anima, quæ parum antea nata fuit in CHRISTO. Euchariſtia quoq; ipſa auget, ſed auget uelut alimonia cœleſtis, qua quiſq; noſtrum tanquàm adipe, & pinguedine repletur, & ita grandeſcit in CHRISTO, donec perueniat ad perfectam ætatem plenitudinis CHRISTI. Pœnitentia & Extrema unctio reparandi uim habet utraq; medicina, ſed illa proportionem habet eum Pharmacia, hæc magis cum chirurgia; illa uerbis potentibus ſanat morbos, hæc adhibet etiam manum ad depellendas morborum reliquias. Ordo porrò & Matrimonium nunc quidem augent, nunc autem reparant, ſed & propriè tanquàm antidota ſalutaria, præſeruandi uirtute cælitus prædita ſunt, non cuilibet quidem, ſed uniuerſæ tamen Eccleſiæ neceſſaria Sacramenta, illud ad filios propagan-*

dos

dos CHRISTO, *hoc ad illos initiandos, prouehendos, & perficiendos in* CHRISTO, *vt illud ſit remedium ne deficiat Eccleſia, hoc ne corrumpatur fides, & doctrina ipſius Eccleſiæ.*

DEFINITIONES SACRAMENTORVM.

QVAM APPOSITE, FRATRES DILECTISSIMI, *Maiores noſtri velut breui circunſcriptione definientes unum quoque horum munerum cæleſtium dixerunt quod Baptiſmus ſit Sacramentum Tinctionis, regenerationis, & illuminationis per* CHRISTVM IESVM. *Confirmatio Agonis, propugnationisque, & tutelæ per chariſmata, & dona ſpiritus ſancti in* CHRISTO IESV. *Euchariſtia ſynaxis, & communionis fidelium, qui unum corpus ſunt* CHRISTI, *atque ideò* CHRISTVS *ipſe, nam & membra, & caput unus* CHRISTVS IESVS. *Pœnitentia porrò ſit Sacramentum reconciliationis, & remiſsionis peccatorum per merita* CHRISTI IESV. *Extrema Unctio Infirmorum iam ſanctè quieſcentium, & in pace migrantium, qui iam diù mundo mortui, atque ideò beati tandem in domino moriuntur, & Deo uiuunt per* IESVM CHRISTVM. *Ordo ſanctarum conſummationum, & diſpoſitionis Eccleſiaſticæ hierarchiæ, cuius caput, & ſummus Hierarcha eſt* CHRISTVS IESVS. *Matrimonium denique ſit Sacramentum coniugij perpetui* CHRISTI, *& Eccleſiæ, quo nihil antiquius, ut illis amoribus nihil ſanctius.*

IPSI *modo uidete Conſacerdotes, Comminiſtri, & Vnanimes mecum tantarum opum diſpenſatores, uidete inquam, & conſyderate, quanta nobis cura adhibenda ſit, ut in tanta cæleſtis ærarij diſpenſatione, in tanta Sanctæ Eccleſiæ œconomia, quum aduenerit dies, qua Dominus unicuique noſtrum dicet: Redde rationem œconomiæ tuæ; non cum œconomo illo, cuius meminit Euangelium, infidelitatis arguamur, & condemnemur. Non enim noſtræ ſed alienæ facultatis diſpenſatores poſiti ſumus, facultatis inquàm* CHRISTI, *quam ipſe ſuo ipſius prætioſo Sanguine emit, ut ſit ſua, non noſtra, ut in nomine eius non noſtro, quanquàm per manus noſtras erogetur humano generi, ut non per merita noſtra, ſed per illum ipſum* CHRISTVM *ſanctificetur uniuerſus orbis coràm Deo. Quid enim Paulus? Et quid Apollo? Paulus prædicando plantat. Apollo baptizando rigat; Deus autem iuſtificando, & ſanctificando incrementa præbet. Et haud dubiè ad prædicandum, ad baptizandum ipſi aliquid ſumus, imò uerò multum ſumus, & non aliquid ſolùm, ſed multa & multum facimus. At uerò quis hic non deponat, ſi quis habet, pharisaicum ſupercilium? ad iuſtificandas enim & mundandas intrinſecus animas eorum, qui audiunt uer-*

bum

bum prædicationis, & qui ſuſcipiunt aquam Sanctiſſimi Baptiſmatis, ad hoc in quàm nos nihil ſumus: In interiorem ſanè hominem, non illabitur homo, ſed Deus, per quem homo creatus eſt, & qui manens Deus, propter homines homo factus eſt. Indicat nos perpetuus Eccleſiæ, quæ in omnibus Sacramentis, antequàm ſacerdos quod ſuum eſt faciat, præmittit Orationes, aliquas ad Deum, non quod incerta ſit, an effectum ſortiatur uis Sacramenti, ſed quod certò credat effectum (ut aiunt) ſacramentalem eſſe ipſius Dei munus, & ex toto gratiam, non hominis aut meritum, aut præmium, atq; ideò, neq; ſperandum in ſacerdote etiam ſi ſanctiſſimus fuerit, neq; ſi fuerit nequiſſimus deſperandum de Deo. Ignota eſt ſemper nobis ſacerdotis conſcientia; ſed cui non eſt nota domini noſtri IESV CHRISTI miſericordia? Itaq; & per bonos, & per malos miniſtros CHRISTVS gratis baptizat in ſpiritu Sancto, ut proptereà quiſq; Chriſtianus ſecurus dicere poſſit. Quid mihi aſferre, uel auferre poteſt Paulus uel Cephas? Origo mea CHRISTVS, natiuitas mea ex CHRISTO, Vita mea in CHRISTO, ſemen quo renaſcor, eſt uerbum CHRISTI, quod obedienter audio, etiam ſi ſacerdos, per quem audio ea, quæ mihi dicit ipſe non facit; nam in CHRISTVM reſpicio. Ille mihi eſt caput qui cœpit facere, & docere. Meminerimus porrò, Fratres tituli noſtri, Miniſtri, & Diſpenſatores. Ita enim inquit Apoſtolus, Sic nos exiſtimet homo, ut miniſtros CHRISTI, & diſpenſatores myſteriorum eius. Quàm differunt Miniſter & Dominus? CHRISTVS eſt Dominus, nos miniſtri ſumus, ut quum Omnibus Chriſtianis communis ſit uſus, nobis ſolis ſit credita eorum adminiſtratio, & diſpenſatio. Quid eſt autem diſpenſare in domo, in regno, niſi ſecundum iudicium, & prudentiam, quæ rationem perſonarum, & rerum momenta diſcriminat, regias facultates ſumma fide, & ſynceritate, ad gloriam Regis, non profundere quidem, ſed prudenter diſtribuere unicuiquè ſicut opus eſt? iuxta illud Apoſtolicum. Hic iam quæritur inter diſpenſatores, ut fidelis quis inueniatur. Vnde & CHRISTVS apertius multò dixit: Quis putas eſt fidelis diſpenſator, & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam? Neque uerò dubium eſt quin primus diſpenſator & œconomus in regno Dei, ſit ille ipſe Dominus noſter IESVS CHRISTVS, de cuius plenitudine nos omnes quotidiè accipimus eo ipſo diuidente, ſingulis ſicut uult, menſuram fidei, & gratiarum, propter quod & myſterium illud ſuæ ipſius incarnationis appellatur à patribus œconomia. Atque ideò nos qui ſub CHRISTO œconomi ſumus, uerbi Dei, & ſacramentorum in uniuerſa hac adminiſtratione, oportet ad illius imitationem tanquàm miniſtros eſſe humiles, tanquàm diſpenſatores autem & fideles & prudentes.

QVAM porrò aliena ab humilitate miniſtri, irreuerentia ipſorum Sacramentorum? Quàm à fide & ſynceritate diſpenſatoris ſuperſtitio, quæ ad hypocriſim omninò pertinet, tanquàm falſa imitatrix ueræ pietatis. Deniquè quàm

abeſt

abeſt à prudentia, turpe lucrum, & omnis auaritia, atquè etiam ſuſpicio auaritiæ, quæ quum in rebus ſacris parum abſis à ſimoniaca labe, mirum non eſt, ſi cum iniuria Dei & CHRISTI IESV Omnes quoquè ſacerdotales functiones in oculis fidelium ex toto dedecorat.

IVXTA hæc igitur generaliter aduerſus irreuerentiam, auaritiam, & ſuperſtitionem, tres illos non Sacramentorum quidem, ſed ſacerdotum morbos & peſtes, Ordinamus, mandamus, & ſtatuendo ſtatuimus in hunc modum.

CANONES GENERALES.

IN PRIMIS NVLLVS SACRAMENTVM aliquod, aut etiam Sacramentale aliquid diſpenſet ſine lumine. Orgia profanæ gentis, & eorum quos uulgus infami uoce appellat magos, celebrentur in tenebris myſteria CHRISTI, qui eſt lumen de lumine, vbiq; & ſemper honorentur, quàm plurimis, ſed ſaltem duobus, vel tribus luminibus.

NVLLVS item diſpenſet Sacramenta CHRISTI, vel Sacramentalia, niſi prius coràm Deo contritus, & alteri ſacerdoti confeſſus peccata, quorum ſibi conſcius fuerit: nefas eſt pura tangi ab impuris, & ſancta à profanis; Quod ſi fortè magna quadam neceſſitate impediatur ſacerdos, quo minus præuenire myſterium confeſſione poſſit, ad reuerentiam Sacramenti re tota peracta confeſſionem nullatenus differat.

QVISQVE ſacerdos quum Sacramentum, aut ſacramentalia eſt adminiſtraturus, induat ueſtes ſacras, ad minus autem tunicam lineam, quam ſuper pellicium vocant; Et Orarium ipſum ità circundet, humeris, vt inde dependens, formam Crucis figuret in pectore, ad quam aſpiciens lætetur, & exultet, quod inſeruerit collum in laqueum, iamquè gerat colla uincta iugo Domini noſtri IESV CHRISTI. An non auditu Diuum Paulum beatam illam animam ſancta quadam ſuperbia de vinculis CHRISTI tumeſcentem, & ſe ſe efferentem. Rogo ergò vos ego vinctus in Domino. Ecquæ Torques, quæ armillæ comparari poſſunt cathenis, & vinculis, quæ innexa fuerunt ſancto illi collo?

NVLLVS vel per ſe ipſum, vel per interpoſitam perſonam directè ſeù indirectè petat, imò uerò (ut ſecuris ad radicem ponatur) niſi per cogitationes forſan (ut aiunt) uolaticas, quas quis euitet? ne animo quidem & intentione concupiſcat, aut ſperet accipere aliquid ab illis quibus eſt hæc cæleſtia dona diſpenſaturus. Quin peracto myſterio, ſi aliquid ſacerdoti dandum eſt, velut ex pacto antea inito, ſiue tacito, ſiue expreſſo, omnia tanquàm rudera, & quiſquilias generoſo, & verè ſacerdotali animo reijciantur. Illud recipiatur ſolùm, quod

quod ex veteri, & probata conſuetudine, ſacerdotalibus iuribus debetur, ſecundum legem naturæ, ſcripturæ, & bonorum morum.

QVOD *ſi quis parum pius, & ſuæ ipſius ſalutis negligens laicus illud omninò dare contempſerit, ad euitanda puſilli gregis ſcandala, ne exigatur quidem acerbè, ſed ne tamen ille profanus de peccato glorietur, & ius iniuriam putet, adeatur Epiſcopus, qui eum publicè confundat, vt & alij timorem habeant, quia ubi ſcriptum eſt. Gratis accepiſtis, gratis date, ibi quoquè ſcriptum eſt. Dignus eſt Operarius cibo ſuo.*

NIHIL *addatur, vel detrahatur formis, quas ſubſtantiales vocant, ipſorum ſacramentorum. In reliquis tùm verbis, tùm rebus, tùm actionibus nihil noui admittatur; ſed retineatur, per omnia, ſimplex, & antiquiſſimus ritus ſanctæ Romanæ Eccleſiæ. Vt verba pronuntientur grauiter, vt res exhibeantur mundæ, vt vultus, & tota actio eos qui adſunt ad deuotionem incitet, & inflammet.*

SOLA *forma Sacramenti Euchariſtiæ ſecretò proferatur à ſacerdotibus: porrò in alijs ſacramentis reliqua verba audiantur, ab illis ſaltem quibus ſacerdos ipſa ſacramenta miniſtrat.*

DE *uno quoq; autem Sacramentorum ſigillatim præcipimus in eam formam, quæ ſequitur.*

DOCTRINA ET CANONES
DE BAPTISMO.

BAPTISMVS, PISCINA DOMINI, AQVA EX*piationis, religionis chriſtianæ, primum ſignaculum, atquè adeò prima humanæ ſalutis ianua, nulli niſi neceſſitate vrgente, exhibeatur, in domibus aut priuatis, aut publicis; ſed in Eccleſia tantum, vbi ſit fons baptiſmalis, myſticus quaſi vterus renaſcentium in Domino. Quibus conſecrata aqua eſt velut ſemen genitale, ſpiritus Sanctus eſt vis formatiua, Deus eſt pater, Eccleſia Mater, ipſa Tinctio eſt regeneratio.*

HOMO *naſcitur ex Carne, filius iræ Dei, & ad æternam mortem, ideoquè ſi voluntate naſceretur, nihil tàm illi malum eſſet; quàm naſci: ſed quia voluntate non naſcitur, hac vna ratione bonum eſt naſci, quia niſi natus, renaſci non poteſt, nequè enim renaſcitur, qui non eſt natus; atquè ideo magna eſt illi gratia, qui quum primum numeratur inter natos, baptizatur, vt computari poſſit cum renatis.*

ORDINARIVS *Miniſter Baptiſmi eſt Sacerdos, iſq; Parochus, ſed datur neceſſitati venia, nam propter mortis periculum, quiſq; ſiue vir, ſiue mu-*

lier,

lier, baptizare iure poteſt; quin etiam ſi nullus alius adſit, licet ipſi quoq; patri, & matri in aqua pura, & ſimplici baptizare proprium infantulum, idq; ne de populo Dei anima illa funditus pereat. Terribilis illa tuba. Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto non poteſt introire in Regnum Dei, Tantam neceſſitatem indixit, & tanta neceſſitas, tantam familiaritatem induxit.

DECLARETVR *à ſingulis Parochis, idq; ſæpiſſimè, quod quiſquis ad nonum diem, quauis ratione diſtulerit portare filium ſuum ad Eccleſiam, ut baptizetur, etiam ſi infra illos dies nullum periculum paſſus fuerit puerulus; excommunicabitur, ne paulatim aſſueſcant homines prorogare tantæ neceſſitatis Sacramentum.*

INFANTES *baptizandi denudentur caput totum, pectusq; & ſcapulas, tum baptizentur per Aſperſionem, potiſſimum verò ipſius capitis, in quo uigent omnes ſenſus interiores, & exteriores. Sit autem ipſa aſperſio copioſa, vt habeat vim lotionis, quia baptiſmus græcè, latina eſt lauacrum, lauacrum inquàm in aqua verbo vitæ ſanctificata, & ſit terna ad honorem Sanctiſſimæ Trinitatis, in cuius uno nomine inſtitutus eſt, & vim habet Baptiſmus, ſicut ſcriptum eſt Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Erudiantur à Parochis Obſtetrices de hac ipſa forma Baptiſmi. N. Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, Amen. Et ſæpe ad memoriam reuocetur miraculum illud ex hiſtoria Eccleſiaſtica, Theodori Lectoris, quod quum quidam dixiſſet, In nomen Patris, per Filium, in Spiritu Sancto, ſtatim his dictis, aqua quæ in piſcina erat, euanuit, quaſi tantam blaſphemiam tantam iniuriam ipſius æternæ diuinitatis, aliam inquàm formam ab ea, quam Deus tanto Sacramento præſcripſerat ferrè non ſuſtinens.*

EST *autem coniungenda forma ipſi materiæ, vt neque antè, neque poſt ablutionem, ſed in ipſa ablutione, uel aſperſione hac ipſa verba pronuntientur, hoc eſt; eodem tempore peragatur vtrunq; munus, & manus, & linguæ; nam vtrunq; ſimul perficit vim, & rationem Baptiſmi: Siquidem & in illo ipſo* CHRISTI IESV *baptiſmo, baptizante Ioanne, ſimul vox patris audita eſt, & cæli aperti ſunt, & Spiritus Sanctus apparuit, & ſtetit ſuper eum, & non propter eum quidem, ſed propter nos potius, quibus virtute baptiſmatis datur gratia ſanctificationis Spiritus Sancti, patet liber acceſſus ad cælos, & donatur gratia adoptionis filiorum Dei.*

ITAQVAE *Obſtetrices, quæ ineruditæ ſunt, & à Parochis erudiri contemnunt, non admittantur ad baptizandum, atque ideò ne ad Obſtetricandum quidem.*

BAPTIZATVS *ritè à Laico ſi ſuperuixerit ducatur quàmprimum ad Parochum, qui in Eccleſia, ſecundum ritus, & traditiones Apoſtolicas, de more oret, inſufflet, benedicat, ſignet, cathechizet, condiat ſale ora, ad Sapien-*

tiam

tiam, pectus, & ſcapulas liniat oleo ad fidem, & patientiam, verticem porrò inungat chriſmate ad Chriſtiani nominis dignitatem, ut à CHRISTO *ex quo chriſma non ſecundum rei nomen, ſed ſecundum rei fidem, ducitur, dicatur, & ſit Chriſtianus, per ſuſcipientiumq́, & ipſius Eccleſiæ fidem abrenuntiet Satanæ, & pompis eius, vt habeat uitam æternam.*

QVONIAM *autem experientia oſtendit rarò conſtare poſſe, an à Laicis baptizatus, baptiſmum uerè ſuſceperit, ideò ad uitandam tantæ ſalutis nimium periculoſam incertitudinem, Parochus infantem quomodolibet baptizatum, niſi res ipſa conſtet clariſſimè, audacter, & fide animoſa baptizet cum his uerbis. Si non es baptizatus, Ego te baptizo. In nomine Patris &c.*

BAPTIZANDI *Infantis ſint ad ſummum duo ſuſceptores vnus inquàm, & vna, & iuxta Oraculum illud. Si duo ex vobis conſenſerint cum patre, & matre de nomine illius ambo conueniant, antequàm offeratur Sacerdoti, ut ei manum imponat, ſitq́ nomen, non nomina, hoc eſt non plura, ſed unum, quo baptizatus tandem ſignatè determinatèq́ numeretur & nominetur in populo Dei.*

ILLI *uerò orent ad Dominum, ut illud ipſum ſuum nomen inueniatur tandem per* CHRISTVM IESVM *deſcriptum in cælis in libro uitæ.*

NVLLVS *ad ſuſcipiendum infantem admittatur, uel religioſus, uel interdictus, uel excommunicatus. Nullus qui in Paſchate anni præcedentis, Sacramentum Penitentiæ, & Euchariſtiæ non ſuſceperit. Nullus qui incipiente presbyterio, neſciat promptè & expeditè proſequi Orationem dominicam, Angelicam ſalutationem, & Symbolum Apoſtolorum.*

SCIANT *ipſi ſuſceptores, ſe totam in re tanta repræſentare Eccleſiam, & illius fidem, atq́ ideò meminerint, quod eos ipſos, quos ſuſtentauerunt puerulos, erudire inſtituereq́ tenentur, non ſecus quàm nutrix, & pedagogus tenentur adeſſe infantibus, in ijs quæ ad uitam corporalem ſpectant, quum primum in lucem editi ſunt. Hac ſanè eſt cauſa cur Sacramentorum miniſtris adiunguntur ſuſceptores, qui etiam fideiuſſores, & ſponſores appellantur à patribus, nempè ut illos in ijs quæ ad Deum ſunt, perpetuò commendatos habeant, pro quibus tàm ſolenniter ſpoponderunt. Quanquàm & eo ſpectat Sancta Mater Eccleſia, ut omnes intelligant neminem pro ſe ſe aperire ſibi poſſe uiam ad æternam ſalutem, ſed omnes indigere Duce, & magiſtro homine, ut ſit homo homini, quaſi Deus, hinc enim factum eſt, ut nemo ſe ipſum baptizare poſſit.*

SI *fieri non poteſt, ut à ſacris operculis fontium baptiſmalium foramina, rimæq́ abſint, obducantur ſaltem tenui lamella, uel ænea, uel ſtannea, ne quæ ſordes in ſacrum uitæ fontem ingrediantur. Ea uerò lamina ſit religata clauis, ne facile moueri poſſit; curetq́ Parochus, ut ſemper ſit terſa, neq́ eam aliquandò attingat æruginis uirus.*

CANO-

CANONES DE CONFIRMATIONE.

SACRAMENTVM CONFIRMATIONIS, quod Sanctiſſimæ Trinitatis nomine per conſecratam Hierarchæ dexteram unctione chriſmali, conſignatione frontis, & impreſſione uiuificæ Crucis Chriſtianis hominibus adhibetur, eſt ſecunda, & admirabilis quædam Dei gratia, qua facti iàm filij Dei, & hæredes, fratreſq́, & cohæredes IESV CHRISTI in tutelam Spiritus Sancti recipiuntur. Et in baptiſmalibus quidem undis, quaſi modò geniti infantes actione hierarchica, quaſi adoleſcunt, ut induti uirtute ex alto robuſti, & fortes in bello ſtare, & pugnare poſſint, in bello inquàm aduerſus Dæmonas, qui acceptam primitus gratiam illis nunquàm non inuident, ipſi Deo noſtro pœnitus inuiſi, & odioſi.

ITAQVE non huc ſpectat nomen Confirmationis, quod Chriſtianæ Religionis, & fidei profeſſionem, quam in baptiſmo fecimus, uelut (quod hæreſis impudenter dixit) frigidam, & ferè inualidam in hoc Sacramento ipſi confirmare & renouare teneamur. Abſit enim ut irritam quis faciens legem Moiſi, in qua ſemel ſignaculo Circunciſionis ſignatus eſt ſub duobus, aut tribus teſtibus moriatur, & non ſtatim in oculis Dei ſit reus æternæ mortis, qui filium Dei conculcauerit, & ſanguinem teſtamenti pollutum duxerit, quo in baptiſmo ſanctificatus eſt, præſente tanta Angelorum frequentia, & in facie ipſius Eccleſiæ, quæ CHRISTI fidem pro illo, & in fauorem illius, pia mater ad filij ſalutem ſuſpirans, ſemel, iterum, tertioq́ ſpopondit. Sed inde ductum eſt nomen Confirmationis, quia ex parte ipſius Dei, quod Baptiſmus incipit, Confirmatio conſummat. Ex baptiſmo è cælo ad nos uenit diuino munere ius æternæ hæreditatis, ex Confirmatione animamur, armamur, adiuuàmur, ut à tanta hæreditate præpuſillanimitate noſtri ſpiritus ab aduerſarijs poteſtatibus nullatenus excludamur, atq́ ideò læti, & hilares exilientes tanquàm piſces ex aqua regenerationis, in hoc Sacramento perficimur oleo exultationis inde loti, hinc inuncti. Vis quidem Baptiſmi ſola efficere poteſt per CHRISTVM IESVM, ut qui tinctus eſt in ſuis ipſius aquis, ſi eum migrare contingat, mox euolet, nondum naufragium paſſus, per letale peccatum, in quod nemo non uolens labitur. Sed quoniam in hoc mundo tota ætate uicturis inter pericula ſemper, & inter inuiſibiles hoſtes gradiendum eſt, nam & CHRISTVS ipſe caput noſtrum, & noſter, uix baptizatus tentatus eſt à Diabolo. Ideircò etiam ſi à gratia baptiſmali nunquàm cecidiſſet uir Chriſtianus, eſt illi neceſſaria poſt baptiſmum gratiæ Confirmationis, ſicut & Sanctiſſimæ Euchariſtiæ, ut uires accipiat, ut grandeſcat

deſcat

deſiat in Domino, ut in uia ſalutis fœliciter progrediatur, ex fide in fidem, ex gratia in gratiam, ex uirtute, in uirtutem.

QVISQVE *igitur ſollicitus ſit ne uel ſibi uel filijs ſuis per negligentiam deſit ingens hæc gratia Epiſcopalis unctionis, cuius protectione muniti, & ſinguli & omnes qui baptizati ſunt tanquàm athletæ Dei, & liberè confitentur* CHRISTI *nomen, & fortiter defendunt dignitatem ad eos cœlitus ſiue ſuis ipſorum meritis delatam chriſtianæ militiæ, cuius finis eſt triumphus æternus, regnum æternum, & uita æterna.*

TANTVNDEM *cuiq; cauendum eſt, ne Sacramentum Confirmationis, quamnè Sacramentum Baptiſmi iterato ſuſcipiat. Sanè hanc unitatem & firmitatem uiolare, eſt contriſtare Spiritum Sanctum, atq; ideò iniuria afficere Sanctiſsimam Trinitatem, in cuius uno nomine ſignati, baptizati, & confirmati ſumus. Baptiſmus eſt uelut natiuitas in utero; Confirmatio uelut natiuitas ex utero, atq; ideò hæc illam perficit, ut ſit hæc & illa una ſola, ſicut ſcriptum eſt. Vnum baptiſma.*

NVLLVS *non plenè confecto ſexennio, nullus qui ignoret orationem dominicam, ſiue Angelicam Salutationem, & ſymbolum Apoſtolorum, deniq; nullus non ieiunus ad Confirmationis Sacramentum ſuſcipiendum admittatur. Decet tantam gratiam ſemel agnoſcere, ſæpè cogitare, reuerenter ſuſciperre.*

NEQVE *plures ſuſceptor unus, neq; unum ſuſceptores plures teneant ad Confirmationem, ſint autem qui chriſmate ſignandum ſuſcipiunt ad ſummum duo, unus, & una ſicut in Baptiſmo dictum eſt.*

QVVM *uitta linea quæ miunctæ fronti ne ſanctum chriſma perefluat, circumligatur, integro unius diei ſpatio retenta, amouenda fuerit, frons ipſa tota, aquoſa primum tela tergatur, ea mox expreſſa cum ipſa quoq; quæ inde defluxerit aqua mittatur in ignem ad comburendum, ut uel hoc exemplo addiſcant omnes ſeparare pratioſum à uili, & Sanctum à profano.*

CONFICIAT *quilibet Parochus non ſchedas, non chartas, ſed libros eoſq; geminos, unum Baptiſmi, alterum Confirmationis, in quibus & baptizatorum, & ſuſceptorum nomina, dieſq;, & annus, tùm Baptiſmi, tùm Confirmationis, quàmdiligentiſſimè conſcribantur; ij uerò libri quolibet anno in Octaua Paſchæ præſententur Epiſcopo, uel Vicario in Archiuo Curiæ Epiſcopalis conſeruandi ad futuram rei memoriam.*

CANONES DE SANCTISSIMA EVCHARISTIA.

SACROSANCTA EVCHARISTIA, QVAE ET baptizatos infantes in CRRISTO, & confirmatos adultos per CHRISTVM alit, & vegetat corpore, & ſanguine CHRISTI, res eſt per ſeſe tota plena Maieſtatis, & virtutis, neque enim in ea, vt in cæteris Sacramentis ſola adminiſtratio admirationem facit, quæ & ſola virtutem, aut virtutis illapſum habere putatur, ſed etiam ſi non adminiſtretur populo, aut etiam ſi non ſumatur ab ipſo Sacerdote ſub ſacris illis velaminibus accidentium panis, & vini, adoranda ſemper eſt, & glorificanda cum patre, nimirum verbum Dei, animaq́ & corpus, ſubſtantia inquàm tota & integra CHRISTI IESV perſona, in qua, ut altiſsimè dixit D. Paulus Apoſtolus, habitat corporaliter omnis plenitudo diuinitatis Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.

IDCIRCO, ut rem tantam populus intelligat, præcipimus, ut perpetuo tempore hoc eſt & dies & noctes ardeant ſemper tres lampades ante ipſum tabernaculum Sanctiſsimæ Eucharistiæ, ſitq́ onus Sacriſtæ, ne ulla unquàm illarum extinguatur. Hoc enim ſigno externi apparatus, & pompa luminum, facile quiſq́ excitabitur duce, & doctrina Parochi, ut credat Deum eſſe, cui tot incenſa collucent lumina, exhibebitq́ propterea tanto Sacramento cultum, qui illi debetur, eum inquàm, quem maximum exhibere poteſt, intus & foris, quem Græci λατρείαν dicunt.

TABERNACVLVM ipſum Sanctisſimi Sacramenti ſit aureum, aut certè argenteum, ſed ſimul radiante auro. Quoniam autem ſacrum ferè ſepulchrum eſt Domini noſtri IESV CHRISTI, ſit intus circumamictum totum mundiſſima ſyndone; nam & olim ſyndone non ſerico, non auro, non argento uelatum fuit pretioſum illud corpus, dum traderetur ſepulturæ præter id quod & maximè conuenit ad vitandam quam metalla patiuntur ęruginem. Omninò verò ſi vas illud Sanctiſsimæ Euchariſtiæ repoſitorium, calix non eſt, formam ſaltem habeat calicis; vt myſtici illius poculi, paſsionis inquàm & mortis, quam amantiſsimus Dominus noſter IESVS CHRISTVS, in gratiam noſtram, calicem toties appellauit, dulcem illam memoriam, & recordationem, in maximis noſtris grauiſsimiſque curis, & anxietatibus iucundam excitet & conſeruet uiuidam in animis fidelium. Ipſum autem Sanctiſsimum Sacramentum, cum omni reuerentia, & diligentia mutetur, & renouetur ſemel vnaquaque hebdomada, hoc eſt quinta feria, eo inquàm die, quo primum à Domino noſtro IESV CHRISTO confectum eſt.

AD

AD percipiendam ſacroſanctam Euchariſtiam panem uitæ, panem Angelorum, ſanctarum mentium mel, atquè delicias; neminem Parochus admittat, cuius conſcientia ipſi per confeſſionem explorata non ſit, & probata.

SI quando communicaturi accedant, qui alteri ſacerdoti ſua ipſorum peccata confeſſos ſe fuiſſe dixerint; Parochus ipſe vt tuta conſcientia illos communicare poſſit, neque vel fictos vel ſuſpectos habere cogatur, confeſſionis, & abſolutionis fidem requirat, & uideat.

TVM verò pro ſua ipſorum capacitate, ante communionem admoneat, quanta cum reuerentia, & tremore, quanta puritate animi, & caſtitate corporis, accedendum ſit ad dominicam menſam; & quàm horrenda ſupplicia illos maneant, qui alicuius peccati mortalis ſibi conſcij, de manu ipſius ſacerdotis uerum & viuum corpus Domini noſtri IESV CHRISTI ſuſcipere non verentur.

IN feſto Paſchatis, & quoties adfuerit magnus communicantium numerus, ſi commode id fieri poſſit, ſeparentur mares, & fœminæ in diſpenſatione huius Sanctiſſimi Sacramenti.

CONFESSIONE porrò generali, & abſolutione præmiſſa, ſtans ſacerdos, verſus ad populum, teneat extenſis manibus ueluti menſam panum propoſitionis; non patenam quidem propter planam & æquabilem ſuperficiem, ſubiectam vento, caſui, & alijs periculis, ſed tabernaculum ipſum, aut certè calicem, plenum hoſtiarum. Et ad præparandas repentè ſpiritales communicantium fauces, vt eſuriant toto corde cæleſtem hunc panem, omne delectamentum in ſe habentem grauiter, & deuotè, voce quidem alta, ſed modeſta & ſuaui pronuntiet hæc verba plena pietatis, Ecce Agnus Dei, Ecce qui tollit peccata mundi. Vtquè in eorum animis, ſancti diuini amoris, & timoris aculei, fortius imprimantur adiungat, Eccè panis Angelorum, factus cibus uiatorum, uerè panis filiorum non mittendus canibus.

SINT in menſa altaris, non duo crateres, aut calices, ſed duæ pateræ, ex chriſtallo, perſpicuæ, & nitidæ, Vna ad dexterum cornu plena vino, altera ad ſiniſtrum plena aqua ad commoditatem purificationis omnium, poſt ſumptionem ſacramenti, vt ne Abſtemij quidem fraudentur deſyderio aquæ. Ex hiſce uaſis, non ex calicibus (quibus vtendum eſt in ſacrificio ſolum, non in diſpenſatione ſacramenti) purificentur per miniſtros altaris, tàm omnes & ſinguli ſacerdotes, ea die non celebrantes, quàm quiquè laici promiſcuæ plebis.

NON deferatur Euchariſtia ad infirmos aliundè, quàm ex Eccleſia noſtra Cathedrali; atquè ideò cum magna religione, & pompa; præmonito ſigno campanæ populo, adhibita umbella, præcedentibus Cruce, luminibus, Thuribulo, tintinabulis, ſequentibuſquè (vt decet) turbis Clericorum, laicorum, virorumquè, atquè mulierum.

DEFERATVR autem, non per quoſlibet ſacerdotes, ſed per eum ſolum Parochum, in cuius vicinia iacet infirmus, aut eo legitimè impedito per aliquem ex curatis Maioris Eccleſiæ, quæ eſt Parochia omnium Parochiarum.

QVICVNQVE autem ille fuerit, antequàm inducat veſtes ſacras, vt accipiat geſtandum manibus tabernaculum Sanctiſſimi Sacramenti, puriſſimam peccatorum ſuorum confeſſionem faciat, perindeac ſi ſacrificium Miſſæ celebraturus eſſet.

IDEM diligenter exploret, antequàm ad infirmum accedat, an ipſe infirmus ſit ieiunus, & an vomitum, vel nauſeam patiatur, nè per imprudentiam, uel cum indignitate, redeat re infecta, vel ſcandalum aliquod conſequatur, quod animus meminiſſe horret.

TOTVM iter perficiat capite aperto, ad cuius exemplum per fora, & per uicos, omnes, à quibus vel ſtantibus, vel tranſeuntibus, videre, & audire contigerit, IESVM in terris ambulantem, & quaſi geſtientem introire in tecta noſtra ad ſanandas infirmitates noſtras, humiliter, ac deuotè corporibus humi ſtratis, illum reuerenter adorent; qui in corporalis exiſtens, in nobis corporari, & à nobis corporaliter manducari uoluit; vt nos ſibi faceret eſſe concorpores, unde ille in nobis, & nos in illo, & per illum uiueremus beatam uitam.

IN reditu, ſtans ad ianuam orientalem chori, is qui geſtauit manibus Sanctiſſimum Sacramentum, vertens terga ad altare maius, tenens manibus ante pectus idem Sanctiſſimum Domini Noſtri IESV CHRISTI tabernaculum, aperto ſimiliter, ut prius capite, faciat generalem confeſſionem, & abſolutionem ſuper populum, demum benedicens benedicat, & præter copioſos indulgentiarum Theſauros, quos Sancta Sedes Apoſtolica conceſſit omnibus Confratribus ipſius Sanctiſſimi Sacramenti, nomine etiam ipſius Epiſcopi annuntiet omnibus, & ſingulis qui uenerabile Sacramentum eundo, & redeundo comitati ſunt, quadraginta dies de uera indulgentia, in forma Eccleſiæ conſueta. Mox cum honore Thuris, quod genuflexus, non ſine facibus, ter adolebit, tabernaculum cum ipſis hoſtijs conſecratis, quæ ſuperauerunt, reponat ad cuſtodiam in Sanctuarium.

QVISQVE Parochus excitet ſuas plebes, ut quoad ualent corpore, & mente frequentes ſint ad perceptionem Sanctiſſimi Corporis Domini Noſtri IESV CHRISTI, ut quemadmodum in corpore noſtro humidum radicale per ſumptionem cibi reſtauratur, ſic deuotio animi, & feruor charitatis, quæ quotidie propter humanæ uitæ negotia, quibus etiam nolentes diſtrahimur deperdi ſolent, reparari, & tota uita ſpiritualis per eſum huius ligni uitæ, conſeruari, augeri, & per diuinam gratiam protrahi ualent uſquè ad beatam immortalitatem. Doceant omnes & ſingulos, quod diuina Euchariſtia tanquàm uerus cibus, & nutrimentalis, & medicinalis animæ noſtræ, unit hominem ipſi

Deo, & tranſformat in Deum, ad quod ſequitur conſeruatio gratiæ, augmentum uirtutum, reparatio ſpiritualium defectuum, & mira dulcedo delectationis ſpiritus, unde & fugantur dæmones, & reprimitur fomes concupiſcentiæ, & confirmatur propoſitum benè uiuendi, reſiſtendi tentationibus, & pugnandi aduerſus peccatum, uſq́ ad mortem. Intellectus ad ſui ipſius cognitionem illuminatur, inflammatur uoluntas ad amorem diuinum, multiplicantur merita bonæ uitæ; omnes maculæ ſpirituales mundantur, ſanatur palatum cordis, & impletur diuinis ſaporibus, ut nihil illi ſapiat niſi Deus, ut uigilans & dormiens non delectetur niſi in Deo; ut omnia illi amareſcant præter Deum.

CONSVLANT *porrò non eſſe fortaſſe ſatis tutum, eſſe certè ſatis indignum, ut poſt peccatum mortale, etiam contriti, & confeſſi ſtatim niſi magna urgeat neceſſitas, ad percipiendam diuiniſſimam Euchariſtiam accedant. Pertinet enim ad reuerentiam Sacramenti, ut peccator communicaturus aliquantulum abſtineat quo immunditia corporalis purgetur, & antequàm communicet tollatur ſpiritualis illa hebetudo, quæ contingit in mente ex depreſſione illius ad carnem; nam qui cum illa accedit, non poteſt actu mentis ſuæ ferri ad Deum, & ad diuina, caretq́ deuotione illa actuali quam, requirit ſacerdos, dum in ſacrificio laudis dicit, Surſum corda, atquè ideò ſumit minus dignè, ideoquè ſi ſumit, ſibi timeat nè peccata ſua aggrauet, nè à gratia* CHRISTI *ſeparetur, & nouo ſcelere efficiatur reus æternæ mortis.*

INDE *tertiò admoneant, ut à frequentia quotidianæ communionis omnes illi ceſſent, qui ſentiunt in ſe ipſis diminui, diuinam, reuerentiam, & non augeri feruorem diuini amoris, comparantur enim corporibus, quæ ſapientes Medici uocant Cacochima; de quibus Hippocrates dixit, Corpora cacochima quò magis nutries eò magis lædes.*

IN QVORVM *numerum ipſi (neſcio an fallimur) putamus eſſe magnam partem illorum, qui externarum occupationum, craſſis, ac nimium turbulentis curis detinentur alligati uxoribus, ſordidis, mercimonijs, profanis negotijs, hos enim, purgati anteà diligenter oportet, ut non cœno tantum balſamum permiſceant. Oportet ergo eos omnes uacare, antequàm eò perueniant, ut non indignè ſumant Euchariſtiam. Atquè ideò paternè conſulimus, ut contenti ſint ſæpè eſurire, & ſentire, quia hoc futurum eſt illis longè beatius, quàm quotidie manducare, & bibere.*

CANONES DE SACRAMENTO POENITENTIAE.

SACRAMENTVM POENITENTIAE PRO ILLIS, *qui poſt Baptiſmum in peccata lapſi ſunt, ad reparandam iuſtificationis gratiam à* CHHRISTO *inſtitutum, & eo iubente prædicatum in omnes gentes miniſteriali ſacerdotis abſolutione tanquàm diuina per* CHRISTVM IESVM *forma perficitur, & uerè illud eſt quod de peccatoribus facit ſanctos, ſicut baptiſmus eſt qui mundos facit de immundo conceptos ſemine, unde ſemper intellexit uniuerſa Eccleſia, Ex ratione peccati pœnitentiam ipſam eſſe omnibus lapſis neceſſariam. Et ex miſericordia, Dei per* IESVM *ijs, in quibus uera eſt nunquàm eſſe ſeram, nunquàm inutilem, aut infructuoſam, ut obſtruantur ora eorum, qui homines quum ſint ſine peccato ſe eſſe ſuperbè iactant, & eorum ſimiliter qui quum ſint Chriſtiani baptizatis tamen hominibus omne peccatum eſſe ad mortem deſperato animo docent.*

ITAQVE *more perpetuo ſingulis dominicis totius anni, & ſingulis diebus quadrageſimalis obſeruantiæ admonitas reddant Parochi ſuas ipſorum plebes; quod quum duæ ſint rationes uiuendi, Innocentia, & Pænitentia, illa, eſt tanquàm uia arcta, quam paucisſimi admodum terunt pedibus ſuis: Hæc eſt, tanquàm uia lata, per quam, donante Deo, quiſq; incedere poteſt, ſi modò uelit; Quo fundamento iacto, tum hortentur omnes, ut, quoniam in naufragio aquarum multarum, amiſerunt innocentiam gratiæ baptiſmalis, currant, ſi ſaluari cupiunt, ad ſecundam tabulam Pœnitentiæ, quam & oſtendit, & exhibet* CHRISTVS; *qui non tàm uult mortem Peccatorum, quàm mauult ut conuertantur à peccatis, & quiſquè uiuat, oſor mortis, author uitæ, qui etiam in ſe ipſo pertulit mortem, ut nobis daret uitam.*

ASSVESCANT *confortare & uiros, & mulieres, ut certo certius teneant quod facientibus pro uirili, ut gratiam remiſſionis obtineant à domino. Deus qui fidelis eſt, & ſe ipſum negare non poteſt, non deerit, quin det illis, peccatorum ſuorum, & pœnitentiam ſimul & ueniam; duo magna munera, quibus miſericordia, & ueritas ſibi inuicem obuiant, iuſtitia & pax ſe inuicem oſculantur.*

DOCEANT *pro gratia pœnitentiæ, & ueniæ neminem facere quod in ſe eſt, qui non in primis, antequam confiteatur ſacerdoti, examinat, & diſcutit, conſcientiam ſuam, ſuper peccatis, quæ confiteri debet, adhibens in ea re tantam diligentiam, quantam (humanum loquimur pro infirmitate carnis noſtræ) quiſquè adhiberet pro negotijs quibuſquè maximis, ex quibus uel lucra, uel*

honores magnos conſequi, uel damna, & ignominias magnas euitare poſſe conſideret.

AD onus illud porrò, ſacrum, & ſanctum (timoratu ſacerdotum conſcientijs, O quàm ſæpè dorſo grauius) auſcultandi ſecretò peccatorum confeſſiones, ſine quibus pœnitentia quidem virtus eſſe poteſt, ſed Sacramentum pœnitentia eſſe non poteſt. Nullus ſiue ſæcularis, ſiue regularis Sacerdos, quanta libet dignitate, doctrinaq; præditus ſit, ſeſe ſponte ingerat; ſed id oneris incumbat paucis, illis, quos præter Parochos, Epiſcopus, oculus Dei in Eccleſia, uelut ab alto ſuperintendens, elegerit, vocauerit, deputaueritq; in ſcriptis.

ABSENTE Epiſcopo, Vicarius ad munus prædictum eligat Sacerdotes, qui præ cæteris omnibus exercitatos habeant ſenſus ad diſcretionem boni, & mali, qui ſint integri uita, & moribus; qui bonum teſtimonium habeant etiam ab ipſis Laicis; qui præſertim oderint auaritiam, & ſint Religioſi cuſtodes ſacri ſilentij.

ATQVE ideò ſi quis Sacerdos compertus fuerit, vel lucri cupidus, vel deditus commeſſationibus, & ebrietatibus, è deſignato illo paucorum numero protinùs aboleatur; & ſubſtituatur alius in illius locum; nè aliquandò exiſtiment Laici dona Dei pecunia poſſideri; &, ut Sacerdotes nunquàm ignorent, nullum ſecretum eſſe poſſe, ubi regnat ebrietas.

DEPVTATI atquè deſcripti, ſimiliter & Parochi ipſi, ut ad illorum pedes prociderit pœnitens, & ſeſe munierit ſigno Crucis, illum protinùs, non ſuperclioſi, ſed læti, & mites, interrogent, an ſciat Orationem Dominicam, Angelicam Salutationem, & Symbolum Apoſtolorum; & ex ore eius hæc omnia non auſcultent ſolùm, ſed attentè & diligenter exaudiant; quæ ſi neſcierit, in ſpiritu quidem lenitatis, ſed tamen uerbis durioribus, confundatur; ut, qui tot annos natus in CHRISTO, nondùm didicerit elementa exordij Sermonum CHRISTI, & iniuncta hac ipſa Pœnitentia, ut ad compenſandam negligentiam, intra paucos dies, ea addiſcere, & coràm eo recitare teneatur; dimittant eum, & orent pro eo.

QVOTQVOT repererint coràm tribunalibus iuratos, ſcientes, & prudentes, falſum teſtimonium, uel ſemel dixiſſe, rem alienam, vel furto, vel fœnore ſurripuiſſe, exiſtimationem, famamq;, & nomen bonorum virorum maximè verò Eccleſiaſticorum, & per mendacia præſertim ſuſtuliſſe; eorum nulli, præterquàm in mortis articulo, magnum illud beneficium abſolutionis impendant, niſi priùs quòad fieri poteſt, damno quod intulerunt, & famæ quam læſerunt, dignè ſatisfecerint, aut ſufficientem cautionem de ſatisfaciendo præſtiterint.

EANDEM regulam teneant cum illis, qui directè, vel indirectè, libertatem, & immunitatem Eccleſiaſticam uiolare, & opprimere auſi ſint; &, cum illis, qui tranſacto iàm anno non perſoluerint legata ad pias cauſas; præſertim

relicta pro animarum ſalute, & pro redemptione peccatorum, & reſtitutione malè ablatorum, ſiue certa fuerint, ſiue incerta. Landem quoq; cum Nótarijs qui ſemel moniti ipſi Epiſcopo, aut Vicario illa indicare quouis prætextu contempſerint, de quibus etiam omnibus, generales in Eccleſia noſtra inſtemus ſic ri monitiones.

DOCEANT ſingulos pœnitentes uerbis grauioribus fructum huius Sacramenti eſſe reconciliationem cum ipſo Deo, per remiſſionem peccatorum, quam ſequitur admirabilis quædam conſolatio, & tranquillitas perturbatæ conſcientiæ, cum pace, & quiete interioris hominis, ex qua illi qui pie, ac deuotè hoc ipſum Sacramentum ſuſcipiunt, incredibilem ſentiunt in ſe ipſis uoluptatem, uoluptatem inquam exuperantem omnes ſenſus.

TVM ſubijciant, illos rectè & ritè ſuſcipere Sacramentum pœnitentiæ, qui antequàm ad myſticum ſanctæ confeſſionis Iordanem accedant lauandi, mundandiq; à lepra peccati, recogitantes in amaritudine animæ ſua ipſorum peccata, & ſingula & omnia, ex intimis cordis penetralibus orantes Deum, cuius donum eſt Pœnitentia, ſicut & ipſa remiſſio peccatorum inter timorem diuini iudicij, & ſpem diuinæ miſericordiæ, uelut inter duas molas, tanquàm triticum Domini, ſeſe per Dei gratiam non ſolum attriuunt, ſed minutatim conterunt; contritiq; ſcopum habentes ſatisfactionem, ut pœna Regnum Dei decoret, quod culpa dedecorauit, purè, & nudè, absq; tricis, & perplexitatibus uerborum, cum ſpe ueniæ, quæ non confundit in æternum, confitentur ipſi Sacerdoti, & peccata, & eas, quæ ad rem faciunt circunſtantias peccatorum. Eſurientes, & ſitientes tanquàm fontem aquæ uiuæ, uerbum illud ex ore Sacerdotis, Ego te abſoluo, quod tandem in fide ſuſcipiunt, non tanquàm uerbum hominis, ſed tanquàm uerbum Dei; absque Sacerdos per CHRISTVM IESVM iudex & arbiter conſtitutus eſt, in cauſa peccati inter Deum & hominem.

CONSOLENTVR puſillanimes, ſuſcipiant infirmos, idiotas, & ſine literis inſtruant, inquietos corripiant, omnibus, omnia fiant; ut tanquam piſcatores hominum, omnes homines, ſi fieri poteſt, trahant in ſagenam CHRISTI; utantur uino, oleo, uirga furoris, ſpiritu manſuetudinis, ungant, pungant, accendant, terreant, polliceantur, comminentur; nihil deniq; prætermittant, quod pertinet ad artem piſcandi animas ex mari, & periculis conuerſationis huius ſæculi nequàm.

HVC porrò intendant omnes uires, ut quia multi ſunt, qui declinantes corda, in uerba malitiæ, tanquàm filij Adam inter folia & frondes, putantes ſe agere cum homine, qui non intuetur cor, etiam coràm Deo, peccata palliare, & excuſare nituntur; ipſi contra prudentes in CHRISTO, uelut obſtetricante manu educant de ſecretis cauernis cordis colubros tortuoſos; qui per centena uolumina circumplectuntur, & obſident, terga, humeros, pectoraq;, & fauces

peccatorum; ita ut nunquàm extricare ſe ſciant à tantis nodis, & gyris, quibus implicatos ſe eſſe ſentiunt.

QVONIAM *autem longa in peccatis mora, & diù prorogata confeßio peccatorum, magna ex parte, in cauſa eſt, vt homines tantam & tàm intextam veſtem, expedire neſciant, vnde & aliquandò, in ſummam deſperationem adacti, penitùs confiteri contemnunt, & qui flagitiosè vixerunt, tandem ethnicè moriuntur. Iccircò hortentur quemq; ſedulò, & verbis grauibus, tamen intimo cordis affectu, ut poſtquàm tàm multas radices egit conſuetudo peccandi ſi uerè à Diaboli laqueis liberari cupiunt, incipiant quoq; aſſueſcere confeßioni peccatorum; & non in Paſchate ſolum, ut ſub pœna excommunicationis quisq; tenetur, ſed vel ſingulis ſemel menſibus vel ſaltem præter Paſcha ter in anno in Natiuitate inquàm Domini Noſtri* IESV CHRISTI, *In feſto Pentecoſtes, in Aſſumptione glorioſæ Virginis, ad excitandum in ſe ipſis amorem Dei, & odium peccatorum reuocent ad memoriam omnes malas cogitationes, ſcelera, negligentias, verba, opera, commißiones, omißiones, in quibus deliquerunt, & ea purè, ac integrè confiteantur Sacerdoti, cum ſpe veniæ, in terra, & in Cælo, ſic clauus clauo pellitur, conſuetudo mala, bona conſuetudine expugnatur, & uincitur.*

ADMONEAT *Pœnitentes in foro quidem exteriori, maximè curiæ ſæcularis, vbi ſpes veniæ non eſt, ſed metus pœnæ; iniquum fortaßè non uideri, ſi reus diligenter, & exquiſitè per omnia examinari uelit, & interrogari à Iudice; ut non niſi per artes, & inſidias, extorta confeßione delicti, ducatur ad ſupplicium; at verò in foro poli, in quo, non tàm uidetur tribunal diuinæ iuſtitiæ, quàm thronus gratiæ, ad remißionem peccatorum; abſurdum & ſupra quàm dici queat indignum eſſe, ut peccator qui ipſa delictorum confeßione eſt abſoluendus in iudicio Dei, & Angelorum, non liberè, & integrè motu proprio, & ex certa ſtientia, peccata ſua confiteatur; ſed contra fas, ipſe quoq; articulis, interrogationibus, & artificioſo examine, uelut contorqueri cupiat, ut longis circuitionibus fatigatus Sacerdos, ex ore illius extorqueat ueritatem; illam ueritatem, quam ubi confeſſus fuerit miniſterio Sacerdotis eſt abſoluta, à Deo, vbi tacuerit, remanebit filius iræ Dei.*

NVLLIVS *peccata palpent, nullius dißimulent, qui confeßiones audiunt, ne coràm Deo, qui ſcrutatur corda & renes, & qui irrideri non vult, ſua ipſorum culpa, efficiantur participes alienorum delictorum. Quid dico participes? authores potius, & inuentores, nam in hoc foro peccata dißimulare eſt fouere.*

ITAQVE *aperiant vnicuiq;, ſine ulla acceptione perſonarum, & ante faciem ſuam, ſtatuant lethalia crimina, quæ iram Dei prouocant, conſcientiamque onerant, ac lædunt. Oſtendentes ſingulis, quàm horrendum ſit, in die iu-*

dicij incidere in manus Dei uiuentis. Ità tamen, ut æternum memores miſericordiæ CHRISTI IESV ad illius imitationem calamos quaſſatos non conterant, & fumigantia ligna non extinguant, eos inquàm qui deſperationi proximi ſunt, non prorſus abijciant, & ſi qua in eis adhuc ſcintilla ſupereſt deuotionis, & ſpiritus, eam non extinguant, ſed foueant magis, inuitantes eos ad pœnitentiam, ad lachrimas, ad orationes, memores quod Paſtor ille ſummus, ille ſummè bonus, qui Sacramentum pœnitentiæ inſtituit, unquàm contendit, nunquàm clamauit, ſemper mitis fuit, & uoluit tentari, per omnia, ut compateretur infirmitatibus noſtris. Neq; verò dignum eſt, vt quam ille ouem errantem requirit in montibus fugientem reuocat, & uix repertam ſacris humeris reducit ad caulam. Demophylus quiſpiam, aut Carpus presbyter inquàm aliquis, aut monachus zelum habens, ſed non ſcientiam ſuperbè repellat, repudiet, reijciet, & indignam ducat, quàm hortetur, doceat, admoneat, & dirigat in uiam æternæ ſalutis. Huiuſmodi enim Sacerdotibus modeſta quadam ironia dici poteſt & debet, O' generoſi Fratres neſcitis cuius ſpiritus eſtis; CHRISTVS enim non uenit mactare, ſed ſaluare.

CVM ijs ergò penè deſperatis uiris præmiſſa oratione ad Dominum cum omni feruore ſpiritus, cum lachrimis, ita agendum Sacerdoti, ut paulatim reſipiſcentes, reuocatis ad ſuperna luminibus videant, & intelligant per Dei gratiam fieri poſſe, vt adhuc reſiſtant vniuerſæ multitudini peccatorum, quâ obrutos ſe eſſe ſentiunt, ſi modò aſſiduè; & ſemper cogitare velint Deum operum ſuorum inſpectorem, Angelum cuſtodem, dignitatem animæ, fragilitatem corporis, uitæ huius breuitatem, certitudinem & incertitudinem mortis, mundum fugacem, uoluptates momentaneas, inquietudinem conſcientiæ, iudicij nouiſſimum diem, prouiſiones Dei, quæ neminem fefellerunt, preces omnium Sanctorum, innumerabilia exempla peccatorum, quibus Deus pepercit, virtutis ſplendorem, ſceleris fœditatem, uim pœnitentiæ, gratiam lachrimarum, præmia, & ſupplicia æterna, ſuper omnia autem diuinam bonitatem, benignitatem, longanimitatem, patientiam, clementiam, miſericordiam, & demum nimiam illam charitatem IESV CHRISTI Domini Noſtri, Qui propter nos homo factus, nobiſcum conuerſari, pro nobis mori, & Cruci affigi voluit, & deſcendere etiam ad inferna ſuſtinuit, ut nos à peccato, à morte, & ab inferis ſuſcitaret ad gratiam, ad uitam, ad regnum cælorum, cuius eſt etiam illa uox in præſentia tanta multitudinis Angelorum, ſicut retulit Carpus, & audiuit, & retulit Dionyſius. Eccè porrigo manum, iam percute me, paratus ſum enim iterum pro ſaluandis hominibus pati. O' Dulciſſime IESV, ò incredibilis benignitas, ò uerè nimia charitas. Quis iam nolit pro te ſexcentis uicibus mori? Hi ſermones profectò & cæcis oculos, & ſurdis aures aperire, & mutis reddere vocem & inſanos ad Sanitatem animi reuocare, & deſperatos ad pœnitentiam

tiam adducere, & (ut ſic dicam) compellere poſſunt. Hæ ſunt pennæ aureæ quibus leuatur anima, quantum uis depreſſa ad terras, ut ſuſpicere poſſit cœlos, & iam nec mortem formidet, nec præſentia diligat, ſed ad futura tantum ſuſpiret, quod omnino initium eſt uera pietatis.

SELIGANTVR *ex numero ſacræ deputationis aliquot, uirtute, & ætate, ſeniores, quibus unis, committatur, ut audiant confeſſiones mulierum.*

QVAE *tamen non audiantur in locis ſecretis, neque in angulis Eccleſiarum, neque uel ante ortum uel poſt occaſum ſolis, ſed in loco conſpicuo eccleſiæ, & in luce ipſius diei.*

SIT *autem omnino inter ſcabile confitentis mulieris, cui genuflexa innititur, & inter ſcabellum ſacerdotis, ubi ſedet, & iudicat, uel crates ferrea, uel tabula contexta uiminibus, ut audire, & audiri liceat, uidere & uideri non liceat.*

IN *occultis delictis, parcentes uerecundiæ, & famæ peccantium, poteſtatem facimus Reuerendo Pœnitentiario huius Eccleſiæ noſtræ, ut ab omnibus caſibus noſtræ autoritati reſeruatis, ſemel & iterum abſoluere ualeat tàm uiros, quàm mulieres, pœnitentia impoſita, quæ tamen, pro morborum grauitate, & qualitate perſonarum, tanquàm medicina, prudenter, & fideliter temperanda erit ad ſalutem animæ ægrotantis.*

CANONES DE SACRAMENTO
EXTREMAE VNCTIONIS.

VNCTIONIS NOMEN SVAVE, ET RES IPSA *ſalutaris, Et nobis quidem, qui à* CHRISTO *chriſtiani ſumus & dicimur, nullæ uoces tàm domeſticæ, & tàm iucundæ eſſe debent, quàm oleum, filij olei, oliuæ, unguentum unguentarius. Eſt enim Græcis, in quorum laribus chriſtianum nomen natum eſt* χρίω. *Ungo.* χρίσμα. *Unguentum.* χριστός. *Unctio inde dicitur* CHRISTVS *quaſi unctus, Ut ſit unguentarius Deus Spiritus ſanctus unctio, Chriſtianus à* CHRISTO *unctus ab uncto. Itaquè baptiſmo ſicut lauamur ad munditiam, & ſcelerum expiationem ſic ungimur ad dignitatem, qua conſecramur in reges, & filios regis, filij & hæredes Dei, Fratres & cohæredes* CHRISTI, *In confirmatione porrò ungimur ad uirtutem, & robur, ut efficiamur Athletæ Dei, & prælìemur prælia Domini aduerſus Principes tenebrarum. At uerò tandem in mortem inungimur ad ſanctitatem, ut tanquàm Sacerdotes iam ab omni ſcelere puri, & expiati cum alacritate, ſpiritus, cum ſynceritate animi, cum charitate Dei, hæc enim ſunt teſtimonia puritatis morientium, concedentes naturæ, offeramus nos ipſos uictimam Deo, ad*

 ſatisfa-

ſatiſfaciendum diuinæ iuſtitiæ, qua poſt lapſum primi parentis ſtatutum eſt hominibus ſemel mori, & poſt hoc Iudicium.

NON pertinet hæc ipſa Unctio ad gratiam curationum, quæ & ſolo uerbo, abſque unguento, & per omnes Chriſtianos, non per ſolos præsbiteros ingentia in omnibus morbis, & languoribus miracula operabatur, ſed tanquàm uerum & proprium Sacramentum, ad ſalutem ipſius animæ referenda eſt, Quæ quoniam aggrauatur, uelut per compedes corruptibilis corporis iuxta illam Apoſtolicam lamentationem, Miſer & Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? propriè iuxta Diui Iacobi uerba, quibus Sanctiſsimum hoc Sacramentum promulgatum eſt alleuiari dicitur, dum in agone mortis ſentiens ſe à corpore non tàm diuidi quàm diuelli, ideoquè fatigata cogitationibus, doloribus, uicta, ac ſuperata, penè extincta uirtute, & depreſſa, ac demerſa in terras diuina per CHRISTVM IESVM *gratia ipſa unctione, & oratione Præsbiterorum uelut potentiſsimis ipſius Dei manibus ſurſum erigitur, confortatur, ut oblita mundi, memor Dei, ad cæleſtia ex toto corde ſuſpiret. Tum enim uelut per depoſitionem tabernaculi diruptis uinculis, & aperto carcere ſoluta & libera euolat ad cælos, ut meritò amicis deinde interrogantibus ab ijs qui excubantes ſpirantem cuſtodiebant, cum gaudio, & plauſu reſpondeatur: Quid quæritis? Conſolamini, Abijt, Exceſsit, Euaſit.*

OB id magno iure Sacramentum Extremæ Unctionis à Patribus conſummatiuum appellari ſolet, quia re uera coràm Deo, cuius eſt iudicare de hominibus conſummat, & perficit chriſtianam uitam, quæ quoniam nihil eſt aliud quàm perpetua quædam pœnitentia, hanc unam habet coronidem, hanc unam conſummationem. Vt quum Chriſtianis uiris, & mulieribus iamdiù contritis corde, confeſsis ore, maceratis carne, correctis tribulationibus, & flagellis, perſeuerantibus in bonis operibus, & nunquàm de ſe ipſis, ſed de diuina ſemper miſericordia, & bonitate confidentibus. Deus Benedictus iuxta Prophetam in ſignum amoris dederit ſomnum, ſomnum illum de quo Dominus ad Diſcipulos Lazarus amicus noſter dormit, ſed uado, ut à ſomno excitem eum, morientes inuncti, & purgati à reliquijs peccatorum fructum referant ſanctificationem, mortui uerò habeant uitam æternam. Confirmatio (ut ſic dicam) perficit Sacramentum Baptiſmi. Et extrema Unctio perficit Sacramentum Pœnitentiæ, Illa ſymbolicos armat caput militis Chriſtiani ad reſiſtendum tàm in curſu, quàm in impetu belli, ſed & ad reportandos triumphos aduerſus hoſtes, hæc in extremo utriuſquè hominis diſcrimine poſitum, & ſupra quam dici poſsit periclitantem induit talaribus ad euadendum, & effugiendum ex inſidijs ipſorum hoſtium.

ITAQVE ſolliciti ſint Parochi, ne Chriſtiani uiri, & mulieres, qui per omnem uitam, aduerſus peccata, & tentationes, occaſioneſquè peccandi, firmiſsimis Sacramentorum præſidijs ſe ſe munire ſtuduerunt, ut ab omni gratio-

re

re ſpiritus incommodo, integri, & illæ ſi ſeruarentur in ultimo huius nauigationis curſu, dum iam ad portum æternæ ſalutis appropinquant diſpendium aliquod ſalutis, aut etiam forſan æternum (quod abſit) naufragium patiantur, morientes per ſuam ipſorum negligentiam, ſine hoc tàm oportuno, ſalutariquè antidoto, quod aduerſus tela ignea, nequiſſimi hoſtis noſtri, diuina per CHRISTVM IESVM prouidentia omnibus CHRISTI fidelibus paratum eſt.

NEMO in re, uel nomine extremæ vnctionis, ità ſuperſtitioſus ſit, & moroſus, ut putet non eſſe unguendum ægrum niſi in ultimo ſuſpirio animæ, in vltimo puncto uitæ. Rectè enim & rite inungitur dum, communi Medicorum iudicio factis prognoſticis, relinquitur; & de corporis illius ſalute deſperatur: quia quum deſinit operari Medicus, tum vel maximè operari incipit ſacerdos, vt dum puluis reuertitur in terram ſuam; ſpiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.

OPVS Sacerdotis in hoc Sacramento, eſt vngere & orare; nam orando vngit, & vngendo orat, ſicut ſcriptum eſt, Orent ſuper eum, ungentes eum oleo Sancto in nomine Domini.

IDEOQVE, non pigritetur Parochus, ſed tanquàm Angelus Dei velox, vadat, currat, volet; vt filio ſuo, qui in tanto vitæ diſcrimine poſitus eſt, citiſſimè præſentanta vnctione, & oratione ſuccurrat; non tàm ad morbum corporis leuandum, quàm ad uincendos terrores mortis, ad ſuperandas tentationes Satanæ, qui, tum vel maximè quaſi ſerpens, qui morſu ſuo aſcenſorem ab equo deijcit, dum ad terram uiuentium applicamus, calcaneo noſtro inſidiatur, vt nobis retrocadentibus ſpem totam auferat, & fiduciam diuinæ miſericordiæ, deniquè id faciat, ad purgandas, extergendaſquè reliquias peccatorum, ne illi impedimento eſſe poſſint, quò minus niſi purgatus per ignes & flammas ingrediatur in ciuitatem illam cæleſtem, in quam nihil intrare poteſt coinquinatum.

CAVTI ſint Sacerdotes quum accedunt ad vngendum infirmum, qui in exitu vitæ conſtitutus eſt; vt nequaquam illum (quod filij ſæculi, & ſacerdotes etiam parum prudentes in vſu habent) longioribus verbis in ſpe huius præſentis uitæ conſolentur; ſed contra potiùs, cum feruore ſpiritus à curis, à deſyderiis, ab amoribus huius mundi ex toto abſtrahere ſtudeant, & ad æternæ beatitudinis cogitationem, ità erigant animum illius, vt & ipſe per Dei gratiam in diuinum amorem, vtrunquè aſſurgens, tandem paulatim animatus, & accenſus ſuſpiret, & per robur gratiæ, fragilitate naturæ ſuperata, doleat ſe nimium uixiſſe in hoc ſæculo nequam; & toto corde non iam mortem, ſed conſummationem uitæ, in uitam, deſyderet dicens. Hei mihi quia incolatus meus nimis prolongatus eſt, Dies mei multi & peſſimi, nam iniquitatem meam ego cognoſco, quia peccaui nimis in vita mea, & peccatum meum contra me eſt ſemper. Sed Ecce in ſpe gratiæ tuæ præter omnem ſpem Iuſtitiæ meæ ad te uenio Deus meus, & me

morabor iuſtitiæ tuæ ſolius. Quando erit ut non peccem? vt peccare nolim? vt peccare non poſſim? Quando ueniam, & apparebo ante faciem Dei? Domine IESV CHRISTE *Quem Iudicem ſuſtinere nequeo, Saluatorem habere ſuſpiro. Summe Pater auerte faciem tuam à peccatis meis, & reſpice in faciem* CHRISTI *tui.*

EVM *porrò qui ſemel in extremo uitæ periculo conſtitutus, hoc ſacro unguĕne perfuſus Dei gratia mortem euaſerit, pro admodum & ſalutari conſilio hortetur Parochus, vt niſi connubij vinculo ligatus ſit, reliquum vitæ tempus, quod tanquàm alterum Ezechiam diuinæ miſericordiæ ope ſe conſecutum eſſe putare debet totum ipſi* CHRISTO IESV *dedat, regi regum; & dimiſſo ſæculo, à quo ipſe dimiſſus erat, in mortem, niſi* CHRISTVS IESVS *eum in ſuum ipſius ſinum recepiſſet ad uitam, ingrediatur clauſtra alicuius probatæ Religionis, vbi ſanctè religatus, liber à peccato, ſeruus Iuſtitiæ, non iam mundo aut ſibi, ſed Deo ſoli per omne tempus innocenter uiuat, & ſeruiat.*

CANONES DE SACRAMENTO ORDINIS.

QVAECVNQVE A DEO SVNT, ORDINATA *ſunt, & cæleſtia, & terreſtria, & intelligibilia, & ſenſibilia, & tempora, & anni, & dies, & noctes, & elementa, & omnia corpora, & ipſe quoq; quæ in rebus videntur perturbationes, atq; confuſiones, inundationes, fulgura, fulmina, terremotus, conflagrationes; miris ordinibus continentur, reguntur, circunuoluuntur. Ipſa autem Eccleſia Sancta Dei; cuius gratia Deus omnia facit, & verſat cælos, & tuetur terras, & moderatur Maria, & mittit Angelos, & naturam adminiſtrat, & miracula facit verè diuino & admirabili ordine conſtat, nam alij ſunt Paſtores, alij oues; hi parent illi imperant; alij ſunt tanquàm in corpore oculi, alij uelut aures, hi ſunt manus, illi ſunt pedes, alij lingua, nec omnium eſt vnum officium, ſed cuiuſq; proprium. Porrò Sacramentum ordinis non eſt hic ipſe tametſi diuinus, & admirabilis ordo, quo quaſi animatur Eccleſia, quo quaſi conſtituitur ipſum uniuerſum. Sed ſicut Baptiſmus conſtituit, ſacratq;, & ſanctificat Eccleſiam ipſam totam; ſic Sacramentum ordinis conſtituit in Eccleſia ipſam hierarchiam, hoc eſt ſacrum Chriſtianæ Reipublicæ principatum, quo uniuerſa Eccleſia benedicitur, regitur, ſanctificatur.*

NON *eſt quidem aliud commum Theologorum ſenſu; & elocutione Euchariſtia, & Sacramentum Euchariſtiæ, neq; aliud eſt Baptiſmus; & Sacramentum Baptiſmi, ſicut neq; Philoſophis, quum de mundo loquuntur, eſt aliud ele-*

mentum Terræ, quàm Terra, aut elementum aquæ, quàm aqua. Sed enim Sacramentum ordinis eſt ipſa ordinatio, qua per impoſitionem manuum, per benedictionem, per conſecrationem, per vnctionem conſtituitur Eccleſiaſtica Hierarchia, quæ antonomaſia quadam, decoro illo ordinis nomine, & præclara dignitate fulget in Eccleſia Sancta Dei. Sicut enim in ſæculo extra plebem eſt ordo ſenatorius, ordo equeſtris, vnde & ordines Imperij deducti ſunt; ſic in republica Chriſtiana, quæ Eccleſia dicitur, extra Laicos ſunt miniſtri Dei, & hi dicuntur Ordo Eccleſiaſticus, quorum quiſq́ ab infimo gradu, ad ſupremum pro ſua ipſius vocatione, & munere pars eſt illius ordinis ad regendam, & adminiſtrandam vniuerſam Eccleſiam in cultu Dei, & in omnibus, quæ pertinent ad ædificationem fidei & bonorum morum.

ITAQVE ſicut cætera Sacramenta quenq́ in ſe ipſo per miniſterium Sacerdotale ſanctificant, & perficiunt; ſic Sacramentum ordinis ipſos Sacerdotes, reliquosq́ Dei miniſtros & maiores, & minores pro graduum Eccleſiaſticorum varietate ſacrat, & perficit, neceſſarium propterea abſolutè toti quidem corpori, ſed & ſpecialiter membris illis Eccleſiæ, quæ ex ſiniſtra parte transferuntur ad dexteram, hoc eſt à Laicis ad Clericos, vt qui homines inungunt, benedicunt, ſanctificant, quo in magna hac domo, & menſa Dei vaſa ſint munda, apta, & parata ad omne opus bonum ipſi præ cæteris hominibus inungantur prius, ſanctificentur, & perficiantur, ideoq́ ad populi Chriſtiani, tam magnam & multam, tantiq́ & coràm Deo, & coràm mundo odoris, & ſuauitatis plenam unctionem, ſacra vnguenta non indignè ſuſcipiant. Nam & CHRISTVS IESVS, quem in omnibus functionibus ſacerdotalibus nos omnes imitamur, quòad poſſumus, dum ſe ipſum offerret hoſtiam ſummus Sacerdos, & Hierarcha, caputq́ vniuerſi ordinis Eccleſiaſtici, ex quo & uita & ſalus influit in omnes homines, qui CHRISTI ſunt, dixit. Et pro eis ſanctifico me ipſum, ut ſint & ipſi ſanctificati in veritate.

INCIPIENTES igitur à primis gradibus Eccleſiaſticis, ſtatuimus ut nullus ad minores ordines, & ne ad clericalem quidem tonſuram decæterò admittatur, Nullus literis quas dimiſſorias vel admiſſorias vocant, ad alium quempiam Epiſcopum ordinandus deſtinetur; Nullus quomodolibet tonſus in gremio noſtrorum Clericorum recipiatur; Niſi primum & ante omnia, Archidiaconus bona conſcientia, & fide non ficta, ex iuratis bonorum uirorum teſtimonijs illum ex legitimo matrimonio natum eſſe coràm nobis aut Vicario noſtro ſufficientiſſimè, & quòad fieri poteſt clariſſimè probauerit.

SI QVIS in Clero noſtro eſt, vel ſpurius, vel quomodolibet ex illegitimo matrimonio natus, quantumuis & ingenio, & literatura polleat, parentum quoq́ nobilitate, & demum ſuæ ipſius uitæ honeſtate ſimul gloriari poſſit, is ad ſacrum ſubdiaconatus ordinem nullatenus promoueatur.

Qvi in Clero noſtro Illuſtres ſunt huiuſmodi notis, & iam in ſacris ordinibus miniſtrare conſueuerunt, ſi ſubdiaconi ſunt, Diaconatu, ſi Diaconi, ſacerdotio, ſi Sacerdotes Canonicatu, ſi Canonici, Parochia, ſi Parochi, omni alio Eccleſiaſtico officio, toto tempore uitæ ſuæ habeantur indigni. Nimirum ea fœditas defectus natalium, hac noſtra ætate, tam Communis eſt in Clericis, ut propter eam, in toto hoc regno ferè contemnantur ac deſpiciantur omnes Clerici.

Qvisqvis propter Christvm, & propter Christi amorem, ſuum ipſius caput clericali corona inſignire deſyderat, is ubi primum conſtiterit eum eſſe legitimè natum, ſecuram, & fidelem iudicio Reuerendi Archidiaconi noſtri, & unius ex deputatis Magnificæ Uniuerſitatis noſtræ, exhibeat cautionem, quod ad ætatem maturam perueniens, aut Deo benedicto in ſacris miniſterijs ſit famulaturus, aut certè redditurus uniuerſitati illud totum, quod propter ordinarias Clericorum immunitates, quibus interea gauiſus fuerit ipſius Archidiaconi, & Archipresbyteri iudicio, ſe illis debere probabitur; alioquin tanquam qui ingrediatur duabus uijs, & qui duobus dominis ſeruire uelit Deo, & Mammonæ, ſitque in ſpiritu eius dolus, & claudicet in duas partes, prorſus reijciatur ab Eccleſia, ut ſtet cum Laicis.

Ad ſacrum Subdiaconatus ordinem, uelut qui eſt ſummi apicis Sacerdotalis, ueſtibulum, & ianua, promouendus, ante omnia admoneatur ut hoc primum caput appræhendat; ne in intentione erret; ne promoueri uelit propter pinguia beneficia, uelut tranſiturus à labore ad requiem, ab inopia, ad abundantiam, à ſeruitute ad libertatem; ſed ordinare deſyderet, ut Christo ſeruiat, qui pauper & in laboribus, à natiuitate ſua, uult etiam ſeruos ſuos eſſe pauperes in laboribus, & ſub iugo, nimirum quibus nihil eſt commune cum mundo, ſicut contra mundanis hominibus nihil eſt commune cum Christo.

Nvllvs Clericus promoueatur, qui uel parum antea decoxerit uel omnino alieno ære in magna ſumma grauatus ſit; Nullus, qui fœneratus fuerit; nullus qui in ſcæna luſerit; nullus qui pœnitentiam publicam egerit; nullus qui ad imitationem Simonis magi pecuniam, ut ordinaretur, detulerit; nullus qui uerſus in furiam inſanierit; nullus qui à dæmone corruptus fuerit.

Nvllvs denique, qui non ſit bonus moribus, & bono ingenio; qui non ſit docilis, & benè aptus ad capeſſendas literas; qui neſciat legere, ſcribere, & cantare, qui aliquo inſigni corporis uitio ſit deformis, aut manſus; qui denique, per aliquot annos non aſſueuerit deuotionibus, officijs, ipſiſque præſertim pſalmodiæ, & uniuerſæ diſciplinæ chori.

Qvi uerò ab alio Epiſcopo ad aliquem ex ſacris ordinibus promotus fuerit ab illius ordinis exequutione, ad quem promotus eſt, perpetuò intelligatur eſſe ſuſpenſus, niſi licentiam à nobis uel à Vicario noſtro obtentam in ſcriptis oſtendat, quam ne ullus excuſare ſe legitimè poſſit, iubemus per omnia dari gratis.

Et multò magis ſuſpenſus ſit, qui per ſaltum aſcendere non fuerit ueritus ad ipſum venerandum Sacerdotij apicem.

NON confundantur ordines in Eccleſia, ut, niſi neceſſitas vrgeat contra quam leges nullam uim habent; uel Acolythus, Epiſtolam cantet, quam cantare debet Subdiaconus; vel Sacerdos cantet Euangelium, quod canere munus eſt Diaconi, ſed quuq; ſuo fungatur munere. Sacerdos celebret, Diaconus Euangelium, Subdiaconus Epiſtolam recitet; Acolythi & alij minoris ordinis Clerici, maioribus iſtis gradatim quiſq; ſuo loco (ut par eſt) decenter ſubſeruiant, & miniſtrent, vt impleatur illud Apoſtoli, Omnia honeſtè & ſecundum ordinem fiant in vobis.

QVISQVIS autem per negligentiam, ſiue per ignorantiam, aut deniquè per contemptum, in ſui ordinis exercitio peccauerit, ne alij incipiant ordinem peruertere, puniatur acriter, idq; arbitrio Vicarij, cuius conſcientiam oneramus.

EX Clericis illis, quos Laici in contemptum uoce publica ſylueſtres, uel agreſtes uocant; in quibus nimirum, nullum eſt ſpecimen earum uirtutum, quæ ad Clericos pertinent; ut qui abhorrent à Sacris, à Templis, à Deo; qui ſeruiunt mundo, carni, Satanæ, qui nihil minus cogitant, quàm Eccleſiam, quàm Chorum, quàm altare; Si quos Vicarius noſter repererit in Ciuitate, uel Diœceſi Botuntina, eos ſecundum formam iuris corrigat, emendet, caſtiget, in uirga, & in baculo, ut ad melioris uitæ frugem (ſi fieri poteſt) reducantur. Vbi uerò in profundum malorum uenerint, & contumaces prorſus, atq; incorrigibiles apparuerint, illos omnes, quod ipſi iam facere cœpimus, & gaudemus, omninò deponat; ut prorſus eiecti de Clero, & cum Eccleſia non habentes ultra quid faciant, uel ſæcularis poteſtatis brachio comprimantur, uel ſaltem non poſſint ſecum trahere alios in perditionem; Vnde Eccleſia ipſa, nec non & Epiſcopus, atq; adeò CHRISTVS IESVS à calumnia liberetur; neq; amplius propter eos blaſphemetur nomen ſuum in populo ſancto Dei. Si qua autem beneficia habent, etiam Iuris patronatus, ſi ad ea præſentati fuerint in hoc ipſo malæ uitæ auſos, pro illa uice applicentur Cameræ Epiſcopali, ut dentur alteri benemerenti, & ſi uel neceſſitas cogit, uel pietas ſuadet, propter culpam malæ intentionis, uel præſentationis, etiam extra lineam patronorum.

CAVEAT tamen in omnibus Vicarius, ne ſit plus iuſtus, quàm iuſtum eſt, quiá omne quod nimium eſt iniquum eſt; Diſcat autem ne pro uno, uel paucis, aduerſus omnes Clericos noſtros mutato zelo in furorem indiſcretus, & iracundus inſurgat; quia æquius ferremus ut multi rei abſoluantur, quàm ut unus Innocens condemnetur: Illud porrò ſuper omnia obſeruet, ne ſcandalum præbeat populo noſtro, dum uidetur ſuas potius, quàm Dei, & Proximorum iniurias, damnaq; & detrimenta uindicare; decet enim Iudicem alienas iniurias ulciſci, ſuarum obliuiſci.

LAICVS ſi Clerico, Clericus ſi Subdiacono, Subdiaconus ſi Diacono, Diaconus ſi Sacerdoti, ſcienter & publice maledixerit, Vicarius in eum animaduertat pro menſura iniuriæ, & reſpectiuè etiam Gubernator Regius.

ANATHEMA ſit, & Laicis, & Clericis, quiſquis maledixerit in faciem ipſi Epiſcopo, quem proximè & ſecundum Deum, & Clerus & Populus reuereri debuerat, tanquam parentem, & Dominum, neq; aliquis, perdito illi ac miſero dicat, Aue, donec Epiſcopus miſericordia motus ſuper eum, tanquàm ſuper mortuum, pepercerit ei, & abſoluerit eum, quod eſt reſtituiſſe in uitam.

EX Præsbyteris uel maioribus, uel minoribus, ſi quis (quod abſit) repertus fuerit tàm ſine fronte, ut ſuum ipſius Epiſcopum de aliquo crimine accuſare audeat, præterquàm uel ad Concilium prouinciale, uel ad Sanctam Sedem Apoſtolicam, & præmiſſa iuxta Euangelicæ correctionis præceptum ſemel & bis cum ea, quæ filios decet reuerentia monitione, & obſecratione ipſius Epiſcopi, etiam ſi crimen & magnum, & uerum eſſe legitimè probauerit, excommunicetur, & inter alios presbyteros habeatur tanquàm ille filius perditionis, cui nomen fuit Cham, qui riſit uerenda patris, quæ niſi impudentiſſimus fuiſſet ad tempus ſaltem diſſimulare debuerat, quum fratres eius probitatis paternæ hæredes ipſa etiam natura docente filios honorem parentum ea operuiſſe magna cum laude legantur.

QVOD ſi Deo placuerit, ut ad lucem ueniat Innocentia Epiſcopi, & detegatur is, qui illi falſum crimen intenderit, & malo animo per fraudem, & rationem doloſam calumnijs eum uexauerit, unde accuſator condemnetur, & accuſatus abſoluatur, quamuis deinde Epiſcopus, qui ex officio ſe patrem, & matrem eſſe obliuiſci non poteſt, impudenti illi pepercerit, & manſuetudinem Dauidis, imitatus hunc ipſum ſuum Abſalonem fleuerit cum gemitibus, & lacrimis; tamen donec ille malus Præsbiter ueræ pœnitentiæ & ſatisfactionis non ſemel ſigna publica dederit in colloquijs priuatis, & in conuiuijs, ubi ex abundantia cordis os loquitur, eructans uerbum & dulce, & amarum obſeruetur quàm diligentiſſimè à toto clero ne forte laqueis Diaboli captiuus teneatur, ut cum antiquo illo Aerio, Aerium & ipſe ſpiritum immundum habens credat præsbiteros eſſe Epiſcopis pares, atquè ideò non eſſe illi grauius quod læſerit Epiſcopum, quàm ſi illum læſiſſet Epiſcopus, quum alioquin diuino iure ſolus Epiſcopus, ſit genitor Præsbiterorum, ideoquè maior omnibus præsbiteris, neque enim præsbiter præsbiterum generat, niſi in apice præsbiterij conſtitutus, hoc eſt inunctus Epiſcopus. Et quidem calumnias, impoſturas, omnis generis uerſutias tolerare aliquandò in cauſa propria decet Epiſcopos; at uerò qui in crimine hæreſis uel ſemel patiens fuerit, is ſe oſtendit indignum, qui uocetur Epiſcopus. Quoniam autem uerendum eſt forſan ne Epiſcopus ſuſpectus habeatur, idcircò non propter

periculum quidem infamia, nam Vox illa Paulina Per bonam & malam famam digna eſt Epiſcopus, ſed ne ſcandalum oriatur in populo, Suademus ut totum negotium referatur ad Sanctam ſedem Apoſtolicam, quæ per IESVM CHRISTVM *Dominum noſtrum, & morbum pellat, & morboſum hominem ſanet.*

AD extremum, quia Clerici ratione ordinis antonomaſia quadam appellantur filij Dei, ſicut Laici contra, quoniam nubunt & nubuntur, dicuntur filij ſæculi, Omnes Laici reuereantur Clericos, tanquàm dignitate & gradu multò, idquè diuino iure inferiores Clericis. At uerò Laicos non contemnant ipſi Clerici, quia Clerici fiunt ex Laicis; nequè enim ullus eſſet Clericus ſi non multus eſſet Laicorum numerus. Epiſcopus porrò qui & natus eſt ex Laicis, & educatus inter Clericos, oportet & decet ut pro CHRISTO, *cuius uices agit, ſe ſe ſimul exhibeat & Laicis pietate tanquàm filium, & Clericis amore tanquàm fratrem; denique conſilio, & authoritate Laicis, & Clericis magiſtrum & quaſi parentem; Ut quòad fieri poteſt ſine culpa toleret infirmitatem in Laicis, non facilè credat ſed ne audiat quidem niſi una aure crimina, quæ obijciuntur Clericis. Tandem uerò quum punire cogitur uel hos, uel illos, & ea temperatione utatur, ut oſtendat populo eſſe quidem ipſum Oſorem iniquitatis, Sed tamen non oblitum humanitatis. Inſuper autem ſibi ipſi uim inferat, ut etiam ſi crimina ſint paria, ſicut publicè laicum, ſic in occulto puniat clericum, ad retinendam, & ſeruandam dignitatem ordinis. Nam & Aaronem qui conflauerat Idolum filijs Iſrael, altiſſima illa ſua prouidentia Deus ſecretò mulctauit, nequè eum percuſſit lepra quod murmuraſſet contra Moſen, ſicut Maria ſoror, ne dicerent populi illi temerarij & inſolentes. Hem pater Aaron, Hem Sacerdos ſanctus, Vah profanum Sacerdotium.*

CANONES DE SACRAMENTO MATRIMONII.

CHRISTIANVM MATRIMONIVM, QVOD LE*gitimo Coniugij fœdere ad propagandam ſucceſſione perpetua per generationem, & educationem filiorum humanam ſpeciem, Deus benedictus, inter maſculum & fœminam, quos ab initio creauerat, antequàm peccarent, celebrari iuſſit; quod ipſe Dei filius, & Dominus noſter* IESV CHRISTVS *primò, eo que & ad literam, & allegoricòs inſigni miraculo decorauit. Quod ſi quis uoluerit definire nihil aliud dicet, quàm quod ſit, Connubium honorabile & thorus immaculatus in Eccleſia Sancta Dei, ex ſacris literis & ipſis paternis traditioni-*

bus, quas fides Catholica uno & eodem pietatis affectu ſuſcipit, & ueneratur. Eſt Proprium laicorum tantùm, ſicut Ordo clericorum; Nam quum alia ſacramenta ſint communia atquè adeò pro æterna ſalute neceſſaria Clericis & laicis, ſacra ordinatio illa eſt quæ ad Clericatum ſubuehit laicos, & Matrimonium illud unum eſt ad quod demittere ſe non poteſt ſacratus Clericus, quippe qui per impoſitionem manuum inunctus eſt unctione ſancta, ut pro toto populo conſtitutus tanquàm publica perſona deſeruiat altari, & miniſtret in ſacris, atquè ideò ne ſollicitus ſit, & turbetur erga plurima, ſed ſit tota mente ad diuina ſemper intentus, quando hoc unum illi eſt neceſſarium. Oportet ut uitam uiuat cælo dignam, ſimilior Angelis, quàm hominibus, non tàm in carne exiſtens, quàm in ſpiritu meditans die ac nocte in lege domini, ſolutus à curis ſæculi, extra comedias, & tragedias Matrimonij.

*E*T *quidem caſtum & legitimum Matrimonium in* CHRISTO *ſponſo, & in Eccleſia ſponſa magnum ſacramentum, at uerò in noſtris uiris & fœminis tàm ſanctitate & dignitate eſt ultimum, quàm tempore, & antiquitate primum, inſtitutum & relictum populo Dei, ſecundum indulgentiam, non ſecundum imperium, cuius caſtitati non ſolùm flos illibatæ uirginitatis, ſed ipſa quoquè arida uiduitas in ijs quæ uerè uiduæ ſunt ex ſacris literis anteſertur. Etſi enim non peccauit Virgo quæ nupſit, & ſi non peccat qui uirginem uxorem accipit, tamen & caro eſt qui nubit, & eſt caro cui nubit, & fiunt, dum generant, caro una in carnem unam, ut propterea ſi in nuptijs repudium, aut diuortium ex quacunquè cauſa locum haberet, nequè unius cum una uinculum certum, & ſtabile, atquè indiſſolubile eſſet, quoniam ferè ex toto ad carnem pertinet Sacramentum propriè dici non poſſet. Indicat quod Sancta Eccleſia, quæ docet ut ſeminemus in ſpiritu, cui etiam lex eſt ſpiritalis, quæ & uiuit ſecundum ſpiritum, quanquàm non prohibet ſecundas nuptias, tamen non benedicit niſi primas, & omninò non probat ſæpius repetitas, Cuius etiam iudicio, ac cenſura ſicut bonum eſt nubere, quia malum eſt uri, hoc eſt ignitis carnis tentationibus ſuperari, ſic ſimpliciter bonum eſt mulierem non tangere, & mundum eſſe à mulieribus; quia illi præ cæteris ſunt beati & indiuidui comites agni, qui cum mulieribus non ſunt coinquinati.*

*I*TAQVE *quoniam Matrimonium ab origine mundi eſt officium naturæ, & ſolatium humanitatis, iuxta uerbum Dei, Non eſt bonum hominem eſſe ſolum, Creſcite, multiplicamini, replete terram, & deinde factum eſt in populo Dei à Moſe uſq; ad* CHRISTVM *obſequium legis, Tum ex Euangelio inſtitutum eſt tanquàm remedium concupiſcentiæ atq; ideò Sacramentum Eccleſiæ. Monemus coniugatos, & coniugatas, ut ſcientes, quia neq; uir, neq; uxor habet poteſtatem ſui corporis, ſed quiſq; eſt ſub alterius iugo, unde & à iugo coniugium nomen accepit, inuicem ſe mutuo & ſancto amore diligant, alter alterius*

rius onera, & imperfectiones, propter quas alter alteri interdum diſplicet, nequid grauius inde accidat, vel prudenter diſsimulent, vel patienter in Domino, & per Dominum ferant. Tùm ut pro ſuſcipienda prole nunquam pro explenda libidine miſceantur, & denique ut ſuos ipſorum thoros crebris orationibus abluere ſtudeant, quos admiſſu ſæpe non tàm voluntarijs, quàm neceſſarijs carnis uoluptatibus fœdari intelligunt. Verè enim quod & exitus probat illa matrimonia meliora, ſanctioraque, & fœliciora ſunt cæteris; in quibus coniuges una fide, uno animi conſenſu, hoc ipſum iugum trahentes, maiore puritate Deum timent, maiore religione ſibi inuicem fidem ſeruant, & maiore charitate filios, quos ſecundum carnem generant, ſecundum ſpiritum diligunt & nutriunt.

VEHEMENTER ergò in primis abhorrendum eſt neque ulla ratione ferendum, ut matrimonium, quod ſymbolum eſt coniugij CHRISTI, & Eccleſiæ; contrahatur ab ijs, qui ignorant fundamenta principalia Chriſtianæ Religionis, hoc eſt, Orationem Dominicam, Angelicam ſalutationem, & ſymbolum Apoſtolorum; quo fides Eccleſiæ continetur, tanquàm annulus myſticus, quo ipſi CHRISTO Eccleſia deſponſata fuit, iam tùm ab initio mundi naſcentis.

VT omnia honeſtè & ſecundum ordinem fiant, Matrimonia ipſa, & contractus Matrimoniorum, denuntiationes ipſæ omninò præcedant, eæque ternæ; fiant autem in Eccleſia noſtra Cathedrali diebus illis feſtis, qui in populo de more ſunt feriati, & publicentur inter Miſſarum ſolennia; obſerueturque hora, qua maior eſt frequentia populi, ut ad notitiam omnium res venire poſsit integra; unde uiri timentes Deum, re intellecta, alij porrò, ſaltem metu excommunicationis, reuelent impedimenta, ſi quæ ſunt legitima, quibus prohiberi debeat celebratio futuri Matrimonij.

HORTAMVR in CHRISTO omnes coniuges, ut in ipſo Matrimonio non tàm contractus rationem habeant, quod ad politiam ſpectat, quàm ipſius Sacramenti, quod ad Chriſtianam religionem pertinet; Ob id enim adeſt myſta uel Sacerdos in celebratione Matrimonij, quia myſterium eſt, quia Sacramentum eſt, hoc habentes præ oculis, quod non eſt res humana, ſed diuina; antequàm carnali copula miſceantur, ſacrum audiant, & illud ſacrum, quod ſancta mater Eccleſia nuptijs proprium fecit, in quo etiam ab ipſo Sacerdote celebrante Miſſam benedictione Sacerdotali muniuntur. Copula carnalis erit conſumatio, hæc Sancta quædam eſt & Chriſtianis coniugibus digna præparatio, ad temperandos ignes concupiſcentiæ, ad excitandum uerum inter utrunque coniugalem amorem, qui ſit non indignum ſymbolum amoris CHRISTI, & Eccleſiæ.

ET quia non deſunt, qui benedictionem Sacerdotalem, uix ea hora petant, qua agunt animam, & contrà ipſam mortem bella gerunt; iam multorum filiorum parentes facti; ut inueterato huic morbo (ſi fieri poteſt) medeamur, di-

cimus, denuntiamus, & palàm ſignificamus, coniuges poſt matrimonij conſummationem, ineptos eſſe, ad illam benedictionem ſuſcipiendam; nimirum ex ſacris libris ritualibus manifeſtum eſt, ea benedici, & ſignari debere virgines, non mulieres, ſponſos, non maritos.

HVNC ipſum tamen zelum religionis, conſideratione infirmitatis humanæ quantum in Domino poſſumus, temperantes, diſpenſando concedimus, ut infra bimeſtre ſpatium, à die celebrationis contractus Matrimonij, ab ipſo Parocho in Eccleſia, publicè benedici poſsit ſponſus & ſponſa, ſed tamen illis qui poſt copulam benedicuntur, omninò interdicimus honorem pallij, vel umbellæ uirginalis, ne uideamur colere Deum prorſus in mendacio; ſiquidem conſummato matrimonio, nihil iam ſupereſt, quod coniuges inuicem cogniti obnubere debeant, quum alioquin ipſa umbella nihil ſignificet aliud, quàm illud uelum, quo obnubebànt capita uirgines, quum primum à patre tradebantur uiris; unde Nuptiæ in latina lingua nomen acceperunt.

SI verò aliqui conſummato Matrimonio ad tertium menſem benedictionem ipſam diſtulerint, eo tranſacto, illos Parochus Parochi admoneat, vt cauſam dicant, Verendum eſt ne fortaſſe ne ſint, (quod abſit) contemptores ſacrorum rituum; & de Sanctitate Sacramenti Matrimonij malè ſentientes.

PRAECIPIMVS autem ut omnino abſtineant à carnali copula, donec ſacramentum ipſum verè & plenè celebratum fuerit, hoc eſt iuxta Sacrum Concilium Tridentinum per uerba non de futuro, ſed de præſenti, idq; proprij Parochi, uel alterius cui ipſi poteſtatem dederit interuentu: qui ſponſum & ſponſam in præſentia duorum Teſtium interroget vis, ab ipſoq; ſponſo & ſponſa audiat, Volo, & tum demum annulo eos coniungat uinculo matrimonialis fidei, & Charitatis per CHRISTVM IESVM Dominum Noſtrum, ſi ſecus factum fuerit, Reuerendus Vicarius declaret irritum Matrimonium, tanquàm clandeſtinum, & coniuges puniat ad arbitrium pro qualitate perſonarum; & circunſtantiæ loci & temporis, pænaq; ſit publica, ut tranſeat in exemplum.

OMNIVM porrò coniugiorum contractus, coniugumquè & teſtium nomina, quiſquè Parochus in librum proprium referat, qui cum alijs Baptiſmi, & Confirmationis libris, detur Epiſcopo, quàmdiligentiſsime, in Archiuo Curiæ Epiſcopalis aſſeruandus.

AD tollendum improbum illum morem, quo populus noſter ſine more furit ad tradendas nuptui filias, ſorores, neptes, quibuscunquè aduenis, etiam ſi ignotiſsimi ſint, & (ut aiunt) filij terræ, quem, ex libidine Originèm habuiſſe, nos non dubitamus, quoniam indè ſæpè ſæpiùs euenit, ut & incerta & inſtabilia parum iuſta, & illegitima quoquè ſint matrimonia. Præcipimus ut Parochi nunquàm interſint, nequè conſentiant ſimilibus matrimonijs, niſi prius Vicarium per literas ſui Ordinarij, ſi fieri poſsit, uel ex teſtibus fide digniſsimis

aliundè intellexerit de Patria, de genere, de moribus, dequè ſtatu illius alienigenæ, quicunquè, ille fuerit ſiue diues, ſiue pauper, cui tradenda eſt in uxorem mulier Botuntina.

*V*TINAM *meritoriæ tabernæ etiam è memoria hominum aboleri poſſent, ne ex improuiſo occurrentes cogitationibus hominum mentes illorum utcunq; contaminarent. Sed intereà Gubernator Regius hac ipſa ſaltem ratione, ad iniurias matrimoniorum uindicandas, pro ſua ipſius pietate curet, ut ab honeſtate mulierum domibus, ſicut à venerabilibus Eccleſiis, ſint, quoàd fieri poteſt, longè longèq; remotæ.*

*E*T *ſimiliter ad ipſius Dei gloriam, & ad honorem, & incrementum Regiæ Maieſtatis, cui Deus tanta contulit, & confert in dies, maiora etiam collaturus, ſi ijs quæ ab eo accepit, rectè, (vt capit) vtatur omnino agat, ut qui Lenocinio vtuntur ad quæſtum, qui etiam ea agunt, quæ turpè eſt fari, à finibus Botuntinæ Ciuitatis, quæ omninò ab ipſo bono (vt initio dicebamus) nomen obtinuit, penitùs exterminentur.*

SERMO AD SYNODVM, DE SACRIS RELIQVIIS.

QVOD ORATORES EMERENDI FAVORIS & *captandę attentionis gratia ipſo dicendi initio prę- fari ſolent, imitati citharedos, qui antequàm legitimum Carmen incipiant ad conciliandos animos neſcio quid ante canunt, quod prohemium dicitur. Hoc inquàm nobis hodierna die dum ſermonem auſpicamur De Reliquijs Sanctorum, neceſſarium non eſt, Fratres Dilectiſsimi. Ipſe ſermo totus prohemium eſt, & prohemium non uitioſum non commune, non longè petitum, non aliunde aduectum; è re natum. Liceat dicere eſt prohemium pulcherrimum, iucundiſsimum, amabiliſsimum, dignum quod excipiatur auribus, dignum quod excipiatur animis; at cuius cantionu prohemium? prohemium ęternę uitę, beatę uitę, prohemium illius Glorioſę Reſurrectionis, quam expectamus, in qua non labia ſolùm noſtra, ſed & noſtra oſſa cantabunt facta per reformationem corporis humilitatis noſtrę, noua quadam tympana, & noua cymbala. Cuſtodit Dominus omnia oſſa noſtra Conſacerdotes ad nouiſsimum illum diem, ut beato illo tempore noua quadam ratione compingantur, conglutinentur cum carnibus noſtru, & natura ſtupente, atq́ dicente Putas ne uiuerit oſſa iſta? Flante ſpiritu à quatuor uentu cęli, hoc eſt uocante Deo omnes mortuos à quatuor mundi regionibus incredibili miraculo reuiuiſcant, & nullo humani artificij glutino iuncta immortalibus animis, exultent, & dicant, Domine quis ſimilis tibi? Profectò enim Deus Benedictus, cui ueritas curę eſt, cui eſt etiam curę Philanthropia nequaquàm ex reliquiis mortuorum tanquàm ex fontibus cęleſtibus ad nos per omnes terras effunderet aquas perennes gratiarum, miraculorum, ſanitatum, niſi heroes illi quorum membra fuerunt ſecum nunc in cęlis uiuerent, ſecum regnarent, in generali illa mundi conſumatione ueſtiendi, & ornandi

*nandi his ipſis carnibus, his ipſis oſſibus, quæ, confutata iam & uicta malitia gen-
tium, atque adeò ipſorum etiam Dæmonum, in uniuerſa* CHRISTI *Eccle-
ſia tantis honoris, & reuerentiæ ſignis, atque ſplendoribus illuſtrantur. Enim
uerò ſi reliquiæ aras, ſi aræ reliquias reſpiciunt, ſi quod Catholici omnes do-
cent, & altarium ex reliquijs, & reliquiarum in altaribus eſt tanta uirtus, &
poteſtas, quantam, ne tribuunt quidem Philoſophi, uel Poetæ locis per Genios;
neque per loca Genijs, meritò mihi uerendum eſt ne uobis fortaſſe poſt ſermonem
de diuinis altaribus, hodiernus ſermo de Reliquijs ſuperuacaneus uideatur. Por-
rò ſi alieni ſeorſum ſcripſerunt hiſtoriam de anima, & libros de animalibus; &
ſeparatim tractauerunt de cœlo, & mundo & de ipſis intelligentijs quum alioquin
neq; ſit ſine anima animal, neq; ſine animali anima, & illis manifeſtū eſt eſſe æque-
ua Intelligentias & cælos; neque intelligentias eſſe ſine mundo, neque ſine intelli-
gentijs eſſe mundum. Si apud noſtros, nemo ignorat eſſe Theologiam unitam &
diſtinctam, illam, quæ de Deo uno in ſe & ſecundum ſe ſimpliciter conſyderat,
hanc, quæ diuinas perſonas ſeorſum & diſtinctè contemplatur; illam quæ ſub ti-
tulo fidei, omnia religionis noſtræ myſteria compendioſè docet, hanc quæ diuiſim
de articulis, & Sacramentis fidei ſermonem facit; quanquàm rei ueritas eſt, ne-
que unitatem Dei eſſe poſſe ſine Trinitate perſonarum, neque perſonarum Tri-
nitatem ſine unitate diuinæ naturæ; & ſimiliter, uim Sacramentorum nullam eſ-
ſe ſine fide, neq; eſſe integram fidem ſine ipſis Sacramentis. Si inquàm hæc ita
habent, tantum abeſt, ut ineptiæ argui debeamus, ut etiam gratanter à uobis
excipiendi ſimus; quod ad maiorem Dei gloriam, & eorum omnium, qui au-
dituri ſunt uberiorem delectationem, ad abundantiam doctrinæ, & ad augendum
in ſanctos & ſanctas Dei feruorem deuotionis* CHRISTI *fidelium. Sermoni
de Altaribus coniungamus ſermonem de Reliquiis; poſtquàm ex ipſis reliquijs con-
ſurgit maieſtas Altarium, & pretioſæ habentur ipſæ reliquiæ, ut inſerantur al-
taribus. Et quidem (ut hinc incipiamus) hoc ipſum ſolum nomen reliquia-
rum indicat quàm ſint amandæ & colendæ reliquiæ: eſt enim nomen amoris, &
honoris. Reliquiæ ſaluæ factæ ſunt, inquit Apoſtolus, Reliquiæ cogitationis diem
feſtum agent tibi inquit Pſaltes. Eſt autem Oraculum illud in libris Regum,
Reliqui mihi ſeptem millia uirorum, qui non curuauerunt genu ante Baal. Quod
ſi ad allegorias currimus, quid eſt uniuerſa Theologia noſtra, niſi reliquiæ Theo-
logiæ Angelorum, & Beatorum? Et ſymbolum noſtræ fidei, & Sacramenta,
& ſacramentalia omnia, quid ſunt aliud, quàm reliquiæ uniuerſæ doctrinæ*
CHRISTI, *& Apoſtolorum? reliquiæ ſanctitatis, & gratiæ ſaluatoris? re-
lictæ humano generi ad ſaluandas animas noſtras? ueræ reliquiæ, reliquiæ uita-
les, & uiuificantes; in quas fortè referri illud poteſt, quod de* CHRISTO
*legitur, Sumens reliquias dedit eis, & de Apoſtolis, Suſtulerunt reliquias fragmen-
torum. Porrò nos non loquimur allegorias, neque anagogias, non loquimur myſte-*

ria,

ria, nequè Sacramenta, quibus ne Sacramentum quidem ipſum, quod eſt Sacramentum Sacramentorum, reliquia eſt, aut dicitur: quoniam in eo integer eſt CHRISTVS IESVS *uerbum, caro, anima, homo, & Deus; loquimur literam, loquimur carnem, loquimur materiam, nimirum corpora, membra corporum, cutes, neruos, oſſa, brachia, latera, buſta, oculos, aures, linguas, dentes, pedes, ueras inquàm & proprias reliquias, quas Deus nobis reliquas fecit, dum inimici Crucis* CHRISTI *in Eccleſiam ſanctam barbarico illo quem Propheta prædixerunt, furore, deſæuirent; dum effunderent ſanguinem ſeruorum ſuorum tanquàm aquam, dum ponerent morticinia eorum eſcas volatilibus cæli, & beſtijs Terræ & mortem inſuper minarentur illis, qui ſancta illa cadauera ſepellirent; loquimur has carnes, hæc oſſa, hos ſanguines, quibus pepercerunt beſtiæ, cælo, terra, mariq́, loquimur hos cineres, quos Deus ingenti miraculo reſeruari voluit ſuper terram; quos pij omnes per vniuerſum orbem venerantur, & colunt: Conſeruant tanquàm æternos, & qui nunquàm conſumi poßint diuinos theſauros; amant tanquàm certa præſidia, & medicamenta animarum, & corporum; admirantur tanquàm cæleſtium gratiarum fluenta perpetua; demq́ amplectuntur, exoſculantur tanquàm delicias relictas Terris, ad remedium & ſolatium omnium afflictionum, & calamitatum, quibus nunquàm non premitur miſerum mortalium genus. Audite Viri pij, qui Sanctas haſce noſtras acies circunſedetis, Natura, caſu, fortuna multa quotidie effici experientia ipſa teſtatur, quæ ſunt in oculis noſtris admiratione digniſsima. Profectò uerò extra naturam, extra caſum, extra fortunam ſunt, & uerè pertinent ad diuinæ prouidentiæ opus ſingulare atq́ meritò admirandum, multa illa & magnæ virtutes reliquiarum Sanctorum Martyrum, Apoſtolorum, Confeſſorum, Virginum, & aliorum electorum Dei, quæ à noſtris ſenſibus ſeparatæ, & à noſtris etiam intelligentijs atq́ ratiocinationibus ſunt incomprahenſæ. Et quæ nam oratio tanta eſſe poſſet, ut earum multitudine, & magnitudine non vinceretur? Ecquis honor, Ecquæ reuerentia non debetur tabernaculis illis, in quibus tanto tempore habitauit ſpiritus Sanctus? Vocate terreſtres domos, uocate thecas. Apoſtolorum Princeps dum uiueret, inſigni hoc tabernaculi titulo, decorauit corpus ſuum, Velox inquit eſt depoſitio tabernaculi mei. Et iterum, Quandiu ſum in hoc tabernaculo. Diuus Paulus dixit. Si terreſtris hæc noſtra domus in lingua latina, Priſci, teſquas dicebant loca deſerta alicuius Dei, & dicata augurijs. Ego certè, ut de me loquar, non poſſum pro meritis, laudare Sereniſsimum Caroli Quinti filium, Philippum noſtrum Hiſpaniarum Regem, uerè pium, catholicum, Auguſtum, quod inter cætera tuendæ religionis ſtudia, quæ nulla unquàm tacebit hiſtoria, nulla unquàm delebit obliuio, profligatis Turcis à Melitana illa, & Paulo Apoſtolo vſquè adeò dilecta Inſula, & parta mediterraneo mari, plena, fœliciſsimaq́ ſecuritate, tanta ſedulitate curauerit*

rit ut Venerabiles Reliquiæ Sancti Eugenij, qui Beatiſſimi Dionyſij Areopagitæ diſcipulus, comesq́; ſuæ ipſius peregrinationis ex Athenis in Gallias fuerat, ex Lutetia, ubi glorioſa martyrij palma anno CHRISTI nono ſupra Lx.^m coronatus, ſepultus iacuerat tot annorum centenarios, nuper anno M. D. LXV. die xix. Nouembris, in urbem Toletanam, urbem Regiam & florentem, tanta cum pompa, quanta uix referri breui ſermone poteſt, translatæ, in ipſum tandem auguſtiſſimum templum omnium nobilium procerum, Senatorum, atque adeò ipſius Regis humeris portarentur. An non uidiſtis, quæ per omne hoc neapolitanum Regnum circunferebantur carmina, inciſa in arcu prægrandi, quem quatuor columnæ pulchræ perinde ac laſpidis ſuſtentabant.

Quam decet hoc Reges, ſubmittere colla ferendis.
Reliquijs Diuum, Turba Luthera freme.

Erat & in alio arcu Proſopopæia Toletanorum.

Dum das Eugenium nobis, Rex magne ſalutem.
Et pacem donas, & ſœcula lęta reducis.

Sed & illa legebantur.

O' nos fœlices, queis nunc datur oſſa tueri.
Paſtor Sanctæ tua, & noſtram deducere in urbem.
Vota antiqua patrum, ſeros uidiſſe nepotes.

ECQVIS *iam non laudet fortiſsimum hunc, & inuictum Chriſtianæ Religionis defenſorem? protectorem? tutorem? Quis tantæ pietatis ergò non dicat? Philippus ille ante magnum Conſtantinum, qui Philippopolim ædificauit fuit omnium Chriſtianorum Regum Primus, Hic eſt optimus, cui tantum debet & liberata, & ſeruata Chriſtiana Reſpublica? An uerò ipſi non meminiſtis Fratres, uerbi illius Spiritus Sancti de filijs Iſrael, Crediderunt Domino, & Moyſi ſeruo eius, Vult Dominus coli ſolus, tanquàm ſolus Deus, ſolus Dominus, iuxta illud, Soli Deo honor & gloria. Tu ſolus Sanctus, Tu ſolus Dominus, nam quod adoratur diuinis honoribus, & non eſt Deus; eſt Idolum, Idolum autem nihil eſt, & nihil eſt ille cultus. Enimuerò ille ipſe Deus vult & coli ſeruos ſuos, tanquàm ſeruos ſuos, cuius eſt illa ſententia. Si quis mihi miniſtrauerit, honorificabit eum Pater meus. Vnde in die illa Madian die tàm celebri & formoſa in Sacris literis trecenti illi Viri, quos ad aquas probauerat Dominus qui non flexo poplite bibebant ad litus fluminis, ſed tanquàm Canes lambebant aquas,*

quum

quum victoriam obtinuiſſent, buccinantes tubis, & clamantes perſonabant Gladius Domini, & Gedeonis; Gladius Domini, & Gedeonis; tanquàm dantes gloriam Domino, qui ſolus eſt Dominus exercituum, ſed non defraudantes ſuis honoribus Gedeonem ducem exercitus Domini. Nimirum illud verum eſt, ſecundum diuitias gloriæ Dei, non ſecundum merita Sanctorum, ſic honorabitur quemcunq; Rex voluerit honorari. Et reliquiæ quidem Diui Eugenij, & Sanctorum omnium, ſi per ſe ſe abſolutè conſiderentur, & ſimpliciter, ut res naturæ ſunt, caro, os, cinis, membra, & partes membrorum hominis, quis neſciat quod præter illum honorem, quem debemus omnibus rebus, tanquàm creaturis Dei, & communi benedictione benedictis à Deo (uidit enim cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona) indignæ ſunt quauis alia ſignificatione honoris, & reuerentiæ? Sed enim non hoc ſolùm intelligit Eccleſia Sancta Dei, quum nominat Sanctorum reliquias. Intelligit autem in eis diuinæ gratiæ, & Sanctitatis admirabilem quandam participationem, impræſſionem, & notam; atq; ſub hac ad Deum ipſum Sanctificantem, & ad CHRISTVM, *per quem ſanctificati ſunt relatione, eas vt prædictum eſt, religiosè veneratur, & colit. Animæ quidem in cælis regnant, quas Deus per* IESVM CHRISTVM *ſanctificauit in terris. Sed tamen* CHRISTI *fideles pro intelligentiæ & rememorationis affectu, animas corporibus, & animabus corpora vnire, & copulare didicerunt, atq; ideò non quaſi ſeparata, ſed quaſi coniuncta ſint: Totum Eugenium in Eugenij thecá ante oculos habent, & in paucis illis exanimatis Eugenij Reliquijs Eugenium ipſum tanquàm viuum, & ſpirantem, regnantemq; cum* CHRISTO, *piè præcantur, inuocant, colunt; & (vt dicere fas eſt) reuerenter adorant, vt qui ſciunt verum eſſe quod dixit* CHRISTVS. *Deus Abraam, Deus Iſaac, Deus Iacob, non eſt Deus mortuorum, ſed viuentium. Vos in uno Eugenio intelligite omnes ſanctos, & omnes ſanctas. Non eſt enim ſanctus qui non ſit Eugenius, græcè* εὐγενὴς, *quid ſi dicam* ἐπιφανὴς *Illuſtris, Imò uerò* ἐπιφανέστατος *Illuſtriſsimus. Certè ex primis natalibus omnes ſumus filij Terræ, ex renaſcentia euadimus in filios Dei. Inde quis audeat iactare nobilitatem? Hinc autem nobilitas communis eſt nobis omnibus. At qui in cælum recepti ſunt, & cum Angelis regnant, Illuſtriſsimum gloriæ ſplendorem ſuis ipſorum meritis, & præclaris virtutibus, per* IESV CHRISTI *gratiam ſibi in omnia ſæcula compararunt, vt propterea dicantur & Eugenij, & Epiphanij digniq; ſint qui in Eccleſia Sancta Dei ſacris & publicis colantur honoribus. Sic impletur Dauidicum illud in ſacris reliquijs Eugenianis. Nimis honorati ſunt amici tui Deus; fuit amicus* CHRISTI *Eugenius, imitatus eſt* CHRISTVM, *mortuus eſt pro* CHRISTO, *Ecce fauente Philippo, cui tot regna obediunt, cui & nouus mundus paret, quàm inſigniter vbiquè terrarum honoratur cum* CHRISTO, *miles cum Rege, ſeruus cum Domino. Profectò verò Sanctiſsimus Ille*

Dauid

Dauid tactus religione intrinſecus percuſſit pectus ſuum, quod in ſpelunca, vbi Saul ſe ſe abſconderat, præcidiſſet oram veſtimenti eius. Videbatur enim illi peccaſſe in Regem, quia iniurius fuiſſet clhamidi Regis, & quum non Regem, ſed chlamydem Regis tantum tetigiſſet, Vir ſinceræ mentis, & alienus ab omni dolo, fregit ſermones ſociorum ſuorum dicens, Propitius ſit mihi Dominus, ne faciam hanc rem Domino meo. Neq́ profectò aliquis ueſtrum, ignorat mæſtas illas querelas Regis Regum. Diuiſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper ueſtem meam miſerant ſortem. Quæ quum ita ſint, quis eſt qui non contra intelligat, quàm iuſtum ſit, quàm honeſtum honorare Sanctorum, & Sanctarum reliquias, uelut tantæ Sanctitatis veſtes ſaltem & integumenta? Eſt enim corpus ipſum veſtimentum animæ, Unde illud. Pelle & carnibus ueſtiſti me, propter quod legimus Sanctos amictos ſtolis albis, quia corpora Sanctorum in futuro ſæculo erunt pulcherrima, glorioſa, ſplendentia, & de Patriarchis, & de Prophetis præſertim ſcribitur, Induti ſunt ſicut arietes ouium nimirum candido vellere, quod ſignum eſt, & figura corporis Glorioſi, de quo illud eſt forſan, Nolumus expoliari, ſed ſuperueſtiri. Quid? Veſtis aſperſa ſanguine in Theologia Symbolica, non ne eſt caro Chriſtiani hominis? baptizata nimirum, & lota à peccatis ſuis in ſanguine CHRISTI? *Sicut contra veſtimentum miſtum ſanguine corpus carnalibus deſyderijs, atq́ concupiſcentijs coinquinatum, verè veſtimentum quod comeditur à tinea, quod inquàm cauſam habet intrinſecus ſuæ conſumptionis, corruptionis, mortis; nam Caro ipſa tentationem parit: Vnuſquiſq́ enim à concupiſcentia ſua tentatur, cui niſi eatur obuiam, ſicut tinea paulatim veſtem, ſic concupiſcentia ſenſim conſumit hominem. Hinc eſt illud, Caro mea induta eſt putredine. Et quæ putredo maior, quàm peccatum quod fætere nos facit, coràm Deo, & omnibus ſanctis eius. Sed reuertamur ad reliquias; ſunt præter exanimatas, reliquiæ inanimatæ quàmplurimæ. Et* CHRISTI *in primis, & Glorioſæ Virginis* θεοτοκον *& aliorum Diuorum Lignum Crucis ante omnia, Sanctum Sepulchrum, Præſepe, Claui, Lancea, Spinæ, veſtes, Zonæ, Sudaria, Bethlehem, Sion, Golgotha Apud inſignes Anconis Lauros beata illa.*

Cella choris ſuperum luſtrata & cognita cœlo.

*V*BI *quotidie canitur in* πρωτ' ευαγγελιω *Ioannis. Verbum hic caro factum eſt. Hæc omnia cur non venerentur pij homines, quando ea verentur & Dæmones? In eis operatus eſt Dominus ſalutem noſtram, ratio exigit vt & ex illis concipiamus uel ſaltem augeamus deuotionem noſtram. Inimici* CHRISTI *ea odiunt, & execrantur, æquum eſt ut nos qui* CHRISTVM *amamus ea quoq́ propter* CHRISTVM *amemus, & ueneremur. Stulti illi homines*

qui

qui amatores dicuntur, illius quàm depereunt vaniſſimæ mulieris, ipſi palàm perditi, quid non amant? Et domos, & lectulos, & hortulos, & conchas, & coronas, & unguenta, & capillos, & arcas, & arculas, & ungues, & ungulas, & ſoleas, & crepidas, & faſcias, & fimbrias; ſic apparet, quam frigide ipſi CHRISTVM *diligimus, ſi non vehementer amamus omnia illa inſtrumenta, per quæ ab ipſo* CHRISTO *ſaluati ſumus. An non ſunt* CHRISTI *contactu ſanctificata? an non reuerendis myſterijs dedicata? an non ad æternam memoriam nobis, & omni poſteritati à patribus noſtris relicta, recognita, reſeruata? Ipſi quæſo uidete quanta religione cuſtodiebatur Gladius Goliæ, quo interfecerat eum David. Erat enim inuolutus pallio cum Ephod veſtimento illo tantæ dignitatis, ſicut apparet in libris Regum, Et beatum ſe putauit David dum illum ipſum gladium haberet in manibus; protinùs enim, tanquàm tutus & imperterritus cum illo fugit à facie Saul Regis. Quid ergò mirum ſi ipſi etiam cuſtodimus ſacras reliquias, & inanimes, & exanimes, quin & ipſa uaſa in quibus ſacræ reliquiæ repoſitæ ſunt ne communium hominum manibus attrectentur. Aliud eſt vas, aliud eſt vas ſanctum, vas partim natura, partim ars facit; ſanctum, neq; ars, neq; natura, ſed gratia diuina facit, atq; ideò ingratus eſt diuinæ gratiæ qui reliquias, & vaſa ſancta tangere non veretur, niſi fuerit, & ipſe ſanctus, hoc eſt ſacris initiatus, & conſecratus. Profectò uerò ad Illuſtrem quandam & præclaram diuinæ prouidentiæ diſpenſationem ſpectat, quod & multorum ſanctorum, & eiuſdem etiam ſancti reliquiæ per diuerſas mundi regiones, quaſi theſauri & gemmæ pretioſiſſimæ reperiantur delatæ, translatæ, conditæ, ſepultæ. Vult enim Deus & omnibus gentibus notas facere diuitias gratiæ ſuæ, & vbiquè terrarum uarijs ritibus coli ſanctos ſuos, & varijs ſimiliter etiam modis per ſeruorum ſuorum cineres prædicari laudari, glorificari nomen ſanctum ſuum. Quid quod ex omnibus hominum ſtatibus, maribus, fœminis, ſenibus, pueris, virginibus, nuptis, ab initio, & per omnem ferè uitam peccatoribus, à natiuitate ſanctis nobilibus, ignobilibus, doctoribus, Idiotis in omni loco viſuntur ſanctæ reliquiæ, vt omnes ſimiliter hominum ſtatus & ordines habeant, quos præ cæteris ardentius & ſtudioſius imitari poſſint, ac uelint; vt fiant participes gratiarum* CHRISTI. *Ecquàm multiplices ſunt gratiæ & quàm diſperſæ? nam hic obtinentur ſanitates, ibi fugantur Dæmonia, hic uenena tolluntur, ibi reſurgunt mortui. Sunt Sancti ex quibus fluit oleum, alij ex quibus ſcaturit manna, & hic quidem aliquandò; ibi autem ſæpè, alibi uerò ſemper, & modo quidem ad menſuram, alias ſine menſura. Tacere ne debet illud quod ſacræ literæ teſtantur de Sanctiſſimo Patriarcha, quem Saluatorem mundi appellauit Ægyptus; de Ioſeph inquàm, Ioſeph natus eſt homo, princeps fratrum, firmamentum gentis, ſtabilimentum populi, & oſſa ipſius uiſitata ſunt, & poſt mortem prophetauerunt. Heù pietas,*

heù

heu priſca fides. Non poſſum me continere, Dilecti mei, quin excandeſcam quum audio noſtræ ætatis hæreticos tanta impietate bacchari in Sanctorum reliquias, quanto olim pagani & inimici Crucis CHRISTI deſæuiebant in ipſos ſanctos. An uerò ignoramus quanta religione coleretur ſacra illa Quercus Mambre in loco, quem nunc ſicut ſcribit Sozomenes Terebinthum vocant propter reliquias Patriarcharum, quæ ibi ſepultæ erant, in quibus quia peccata patrum ſignificabantur magno iure haud procul crucifixus eſt CHRISTVS IESVS. Quid dicam de puteo Abrahæ, vbi apparuit illi Angelus, quem appellauit puteum videntis, & viuentis. Nam magni Conſtantini iuſſu Phenicæ Epiſcopi aram & Deorum ſtatuas, quæ illic erant diruerunt, & conſtruxerunt Eccleſiam tantæ illius loci antiquitati & ſanctitati competentem ſtatuentes nequa ibi libamenta, & thymiamata iuxta ſuperſtitionem gentium miniſtri & Sacerdotes offerri paterentur, ſed agerent, vt piè coleretur Deus ſecundum conſuetudinem Eccleſiæ CHRISTI IESV. Certè verò ſub Regibus princeps ille quem Heliſeus ſeptemplici Iordanis Lauacro à Lepra mundauerat, lotus in aquis ſanctis ſanus corpore, ſanus & animo, à ſuperſtitionibus liber, uera religionis ſeruus hoc ſignum dedit Sancto Prophetæ ſuæ ipſius fidei erga Deum, Iſrael, homo alioquin barbarus: Diſceſſurus enim à Viro Dei ſupplex & pronus, Obſecro inquit concede mihi ſeruo tuo, ut tollam onus duorum Burdorum de terra hac non enim faciet vltra ſeruus tuus holocauſtum aut victimam Dijs alienis, ſed Domino ſoli. Exiſtimauit heros totam illam terram eſſe ſanctam atq; ideò rogauit, vt liceret ei tantum terræ accipere, & exportare in patriam, ut pro ueri Dei cultu extruere poſſet altare, in quo ſacrificaret Domino, indignum ratus ſacrificare Deo in terra profana, & communi. Quid uobis uidetur fratres? Refert porrò & D. Auguſtinus oculatus teſtis, Heſperum illum virum tribunitium, qui peregrinationem ſuſceperat ad loca ſancta, vbi natus & mortuus fuerat CHRISTVS IESVS, Sacculum terræ ſanctæ ex loco ubi ſepultus fuerat in patriam ſuam attuliſſe, quem etiam in cubiculo ſuo ne fortè fortuna aliquid mali pateretur in altum ſuſpenderat. Quod quum Populi fama prodente intellexiſſent paraliticum quendam rogaſſe ſummis præcibus, ut ad illum locum ſanctum deferri ſe pro CHRISTI amore paterentur, delatus eſt & continuò per CHRISTVM, cui tanta ſemper de Paraliticis (ſicut ex Euangelio apparet) cura fuit, pedibus liber & robuſtus Deo per CHRISTVM gratias agens abceſſit; cedat iam hæreſis, uincit fides. Sed ex teſtamento nouo nota uobis ſunt inſignia miracula & uirtutes non uulgares, quas Deus operabatur per ſudaria Pauli Apoſtoli per ſemicinctia dum ſuper languidos, & ſuper ægros imponerentur, nam & fugiebant Dæmones, & omnes morbi protinus recedebant, ſicut teſtantur acta Apoſtolica. Ecquàm maiora & mirabiliora operatur quotidie Deus in urbe, & in orbe per uincula, per catenas ferreas Petri & Pauli? O beata

uincula, ò beatas catenas, ò verè beatiſſimas manus, quæ illis uinculis non tàm vinctæ, quàm ornatæ decorataq́ ſunt. Plus multò mihi honoris Fratres, habere videntur manus Pauli, dum ſtringuntur vinculis ferreis propter CHRISTVM, *quàm dum lyſtris loripidem ſanant, & erigunt per uirtutem* CHRISTI. *Quid? plus multò gloriatur Paulus,eſtq́ illi profectò multò præclarius, quod collo, quod manibus, quod pedibus ſit vinctus, & captiuus pro* CHRISTO, *quam quod ſit Apoſtolus, quod ſit Doctor, quod ſit Magiſter Euangelij ipſius* CHRISTI. *Sed cur tacemus Sepulchrum illud Sanctiſſimum, de quo in Prophetis ſcriptum eſt. Et erit Sepulchrum eius glorioſum, Sepulchrum vnde velut ex nouo vtero nouè, natus eſt Saluator Noſter Dominus* IESVS CHRISTVS. *O` quando erit ut in illam domum glorioſæ Reſurrectionis, in illum tumulum, vbi in æternum tumulata eſt mors, in illam vrnam quæ perpetuum memoriale eſt Redemptionis æternæ vitæ, pius, & deuotus ingrediar? Vt exoſculer lapidem, quem ab oſtio monumenti amouerat Angelus, ut illum ipſum locum, in quo vita author triduano funere propter me iacuit pronus adorem? Tunc ex duriſſimo hoc meo ſilice educam dulces amoris lachrymas, amaras doloris lachrymas, tum videre videbor mortuum, & à mortuis deuicta morte reſurgentem Dominum meum, tenebo pedes eius vlnis deuotionis, adorabo funus, & antiqui funeris reſurrectionem, atq́ etiam gloriam Reſurgentis. O' quos gemitus, quos ſingultus, quæ ſuſpiria edam, & lambam ſimul calidas illas aquas, quæ egredientur ex vena interiore cordis mei, quas iam diù deſyderauit, & ſitiuit anima mea. Quis ſcit ſi forſan perfuſus lachrymis ora & corda, conſtringens uinculis charitatis Crucifixum Crucem ſentiam ab eo exire virtutem, quæ animam meam fluxum continuum ſanguinis patientem ſanet, & occulto quaſi contactu ſanctificet, ſanctificet inquàm, & delens quæ peccaui Iuuenis, & præſtans ne peccem iam ſenex ex ſanctitate animæ, redundabit & ſanctitas in corpus, Ita ero totus ſanctus. Hæc eſt ratio colendarum reliquiarum fratres: concludendum eſt enim aliquando: fieri non poteſt, vt ſanctificato ſpiritu, non fit & ſua ſanctitate ſanctum corpus, quo ſanctificatus ſpiritus utitur tanquam inſtrumento ad operationes ſanctas. Vnde eſt autem Sanctus Spiritus, niſi ex Deo, qui eſt ſpiritus ſpirituum, & Sanctus Sanctorum? ergò ut mirabilis Deus in ſanctis, ſic colendus in ſanctis, Ita eſt, Ita eſt. Sanctos admiramur propter* CHRISTVM *& reliquias ſanctorum colimus, tanquàm pertinentia ad membra* CHRISTI; *ſancta quia ſancta facta: Deus enim eſt ſanctus ſanctificans, ſicut eſt, & iuſtus iuſtificans.*

ATTEN-

APPENDIX.

QVOD QVIDEM AD TENENDAM, SIGNIFIcandamquè ueram pietatem, & religionem optamus, ut perpetuò inhæreat animis ueſtris, ne quiſpiam fortaſſe, putet eadem ratione reuerentiæ, & honoris, colendos eſſe Sanctos, qua colitur Deus Sanctus Sanctorum. Et uobis quidem illud ſatis eſſe poteſt; quod neque in nomine Pauli, neque in nomine Petri baptizati eſtis; ſed in nomine Indiuiduæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, cuius uirtus, quia in uno nomine IESV CHRISTI, & continetur, & ſignificatur; Propterea Chriſtiani dicimur, non Petriani, non Pauliani. Atquè ideò principalis ille honor, quem debemus Deo, non debetur Sanctis, ſicut neque eſt eadem Sanctitas, neque eadem maieſtas Dei, & Sanctorum; In Deum ſolum credimus, Deum ſolum ſupra nos ipſos chriſtianæ religionis profeſſione diligimus, Deo ſoli diuinam Euchariſtiam Sacrificamus, Deo ſoli erigimus templa, & altaria; Deo ſoli offerimus animas, & corpora noſtra, & filios noſtros, hoſtiam uiuentem in uotis, in ieiunijs, in martyrio, in orationibus; Deus ſolus eſt, quem per pœnitentiam, & ſatisfactionem peccatorum noſtrorum placare, & reconciliare quærimus, quem ſolum tanquàm ſummum bonum, uidere, & poſsidere deſyderamus, quem, beatitudinem, & fœlicitatem noſtram eſſe certò ſcimus; Deniquè, quem ſolum, tanquàm omnium gratiarum fontem, ut nos dona ſua influere dignetur, inuocamus. Et in memoriam quidem Sanctorum, pleroſquè dies feſtos celebres ducimus, Sed tamen omnes feſtiuitates ipſi Deo, non Sanctis dedicamus; quia, & illis potiſsimum diebus, Deum ipſum, tanquàm dominum Fide, Spe, & Charitate, recognoſcimus, & adoramus; Sanè, & hæc tria debent Subditi regibus, ut in fide Regum maneant, ut nunquàm ſpem deponant, ut charitatem, unde obedientia manat, perpetuò ſeruent.

VIDETE, ne ſeparetis in cultu, & ratione cultus CHRISTVM ab illa ipſa maieſtate Dei, ob id quod CHRISTVS ſit non Deus ſolum, ſed & homo. Nam de CHRISTO ſpecialiter, ſic interpretante Paulo Apoſtolo, intelligitur propheticum illud oraculum. Omnis, qui inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit, & notum eſt uerbum Euangelij. Hæc eſt uoluntas Dei, ut omnes honorificent filium, ſicut honorificant Patrem. Unde & Protomartyr, Stephanus uerè στέφανος, cui & coronæ, triumphi, & trophea in libro uitæ decreta erant in agone mortis orabat, Domine IESV accipe Spiritum meum. IESVS quidem, heri, hodie, & in ſæcula (ut inquit Apoſtolus) ſed tamen in re, & uerbis Stephani IESVS, filius hominis appellatur.

Ecce (inquit) uideo cęlos apertos, & filium hominis ſtantem à dextris Dei, ut appareat quod IESVM *illum orauerit, quem filium hominis & uidit, & prędicauit. Et quidem in Apocalipſi legitur. Sedenti ſuper thronum, & agno; Et, procedentem de Sede Dei, & Agni; Ut intelligamus non eſſe duas ſedes, unam Dei, alteram Agni, ſed unam ſolam Dei, & agni, at-què ideò unus honor debetur Deo, & agno,* CHRISTO *inquàm Deo, & homini, Hinc, & Sancta Eccleſia non ſolum orat. Qui ſedes ad dexteram Patris, miſerere nobis; ſed, Agnus Dei qui collis peccata mundi, miſerere nobis; nequè ſolum dicit. Fils redemptor mundi Deus, miſerere nobis; ſed & dicit,* CHRISTE ἐλέησον, *nimirum declarans, ſecundum utranquè naturam, oran-dum, inuocandum, adorandumquè* CHRISTVM IESVM. *Vndè illud in Pſalmis legitur. Adorate ſcabellum pedum eius, nimirum ſcabelli nomine humanam naturam intellexit Sanctiſſimus Vates. Unus Deus Fratres, & unus Dei, & hominum mediator homo* CHRISTVS IESVS; *Et Deus quidem uult ab omnibus hominibus cognoſci, & adorari per* CHRISTVM, *ſicut & non uult aliquem ſaluari niſi per* CHRISTVM, *atquè ideò eodem honore, quem colitis Deum, colite, &* CHRISTVM; *eadem oratione, qua oratis ad Deum, orate ad* CHRISTVM; *non ſecundum hoc dico ſolum, quod ab omni ęternitate erat Verbum, ſed ſecundum hoc etiam, quod Verbum Caro factum eſt, & habitauit in nobis. Mementote illius ſententię. Timeo carbo-nem tangere propter ligno myxtum ignem. Adoro* CHRISTI *mei utran-què naturam propter carni unitam Deitatem. Ecquis ſcit, ſi fortaße Sapientiſ-ſimus Vates huc ſpectabat, ad hanc inquàm coniunctionem noſtrę carnis, cum diuina ſubſtantia, quum precaretur ad Dominum, & diceret tanta confidentia. Memorare quę mea ſubſtantia, nunquid enim uanè conſtituiſti filios hominum? Eequę oratio hac ipſa ſecurior? quę ſecuritas hac ipſa maior? Deus meus Sub-ſtantia mea, Audi; Exaudi. Tu ab omni ęternitate ſubſtantia eras, & ego eram Vanitas, ſed quum tibi placuit factus es ſubſtantia mea. Nam quum meam inanitatem aſſumpſiſti, Tum me in te conſtituiſti, firmaſti, ſolidaſti, fa-ctus ſum & ego ſubſtantia, quia tu factus es ſubſtantia mea. Ergò eſto uirtus mea, ſicut es ſubſtantia mea; non ſum tibi extraneus Deus meus, propriam ſub-ſtantiam rogo, dum te rogo, per te ambulo, quia factus es mihi uia, ad te ue-nio, quia factus es mihi ueritas, precor ut in te quoquè requieſcam, quia factus es mihi uita, ſubſtantię ſubſtantia, animę anima, uitę uita.*

SED *enim poſt* CHRISTVM IESVM, *qui idem homo eſt & Deus, nulli Sanctorum debetur diuinus honor, ne Marię quidem Virgini* θεοτόκω, *ſed nequè Angelis, aut Archangelis, aut alijs beatiſſimis ſpiritibus, quos & ſecun-dos Deos, gentes, & ſacrę literę diuinos ſpiritus; atquè miniſtros Dei, & pa-tres diuini Promptuarij pura cęnacula altiſſimo titulo appellant, alludentes,*

(ut

(ut reor) ad illud Dei Verbum in prophetis. Inhabitabo in eis, inambulabo cum eis, & ero illorum Deus. Hinc quum Ioannes procideret ad pedes Angeli. Vide (inquit) ne feceris, conſeruus tuus ſum Deum adora, non humilitatem reprăhendens, quæ in corde recta erat, ſed admonens, quod cadere ad terram; & genuflectere ſigna ſint, quæ diuinæ uenerationi, uel propriæ, uel propinqua, plus æquo nimia uideri poſſent. Sicut re uera nimia ſunt, ſi uel falſa religione idolis, quæ nihil ſunt; uel ignorantia, & errore noſtris Sanctis, & Angelis, quaſi Dij ſint, quum ipſi quoquè Deo famulentur, & ſeruiant; uel demum, ſi non ſyncera charitate, ſed aut deſperata abiectione, aut adulatione peſtifera terrenis principibus, qui, & ipſi deindè ità ſuperbiunt, ut quaſi Deos ſe eſſe putent, quum ad Deum comparati locuſtæ ſint, exhibeantur.

ALIA claritas Solis, alia claritas Lunæ, & alia claritas Stellarum; & ſtella differt à ſtella in claritate inquit Apoſtolus, & hoc quidem exemplo altè (ut ſolet) inſinuare uidetur, quàm gloria CHRISTI, gloriam Virginis, quam Virginis gloria, Sanctorum gloriam, & quam gloria unius Sancti alterius Sancti gloriam antecellat. Maria Virgo eſt mater Regis; Ioannes Baptiſta eſt amicus ſponſi; Petrus eſt dominici gregis, paſtor; Paulus eſt uas illud electiſſimum, ornatum cum lapide prætioſo; Ioannes eſt cuſtos Virginis; Apoſtoli ſunt Fratres Domini; Omnes Sancti ſunt Reges, & regnant cum agno; Enimuerò CHRISTVS eſt qui Sanctificat omnes, qui & ſanctos facit reges, ac Deos, cuius Ioannes non audet tangere ſanctum uerticem; cuius Virgo mater ſe dicit Ancillam; ad cuius gloriam Petrus in monte ſancto ſtupidus, neſcit qui dicat; ad cuius nomen Paulus cadit ad terram, & dicit, Domine, quid me uis facere? Cuius Euangelium Apoſtoli, tanquàm nuntij portant per uniuerſum terrarum orbem, & pro cuius gloria mori in conſpectu regum, & principum glorioſum putant. Itaquè dignum quidem eſt uereri animu noſtris Sanctos, & de illis, quàm de nobis quibuſcunquè mortalibus, maiora, & meliora ſentire, & in huius reuerentiæ ſignum, honorem, quoquè extrinſecus illis exhibere, quod teſtimonium ſit tàm præclaræ probitatis, & ſanctitatis. Sed enim, ſi Sanctos, in teſtimonium uirtutis honorare par eſt; An non Deum ipſum altiore quadam ratione oportet, ut animis uereamur, & honoremus operibus? nimirum ſubiectionem ſignificantes, & teſtificantes quam illi debemus tanquàm creaturæ creatori? Sanè & Sancti ipſi dum in regno cœlorum diuina illa fœlicitate fruuntur, & gloriam illius regni canunt, demiſſiſſimè tamen procidunt ante pedes ſedentis in throno, deponuntq; etiam coronas, quas in capitibus geſtant, ut potè Deo ipſi actu, uerbo, animoquè, acceptum ferentes, quicquid in eos collatum eſt, & uirtutis, & honoris: Fratres Laudamus Sanctos, & coràm populis præclara illorum facinora, magnificè commendamus, hoc eſt enim propriè laudare, nam uos iſta Latina. Laus, finitima eſt illi græce λαός, quæ populum ſignificat; Et quidem liber Eccleſiaſti-

 cus

cus ſic habet. Laudemus uiros glorioſos, & patres noſtros in generatione ſua, nequè ſolum illos laudamus, ſed & benedicimus, gratulantes de eorum profecti bus uirtutibus, meritis, præmijs, laudibus, quin & illis genufleclimus, imò uerò utrunquè genu ponimus ea pietate, & ratione, qua David Sanctus, & Deo charus procidit coràm Saul Rege; qua filij Prophetarum prouoluti ſunt ad pedes Heliſei; qua Cornelius Romanus miles procidit ad pedes Petri; qua Paula illa Chriſtianorum heroina amplexa eſt pedes Epyphanij Cypriarchæ, nequè Epiphanij ſolum, ſed Macarij, ſed Arſenij, ſed Serapionis; Etenim, ut ſcribit ſacri nominis heros, in ſingulis ſanctis arbitrabatur ſe uidere CHRISTVM, *& quicquid in illos contulerat honoris, & reuerentiæ, in Deum ſe contuliſſe gaudebat, & lætabatur. Porrò uerò quàm ſublimior eſt & Laudatio, & benedictio; & adoratio, dicam græcè* προσκυνησις, *ipſius* CHRISTI? *Habet enim hoc unum quod longe maius eſt omnibus cæteris glorificationem. An non uidetis in Cantico Angelorum, quod uerißimè hymnologiam dixeris, Sanctam Eccleſiam hæc omnia in unum colligere, & canere, uoce pleniſſima? Laudamus te, Benedicimus te, Adoramus te, Glorificamus te.*

SANÈ *uerò manifeſtum eſt, ſoli Deo & principaliter & præcipuè, deberi gloriam, & honorem, iuxta illud Apoſtolicum. Soli Deo honor & gloria, & illud, quod ipſe de ſe ipſo dixit. Gloriam meam alteri non dabo. Et honor quidem debetur Deo, quia illi omnia ſubiecta ſunt, ſicut ſcriptum eſt. Ex ipſo, per ipſum, & in ipſo ſunt omnia; at uerò Gloria ideò illi debetur, quia ipſe antè omnia erat, eſt, & erit, & à nulla re aliqua ratione dependet, in quo completur ratio æternitatis, propter quod quum Apoſtolus diceret. Soli Deo honor, & gloria, præmiſit Regi ſæculorum. Unde & Ioannes dilectus Domini, ut doceret* CRRISTO IESV *tribuendam eſſe eandem gloriam, quam tribuimus Patri, affixit ei eundem titulum æternitatis. Qui eſt (inquit) qui erat, & qui uenturus eſt. Quem ſecuta Eccleſia in eodem Cantico Angelorum, cuius ſupra meminimus, canit. Tu ſolus Altißimus* IESV CHRISTE; *nequè enim eſt ulla in communi Theologia ratio ſublimior, atquè excelſior, quàm eſſe authorem omnium, & ipſum nullum habere authorem, hoc eſt eſſe primum omnium, eſſe nouißimum omnium; in quo demum ceſſat omnis laus, & incipit ſacrum illud ſilentium, & ſtupor, quem poſt ſignificantem Theologiam, myſtica illa, & uno Dionyſio digna Theologia facit. Certè uerò Prophetæ docuerunt in hunc ſtuporem & ſilentium rapi ſublimes illas mentes, quæ de* CHRISTO *ipſo, & de rebus* CHRISTI *meditantur. Super eum (inquit) continebunt Reges os ſuum; ita intellexerunt* CHRISTI *honorem tranſire in gloriam, ſicut & honorem Dei. Et huc profectò ſpectant illa omnia, quæ de* CHRISTO *leguntur. Vocabitur nomen eius Admirabilis. Mirabantur ſuper doctrina, & reſponſis eius. Nunquàm ſic locutus eſt homo. Quis eſt hic?*

Nunquid

Nunquid CHRISTVS *quum uenerit maiora ſigna faciet, quàm quæ hic facit? ſimilia nanquè eſſe uidentur Dionyſiacis illis elocutionibus quas de Deo concipit, & format Theologia myſtica* υπερουσιος, υπεραγαθος, υπερθεος υπεραρρητος υπεραγνωστος. *Et his quidem elocutionibus, ut ipſius Dei, ſic & ipſius* CHRISTI *gloriam teſtamur, ſignificamus, prædicamus quibuſuis honoribus maiorem, ac meliorem; nam & ipſe Cicero intellexit ad gloriam ueram, & ſolidam pertinere hanc ipſam admirationem: Summa (inquit) & perfecta gloria conſtat his tribus ſi diligit multitudo; Si fidem habet, Si cum admiratione quadam honore dignos putat.*

IAM *ipſi putate, quàm altiore ratione, ſunt colendæ reliquiæ* CHRISTI, *etiam inanimatæ, ſupra reliquias Sanctorum omnium. Eadem porrò ratio; atq; propoſitio intelligenda eſt, & ſeruanda in* CHRISTI, *& Sanctorum imaginibus. Certè de imagine* CHRISTI *eſt dyſtichon illud antiquiſſimum; nunquàm obliuiſcendum.*

Nam Deus eſt, quod imago docet, ſed non Deus ipſa.
Hanc uideas, ſed mente colas, quod cernis in ipſa.

VOS *certè, Reuerendi Fratres, hanc quoq; gratiam debetis Deo, quòd Eccleſiam ueſtram multis, iisq; pratioſiſſimis, &* CHRISTI, *& Glorioſæ Virginis, & aliorum Sanctorum, atq; Sanctarum reliquijs decorauerit; Sed (ut uerum dicam) duæ ſunt præ cæteris, quibus non ſolum toti Apuliæ, ſed uniuerſo huic regno meritò inuidendi eſtis. Brachium D. Baſilij in primis; illius Baſilij, cuius titulus eſt* ο μεγας, ο Βασιλειος, *illius Baſilij, qui tanta ſcripſit, & tanta cum laude, uerè* Βασιλειος *uerè* Βασιλευς *in dicendo, & ſcribendo latè Rex. Deindè uerò brachium D. Valentini Martyris, quod fœliciſſimo homine elatum in palmam, totam hanc Ciuitatem fortiſſimam quandam Valentiam, & palma dignam, arcem inquàm penè inexpugnabilem fecit. Nam ne primis quidem illis annis, ſacro Tridentino Concilio ſuperioribus, dum tantarum hæreſum ignes, & flammæ, uniuerſum penè Chriſtianum orbem miſerè popularentur, in has noſtras caſas penetrauit atra illa fuligo, aut fumus lethalis, ſed ab omni etiam hæreſis ſuſpitione, longè, longèq; remotos Botuntinenſes meos inſignem uerè gratiam ueſtram, & meam, in ſua ipſius tutela ſeruauit, inuictus* CHRISTI *athleta Valentinus. Mementote olim Romam dictam eſſe Valentiam, & nomen ipſum Romæ, ſignificare apud Græcos, robur, & uires, quibus ità ualet, ut ſit Princeps Vrbium, & ipſius etiam Orbis caput. Quanta eſt igitur gloria ueſtra Dilecti Dei, quod* CHRISTVS IESVS *tantùm ducem Romana nobilitate clarum, ſed heroica fortitudine longè clariorem inſtituerit? qui ſit uobis tutor, patronus, & parens, à quo hæc noſtra Ciuitas protegatur, defenda-*

tur, ornetur, præter id quod non uos ipſe, neq; veſtra dereliquit, ſed omnia in ſua ipſius tutela cuſtodit, & tenet. Nam, & profanæ gentes, ſuum illum Iouem vocabant ſalutarem, ſtatorem, hoſpitalem, quòd intelligerent omnia eſſe in tutela, & fide Iouis, quem ob id appellabant Optimum Maximum; quòd Optimus uellet, quòd Maximus poſſet hominum genus ſeruare, ac tueri. Hæc impiè prorſus dicerentur de Sanctis; ſed verè dicuntur de CHRISTO, *cui etiam in hymno Angelico canimus. Tu ſolus Sanctus, & cui dicimus in pſalmo. Cantabimus, & pſallemus virtutes tuas; hæc enim omnia pertinent ad gloriam tàm Dei, quàm* CHRISTI; *Verè ſi & propriè non cantamus Sanctis, neq; Sanctis pſallimus, ſed cantamus Sanctos, & virtutes Sanctorum, tandem vero deſinimus in Dei gloriam, atq; ideò ſoli Deo propriè canimus. Hinc omnibus pſalmis addita eſt* δοξολογία *unde, & habent pſalmi, quod hymni dici poſſint. Sicq; eadem* ψαλμωδία, & ὑμνωδία, *quum pſalmi quidem eſſent, ſed non eſſent, hymni, niſi deſinerent in Dei laudem, & gloriam; propter quod, & omnes hymni, quos Eccleſia canit de ſanctis, ſæpè incipiunt, ſemper autem terminantur in laudem, & gloriam Dei. An verò ille ipſe* CHRISTVS *non ab ipſo Patre hanc ſibi æternùm debitam gloriam requirebat, alloquebatur enim patrem. Clarifica me tu Pater claritate, quam habui priusquàm mundus fieret. Unde & vox audita eſt. Et clarificaui, & iterum clarificabo. Neq; verò differt gloria à nominis claritate, & celebritate; vnde & apud Ciceronem legimus, Clarus gloria, propter quod & dixit. Ex omnibus virtutum præmijs ampliſſimum eſt gloria: Quam etiam quum definiret, dixit. Gloria eſt illuſtris, & peruagata multorum, & magnorum, ſiue in ſuos conciues, ſiue in ſuam patriam, ſiue in omne genus hominum, fama meritorum.*

QVIS *in totum negare audeat honorem gloriæ Sanctis ipſis? quandò, vt ſupra dicebam, in libro Eccleſiaſtici ſcriptum eſt. Laudemus viros glorioſos; & in pſalmis legitur. Gloria hæc eſt omnibus Sanctis eius? Sed in illi facti ſunt glorioſi, ut & gratioſi, per ipſius Dei gratiam, & gloriam; Deus autem eſt in ſe ipſo ante omnia ſæcula glorioſus, laudabilis, benedictus, & ſuperexaltatus in ſæcula; Unde, & in terris eos, qui poteſtate, & Maieſtate referunt Deum, etiam ſi Sancti non ſint, etiam ſi impij ſint, ad illius gloriam, ſupra eos quoq; qui virtute, & probitate eminent, iure, ac meritò honoramus; quin & parentes, quia ab eis originem ducimus, in quo & diuinæ maieſtatis virtutem participant, ſed & ipſos ſenes, quia antiquitatem Dei non nihil repræſentare videntur, dignos ducimus reuerentia, honore, laude, benedictione, & gloria. Ut tandem obſtruatur omne os loquentium iniqua; eorum inquàm, qui prætextu extollendæ gloriæ ipſius Dei, incipiunt paulatim detrahere gloriæ Sanctorum, vt agente eos ſpiritu nequam, quum deſciuerint à Sanctis, deſciſcant*

tandem

tandem & ab ipſo Deo. Omnis enim gloria, vel honorum uirorum, uel Sacerdotum, ſiue etiam Regum, & Principum, uel parentum, vel antiquorum, & ex Deo deſcendit, & in Deum refertur; quod nemo pius ignorare poteſt, præter id, quod uox illa Sanctorum auditur & in Cælo, & in Terra. Non nobis Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam: & illa. Glorificate Deum quantum poteſtis, maior eſt enim omni laude.

NOS ad ipſius Dei gloriam, præclariſſimi huius ſui militis Valentini martyrium quæri, & requiri fecimus per omnes Bibliothecas Romanas; Tandem illo ipſo fauente, qui vult, inter Botuntinenſes noſtros glorificari Diuum Valentinum, & ſuam ipſius Maieſtatem in D. Valentino; ex Monaſterio Caſſinenſi, illud à Reuerendis illis Patribus, dignis profectò, qui ſumma pietate, & Sanctitate viri, à vobis, & à nobis diligantur, & colantur, largè admodum, & liberaliter obtinuimus, quod & uobis damus, ut die ſuo, qui eſt xiiij. Februarij publicè legatur ad Matutinum.

SERMO AD SYNODVM, DE SACRIS VESTIBVS, ET VASIS.

VESTITVS ERAT VESTE ASPERSA SANGVINE. *Omni tempore ſint veſtimenta tua candida. Qui mollibus veſtiuntur in domibus Regum ſunt. Quomodo huc intraſti non habens veſtem nuptialem? Si quis fortaſſe eſt veſtrum Fratres, qui propter hecthemata exiſtimet ad ſacra ſymbola, & admyſtagogiam pertinere titulum, quem heſterna die propoſui de ſacris veſtibus, ideoq́ ſecum putet me hodie aggredi velle ſacram illam & Illuſtrem allegoriarum ſyluam, quam Moſes vultu glorificato, & operto loquutur ad filios Iſrael, Apoſtolus porrò nudis verbis interpretatur ad magiſtros filiorum Dei Timotheum, & Titum, is certè de nobis altiora ſentit, quàm menſura noſtra conueniat. Amorem agnoſcimus, quem laudamus, cui & gratias agimus. Tantam ſcientiam non agnoſcimus, quod & pro vobis ex toto corde dolemus. Intereà autem animus eſt honorare corporalia veſtimenta, omnium expoſita oculis; quæ tamen, pro ſuis ipſarum rationibus, quas maiores noſtri longè, latèq́ tractauerunt, ampliſſima munera digniſſimasq́ functiones, Leuitici, & Sacerdotalis gradus, mirum, quàm ſingulariter exornant, illuſtrant, magnificant: Non hic locum habent penulæ, ſyndones, chlamydes, aploides, diploides, non Teniæ, non loricæ, non diphtheræ, non ſaraballum, non theriſtrum, non birrus, non peplus, Veſtes ſacras, ſed tamen vobis notiſſimas locuturi ſumus Fratres Dilectiſſimi. Itaq́ ut exordiamur, Sunt duo genera veſtium: veſtes naturales, & veſtes artificiales; harum autem aliæ ſunt nexiles, aliæ textiles, Notum eſt enim Lucretianum illud.*

Nexilis ante fuit ueſtis, quàm textile tegmen.

VESTIMENTA *porrò omnia ſunt ornamenta, nuditates ſunt dedecora,*

ra, ut propterea veſtire ſit honorare, nudare autem quid eſt niſi ſpoliare? Hinc illud, Et tranſiui per te, & vidi te eò, quod nuda eſſes, & expandi ſuper te amictum meum, & cooperui ignominiam tuam. Alluſio enim eſt ad primi hominis verendam illam, &, quam uir & mulier, ſicut dicit Moſes, vehementer erubuit nuditatem. Quum enim per ſe ſe non ſit res turpis nuditas, nam humano corpori turpitudinem aliquam non indidit Deus, inde primum factum eſt, in apertam, humanæ naturæ, ibi iam, vnde propaganda erat, corruptæ ſignificationem, vt ſtatim agnita culpa, partes quæ natura pudendæ non erant, quaſi pudendas contegere omni, quo poterant ſtudio, & diligentia niterentur; quanquàm fruſtra, & ſuperuacuè, niſi Deus Benedictus miſericordia motus vtrunq cooperuiſſet tunica pellicea myſtici illius Agni, qui ſemel ſuſtulit, & quotidie tollit peccata mundi. Digreſſi ſumus fratres, ſed non longè, Ecce regredimur ad veſtes literales. Et quàm bene dixit Salomon. Veſtitus & inceſſus indicant de homine. Et quidem totus Oriens, totus Occidens, atq adeò uniuerſa Eccleſia, quæ ſub cælo eſt, ſicut per tonſuram, quam nos coronam, Græci Papalytram uocant, diſtinguit homines ſacros à non ſacris; nolo enim dicere à profanis: nam CHRISTO *nullus iam barbarus, nullus profanus; ut, qui cognitione veri Dei mundum exuit barbarie, & ſanguine fuſo repleuit iuſtitia, & ſanctitate. Sic æquum eſt, ut habeat aliquas ueſtes, quibus & Laici à ſacris, & illi ipſi ſacri, dum ſacra faciunt à ſe ipſis, dum uel domi, uel foris, cum alijs hominibus uitam uiuunt, facilè diſcernantur. Itaq ueſtes de quibus hodie mihi ſuſceptus eſt ſermo, non ſunt ornamenta carnis ueſtræ, quæ, tum maximè mihi ornatiſſima uidebuntur, quum ut ſordibus; ſic omnibus quoq ſæcularibus caruerint ornamentis; ſed ſunt inſignia, & decora dignitatis ueſtræ, quæ timendum non eſt, ne pompa, & apparatu nimium excedant, quandò ne ipſi quidem uel intus, uel foris, tàm pulchri & ornati eſſe poſſumus, quin tanquàm miniſtri Dei, in utroq homine longè pulchriores, & ornatiores eſſe debeamus. Et quidem, poſtquàm cogitis me, ut ſublimiora loquar, quàm cogitaram; quum ratio pulchri, & ipſum pulchrum, rerum ornatu, & ueſtitu emineat foris, bonum autem ad quod pulchritudo conſequitur, & unde redundat, uigeat intus; conſtat nihil eſſe in uniuerſa natura, quod ad pulchritudinis gratiam, & decorem non ſit miris modis ueſtitum & ornatum, ſicut nihil eſt, quod non intrinſecus, ſua ipſius uirtute conſtet, & polleat; ut quemadmodum ſingula quæq bona ſunt, & omnia ſunt ualdè bona, ſic & quæq pulchra ſint, ipſa porrò tota rerum uniuerſitate nihil ferè poſſit cogitari pulchrius, ornatius. Calos enim, in primis, Deus Benedictus, ueſtiuit, & ornauit agminibus ſtellarum, quæq ſtella radios habet, radius ſplendorem, ſplendor calorem. Aerem repleuit tot & tantis uolucrum generibus, Maria reptilibus; Terram ueſtiuit agris, arboribus, animalibus, Agros herbis, Arbores floribus, Animalia ſenſibus. Ipſam totam*

tam

tam materiam decorauit uarijs formis; formas uirtutibus impleuit, uirtutes operationibus inſigniuit, ut non ineptè Moſes ſcripſerit in ſua Geneſi. Perfecti ſunt Cæli, & Terra, & omnis ornatus eorum. Quod ſi naturam egreſſis ſacrarum ingredi libet, uix alicubi de Angelis loquuntur diuinæ literæ, ubi non commemorentur, & ornamenta, & ueſtimenta candida, lucida, ignea, ſimulquè Angelorum inſignes currus, & phalerati equi. Sed & Vates ille Sanctiſſimus, antiquum dierum deſcribens, induit eum ueſtimento, quod erat niuium candore conſpicuum, cuius etiam uenerandum caput, ornat cæſarie, lanæ mundæ ſimillima. Quum autem ipſe CHRISTVS IESVS *ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ Dei Patris, in quem deſyderant Angeli proſpicere, Quid dici poteſt pulchrius? tamen, & ipſe ubiq; ornatur ueſtibus; In omni uita ueſte inconſutili, adeò pulchra, & pretioſa, ut auari milites beatum illum putarent, cui ueſtis illa in ſortem contigiſſet; dum naſcitur, pannis ſimplicibus, quos Reges demiſiſſimè uenerantur & colunt; dum transfiguratur, ueſtimentis albis, qualia fullo facere non poteſt ſuper terram. Ingreſſurus porrò Vrbem Hieroſolymam, quum illi canerent pueli, & puellæ, Obſanna filio Dauid; Aſella ſuper quam ſedit, erat ornata Apoſtolicis ueſtimentis, & populi ipſi magno myſterio ſtrauerant ſua ipſorum ueſtimenta ſuper terram; ſignificantes aduenisſe tempus, quo Chriſtianæ genti cederet Iudæorum gloria, & uetus ille populus à nouis noſtris hominibus calcaretur. Sacramentum fuit pietatis fratres, & miraculum amoris, quod* CHRISTVS *in Cruce, uolens (neq; enim illi inuito quicquam iniuriarum illatum eſt) ſpoliatus ueſtibus moreretur; nimirum, ut quum non eſſet illi ſpecies neq; decor; quum appareret inglorius, deſpectus, & humiliatus, quum exiſtimaretur leproſus & percuſſus à Deo, illum ipſum primum noſtri generis parentem, ad uiuum repræſentaret, pro quo, nobis miſericorditer Deo iuſtè ea quæ non rapuit exoluebat? Terrenum inquam illum hominem; qui ut contra fas interdictum lignum guſtauit, mox ſe nudum eſſe perſenſit, & erubuit. Enimuerò uoces ſunt Angelorum.*

QVIS *eſt iſte, qui uenit de Edom tinctis ueſtibus de borſa? Quare rubrum eſt ueſtimentum tuum? Indicant enim ſanguinem, quo à capite ad plantas perfuſus erat, fuiſſe illi pro ueſtè; ſed hæc extrinſecus ad dedecora pertinebant, nam & Propheta dixit. Vidiſſe ſe* IESVM *ueſtitum ueſte ſordida; Porro dum tumulatur, uelut cum morte conflicturus, non ne induitur mundiſſima ſyndone? dum autem reſurgit, in quo maximè ſe ſe exerit gloria noſtra, uidetis adeſſe illi Angelum à dextris, coopertum ſtola candida; Deniq; uerò, Ipſa ſancta Eccleſia, aſſiſtit ſponſo ſuo induta uerſicoloribus, & mira ornamentorum uarietate circundata. Et ſcripſit Salomon, omnes electos ueſtiendos eſſe duplicibus ueſtimentis, ſtola nimirum animæ, & corporis. An uerò præter.binus Iacob illum Patriarcham, quem Deus tantoperè dilexit, qui quum benedictionem à*

Patre,

Patre, myſterio, non dolo extorqueret, à prudentiſſima matre indutus eſt veſtibus primogeniti, iiſq; valdè bonis, ut uerbo Moſe utar, & ut haberi dicunt Sacerdotalibus. Sed & Ioſeph ille ſomniorum coniector, & tàm charus Deo, quem pater plus cæteris filijs diligebat, an non legiſti, quàm ſe ſe ore ferens, incedebat ornatus veſte polymita, quæ etiam fratres ad inuidiam prouocabat? Hominem verò illum myſticum, qui ex Hieroſolyma deſcendebat in Hiericontinam Ciuitatem, nemo neſcit prius fuiſſe ſpoliatum veſtibus, quàm vulneribus ſauciatum. Quid quod veſtimentum illud, quo opertus eſt à diuina miſericordia fuit etiam illi medicamentum, quo illata vulnera ſanarentur, niuea inquàm vellera Agni immaculati ab ipſa mundi origine pro nobis omnibus non tàm tonſa, quàm uulſa? Sed iam placeat ex profana ſcrutari. Mundi ſapientes, qui vbiq; & ſemper magna ſpirant, ad principum, & Regum gloriam, ac decorem, quid non excogitauerunt? Faſces, ſecures, annullos, armillas, ſceptra, adde & pileos, & gladios, & purpuram, & diadema, non ob aliud profectò, quàm vt populi tanto ſplendore perculſi, in eos admirabundi oculos, & ora conuertant; & dum ſuſpiciunt, ſtupeant, paueant, palleant. Magno iure igitur, indignum videri poterat, ſi Sacerdos ad cuius amplitudinem, & dignitatem, ne ipſis quidem Angelorum primatibus aſpirare licet, conſtitutus ad altare, & immolaturus Deo, vt uerbis potentibus Cælum aperiat, vt ſummis ima conſociet, ut copulet Terram Cælo, ut unum faciat ex viſibilibus, & inuiſibilibus, non ſupra omnem ornatum, etiam perſicum decorus, & & glorioſus appareret. Atq; ideò præter veſtimenta, quibus Miniſtri Dei, flamines, & archiflamines, tanquàm, & ipſi ex genere terreno, & mortales cum cæteris hominibus, ſua ipſorum corpora aduerſus aëris iniurias, in communi vita tuentur, & protegunt: Ipſa religio deputauit alterum veſtiarium, & ſancta quædam ac ſeparata, non tàm operimenta, quàm ornamenta aſperſa aqua ſanctificationis expiata ſacro thure, & multis dedicata Pontificum benedictionibus, cum impoſitione manuum, cum gratiarum actione, cum oratione per verbum Dei; vt Sacerdos, non tanquàm filius ſæculi, ſed tanquàm homo Dei, non animo ſolùm, qui videri non poteſt, ſed & corpore, quod Tabernaculum viſibile eſt ipſius animi, cultus, mundus, & elegans, cum omni dignitate & Maieſtate ſpectetur, dum rem diuinam facit. Nimirum linea ſtola candidus, conſpicuus, Zonis, vittis, faſciolis, ſyndone, Orario, illuſtris etiam vellere illo nobili, quod Seres ex arboribus nendo conficiunt. Deniq; ſigno Dei viui, amabilis, terribilis, auroq; ante & retro totus fulgens, & gemmis. Idq; antè omnia ad diuini cultus ſplendorem & gloriam, tùm uerò vt omnes, qui circunſtant populi, & ipſi quoq; Principes & Reges, quos tàm antecellit Sacerdos, quàm aurum antefertur plumbo, & Margaritum communi lapidi, præ tanto apparatu, & pompa ſtuporem incurrant, & ne dum ſatis oculis, ne dum

ſatis auribus credant, identidemq́ ſe ipſos, an viderent, an audierint, an ſomniauerint, interrogent. Indignum autem ſilentio eſt decus illud magnum, quod uiſebatur in veſtibus Aaronis ſummi Pontificis Synagogæ, dum celebraret Pontificium ſacrum in templo Hieroſolymæ vrbis: Erat enim illi ueſtis ex cocco, ex byſſo, ex hyacintho, & purpura, ut uel ex ipſis coloribus ſolis, videretur indutus omnibus elementis, ipſo toto mundo, ipſa tota rerum uniuerſitate, Nam coccus igneus refert Cælum, byſſus Terram, hyacintus Aërem, & purpura Mare. Conferte demum ſi placet quot quot hic adeſtis, hæc quæ ultimo loco dicturi ſumus. Nos tametſi indigniſſimi omnium hominum dignatione diuina Sacerdotes ſumus, & Sacerdotes ſecundum ordinem Melchiſedech, CHRISTI inquàm qui eſt verus ProtoMelchiſedech, uerus, & primus Rex iuſtitiæ, & pacis, per quem unum iuſtificamur, & pacem habemus cum Deo; Ille ipſe porrò quum Sacerdotio uiſibili fungeretur, & ſacrificio incruento ſe ipſum ſacrificaret in die cænæ, cuius ſacrificij ipſi, iam miniſterio fungimur ad altare, præter ueſtes illas communes, quas in menſa & depoſuit, & reſumpſit, non ne veſtitus inſuper apparuit, & typicè & myſticè? Typicè inquàm ſub ſpetie agni, Ipſe enim erat agnus, qui Paſcha Iudæorum olim initiauerat, tùm conſumebat, & conſumabat. Myſtice autem ſub inuolucris panis & uini, pſe enim uerè latebat ſub ſacris illis integumentis, & uelaminibus: ſiquidem & tanquàm panis confortabat, & tanquàm uinum lætificabat cor Apoſtolorum, & ad hunc uſq́ diem, & in æternum confortat, & lætificat credentes, ut qui manducat ſuam carnem, & bibit ſuum ſanguinem uiuat in æternam uitam. Ergò cur non æquum iuſtumq́ uideatur, ut ipſi quoq́ ad illius exemplum ſacris ueſtibus induamur, dum ſacrificium offerimus Domino; ſacrificium inquàm & ipſum non nudum, ſed tectum, opertum, myſticum; in quo non eſt id, quod uidetur, & ſubeſt uerè id quod non uidetur. Nam in ipſa altaris menſa donec ſumptum fuerit Sacramentum, quid aliud uidetur oculis carnis, quàm panis & uinum? & tamen ne materia quidem ſubeſt panis, & uini. Quid autem minus uidetur, quàm caro & ſanguis? & tamen prolatis ſacris illis, & potentibus uerbis Domini, uerè nihil extat, niſi caro & ſanguis; Caro inquàm & ſanguis eius, mutato pane in carnem, & uino in cruorem, quod ſenſus non capit, quod fides credit, quod Deus reuelauit, quod homo ſuſcepit. An uerò neſcitis CHRISTVM quidem occiſum eſſe ſub Dio, ſed in Sacramento ſeipſum obtuliſſe ſub tecto? vnde & nobis celebrare aperto cælo magno iure interdictum eſt, ut quod ille fecit in menſa, id ipſi faciamus in Miſſa, uſq́ adeò quantum in ipſo eſt vult CHRISTVS à ſuis ueſtire; tametſi etiam patitur ab hoſtibus deſpoliari.

FINIENDVS erat ſermo de ſacris ueſtibus in his ſacris ſymbolis, Fratres; ſed dum timeo ne ſibi doleant, & me accuſent ſacra uaſa, nam & ipſa, quodammodo ueſtes ſunt, & uerè ipſa ratione ueſtimenti non carent, quippe

quæ.

quæ, & tegunt, & ornant, indicaui dignum eſſe, vt ſimul abſoluatur vaſarium cum veſtiario. Certè verò æquæua fuiſſe uidentur tria hæc ſacrificia, Veſtes ſacræ, Vaſa ſacra, & ita res habet, vt quod eſt dicam, nam ut Sacerdotes prætereamus, ſi aliquandò non fuerunt ſacrificia, aliquandò non fuerunt neq; uaſa ſacra, neq; ueſtes ſacræ; porrò nunquàm non fuerunt ſacrificia, & nunquàm non erunt; & propterea omni tempore fuerunt, eruntq; ſemper, vt veſtes ſacræ, ſic & vaſa ſacra. Fortaßè verò aliquando ſacrificatum eſt ſine ueſtibus ſacris, at nunquàm ſine vaſis ſacris. Non myſtica vaſa loquimur Fratres, & filij, ſed materialia, corporalia; ſenſibilia, viſibilia; neq; verò prætioſa illa ſamia, ſamiola, de quibus Cicero in libris de Republica, Quæ ſunt inquit imperia Pontificum Dijs immortalibus grata, ſine ſamijs? neq; etiam loquimur vaſa corynthia, rhodia, deliaca aut coptica, illa inquàm quæ arte figlina tanto artificio efficiebantur ex mirrha, iunci flore, croco, balſamo, cinnamomo; ſed neq; demum loquimur chryſtallina illa, quibus ſupra aurum & argentum, prætium facit ipſa fragilitas. Sed loquimur communia quæq; vaſa, & Vaſcula.

Aquaria	Crateras
Vinaria	Pateras
Vnguentaria	Scyphos
Potoria	Diſcum
Ciboria	Salinum
Phialas	Æs
Pelues	Aurum
Patellas	Argentum

In re militari notum eſt, quid ſit colligere uaſa, conclamare uaſa, nimirum (quod tum maximè milites faciunt dum fugiunt) colligere uno ferè momento totam ſuppellectilem rerum, omnia inquàm quæ ſub pellibus, hoc eſt, ſub tentorijs continentur, inde enim nomen accepit ſuppellex. Omnia ergo inſtrumenta, quibus ad facienda ſacra, & ad totum diuinum cultum utuntur Sacerdotes, & miniſtri Dei, vaſa dicuntur. Heu quàm eſt nobis curta ſupplex, & uaſorum, & uaſculorum, dilectißimi Fratres.

Vbi Calices?	Marmora?
Vbi Patenæ?	Alabaſtra?
Vbi Cruces?	Menſæ?
Vbi Pixides?	Lucernæ?
Vbi Tubæ?	Vexilla?
Vbi Æra?	Candelabra?
	Thuribula?

Thuribula?
Tabernacula?
Corollæ?
Diademata?
Arculæ?
Baculi?
Vrnæ?
Vrnulæ?
Aſperſoria?
Scabella?
Scabilia?

Et profectò, iuxta ea quæ dicta ſunt, quemadmodum ad gloriam diuini cultus plurimum facit ſplendor ueſtium, ſic & pompa, & pretium & multitudo uaſorum, dicam una communi, & ampliſſima uoce, Utenſilium. Quæ eadem ratione dedicantur, ſanctificantur, conſecrantur, & benedicuntur, ut in illis, ſeruiamus Deo, ut ſemper ſint in ſanctis, ut nunquàm exeant de Eccleſia, hoc eſt (ut uno uerbo dicam) ut non ſint communia cum allijs uaſis, quibus ad quoſquè uſus utamur, ſed ſint ſeparata à profanis, & communibus, nimirum quibus non utamur niſi in rebus ſacris, & diuinis, hoc eſt quæ peraguntur in templis, non in domibus, ſiue priuatis, ſiuè publicis. Videtis in libro numerorùm quàm diligenter cuſtodiri uoluerit Deus & Archam, & menſam, propoſitionis, & omnia alia uaſa, quibus uetus illa iudæorum Religio colebatur, nam ad alios pertinebat concinnare lucernas, & componere incenſum, & oleum unctionis; ad Aaron, & filios eius ſpectabat inuoluere Sanctuarium, & uaſa; ad filios Caath portare inuoluta, quibus etiam præceptum erat, ut non tangerent, ne morerentur, ſi tetigiſſent; de alijs porrò promiſcuè plebis Oraculum Dei præceperat ne aliquis ea, quæ in ſanctuario erant priuſquàm inuoluerentur, uideret, aliòquin morituri omnes. Haud dubiè uerò facta comparatione cultus, ad cultum, legis ad Euangelium, intelligere ipſi poteſtis quanta ſint ſanctitate colenda uaſa ſacra noſtræ religionis. Sanctificatio hominum qui & ipſi metaphoricos uaſa dicuntur, nam Deus figulus noſter eſt; qui & nobis utitur, ut ipſe uoluerit; Sanctificatio inquàm hominum eſt remiſſio peccatorum, eſt Iuſtificatio, eſt Confirmatio diuinæ gratiæ, adde & conſecratio per ſacros ordines, quibus diuini characteres imprimuntur à Domino; ſed uaſa de quibus loquimur hac una ratione Sanctificari dicuntur, quia diuina authoritate, diuinis miniſteriis per Hierarchas deputantur, applicantur deſignantur, ut propterea ſi non ab oculis quidem ut illa uetera, ſed tamen à manibus Laicis remota ſint. Notum eſt porrò quid diuino iudicio contigerit Babylonio Regi ea nocte, qua optimates ſui in uaſis ſacris perpotabant nullam differentiam facientes inter ſacrum & profanum. Fratres uix dicit poſſet quàm ingentem gloriam comparauerit Salomon templo Domini in Urbe Hieroſolyma ex magno illo numero, & incomparabili pretio uaſorum quæ illuc intulit tantus Rex paternæ pietatis & religionis legitimus hæres. Itaquè ſi diuini Prophetæ prædixerunt, futuram longè maiorem gloriam domus

ſecundæ,

ſecundæ, quàm primæ, tametſi, dubio procul principali & præcipuo ſenſu, referendum eſt oraculum ad ſpiritalem gloriam, quam nouiſsimè nobis ecce attulit pluſquàm Salomon hic CHRISTVS IESVS *filius Dei, & hominis: tamen ne hæc quidem uiſibilis gloria deeſſe debet noſtris templis, ut in eis appareat, ſi non multa & magnifica, certè munda, & ueneranda ſuppellex uaſorum, quæ ut neceſſaria ſunt, ad cultum Dei, ſic dum opus fuerit expendantur in neceſſitates pauperum, qui Spiritus ſancti ſunt templa uiua. Sanè hi ſunt theſauri Eccleſiæ, quos in faciem Tyranni glorioſus ille Xiſti Romani Pontificis Archidiaconus Laurentius in uiſceribus pauperum, recondidiſſe ſe, & iàm in cœlos per eorum manus deportatos eſſe, in domino* IESV *meritò gloriabatur. Precor non ſibi timeat Capitulum noſtrum Fratres, nemo ſibi ſcrupulum, & dubitationem iniiciat, quòd aliquis Iudas dicat in foro, Vt quid perditio hæc? procul ſit omnis hæc anxietas, omnis hæc ſollicitudo: æquum non eſt, ut noſtram, quod dici ſolet, pueriliter metuamus umbram. Doleamus autem, & condoleamus omnes miſero illi homini, quòd ſe ipſum multò ante quàm hæc loqueretur tàm ſine ratione perdiderit, ſed tamen & ſimul lætemur, quod, ſi ſe, O quàm nimium apertè,* CHRISTI *hoſtem prodidiſſe uideatur; non enim amat dominum, qui non uult honorem domus domini, neque ex corde dicit, Domine dilexi decorem domus tuæ, intelligens de Eccleſia ſpirituali, qui non libenter uidet maieſtatem & ſplendorem diuini cultus in Eccleſia materiali. Profectò uerò hic ipſe ornatus cultus Dei quicquid perditi dicant, perditio eſſe non poteſt, quando (* CHRISTVS IESVS, *ore ſuo Sancto, & benedicto laudauit pauperem illam uiduam, quæ eo præſente, miſit totam ſubſtantiam ſuam, ad ornatum templi. Templi inquàm Salomonis, magnificentiſsimi, locupletiſsimi, ſplendidiſsimi, quod religione ſanctum erat, & uenerabile magnitudine ingens, mole operoſum, inclytum diuitijs, in quo nihil erat quod non auro tegeretur. Itaquè has ipſas Eccleſiæ diuitias, hos ipſos theſauros, has inquàm ueſtes, uaſa, & generaliter utenſilia quæquè uendi, permutari, alienari, aut quo uis modo diſtrahi nulla ratione permittimus; niſi propter magnam, euidentem, & cui aliter ſuccurri non poſſit neceſsitatem pauperum, quorum in eo caſu iure diuino, & humano ſunt omnia & ueſtra & noſtra, & nos, & uos chariſsimi in* CHRISTO *Fratres. Atque ideò Capitulum & Clerus non ſolum Eleemoſynas, quas ex collectis fidelium in dies haurire ſolent, ſed quæcunquè eorum neceſsitatibus ſuperſunt libenter impendant, & ſuperimpendant, ad magnificentiam diuini cultus imprimis, deindè uerò ſicut dictum eſt, ut Eccleſia habeat, unde in tempore neceſsitatis, alere, ueſtire, iuuare, fouereque poſsit omnes pauperes* CHRISTI. *Eſtote Fratres in cultu proprij corporis, temperati, & parci, ut in ornatu ſacrorum, in pompa templorum ueſtium, uaſorum, & deniquè in Eleemoſinis pauperum, poſsitis eſſe (ut ſic dicam) & animo & opere pluſquàm nimij. Ea porrò quæ de*

ſacris

ſacris ueſtibus, & uaſis à Sancta Synodo ſub pœnis decernenda eſſe meditabamur, hæc ſunt.

CANONES.

LAICVS QVI IN CONTEMPTVM, AVT DERISUM *induerit ueſtem ſacram, ſeu etiam attrectauerit uaſa ſacra (interpretandum eſt autem quod in contemptum fecerit, ſi publicè fecerit, etiam ſi ſemel tantum fecerit) nullo pacto abſoluatur, niſi publica & ſolenni pænitentia à Reuerendo Pænitentiario primum expiatus. Quod ſi iterum lapſus fuerit, habeatur tanquàm ſuſpectus de hæreſi, & contra eum à Vicario noſtro procedatur ſecundum Iura. Tàm uaſa ſacra, quàm Veſtes ſacræ, ut non communibus manibus ſic per manus conſecratas extra neceſſitatem non niſi in Eccleſiaſticis, & Deo dignis officijs tangi debent. Quare Sacerdos qui præter dignitatem uſus fuerit uel ueſte, uel uaſe quod diuino cultui dedicatum eſt, per Vicarium noſtrum ſeueriſſimè puniatur.*

IRRELIGIOSVM *eſt & nefas, ut in nuptijs, tametſi, ſanctiſſimæ ſunt, quas etiam Dominus Noſter* IESVS CHRISTVS *ſua ipſius præſentia honorare dignatus eſt, Clerici mutuent, & Laici mutuo accipiant uaſa ſacra, aut ueſtes ſacras, quia omnino qui nubunt, & nubuntur filij ſunt ſæculi, uaſa autem, & ueſtes ſacræ ſunt filiorum Dei, qui ſeruiunt Deo, non ſæculo. Ideoquè quanta maxima fieri poteſt religione, cauendum eſt ne poſthac aut Clerici ea mutuo dent, aut laici accipiant, atquè ita præcipimus ſub pœnis quas noſtro reſeruamus arbitrio.*

PROHIBEMVS *expræſſè ne illud ipſum Tintinabulum quod tanta ſolennitate, & pompa benedicitur, chriſmate inungitur, lauatur aqua, & quaſi baptizatur, ſeruiat profanis uſibus, uel priuatis, uel publicis, quicunquè illi ſint. Vocare populum ad Eccleſiam ſanctam Dei uſus eſt proprius Nolæ conſecratæ, in quem uice tubarum teſtamenti ueteris inſtituta eſt, uocare ad alia quæquè pertinet ad abuſum.*

NEQVE' *ueſtes Sacræ, nequè uaſa ſacra reficiantur ex profanis, ſed ubi occaſio ſe ſe obtulerit, materia ueſtium uenundetur, & ex pecunia emantur res nouæ; ſimiliter quoquè recudantur metalla uaſorum, fiantquè & uaſa noua, & ueſtes nouæ, in quibus cum ſplendore diuina miniſtrentur, ut dignè ſeruiant ſancta ſanctis, & relinquantur profana profanis.*

QVVM *ueſtimenta, & uaſa ſacra uetuſtate, & longo uſu conſumpta fuerint, ità ut inepta, & indecora uideantur Eccleſiaſticis miniſterijs non uendan-*

tur,

tur, non donentur, non permutentur, comburantur potius, & cineres recondantur intra Eccleſiam, vbi tranſeuntium pedibus teri, & conculcari omninò non poſſint.

NVLLI Clerico liceat prima uice in Eccleſia, coràm populo induere ſeipſum, ne ſuperpelliceo quidem: ſed ea die, qua primum uideri vult amictus habitu Clericali, poteſtate ſibi facta à Vicario noſtro, eat ad Magiſtrum Ceremoniarum, petatq; ab eo ſumma, qua decet, humilitate, vt ipſe induat eum manu ſua.

EXTRA Eccleſiam ſacris veſtibus, aut etiam ſuperpelliceo nullus Clericus induatur, ſed in Eccleſia ſolum, idq; ut in Choro Deo pſallat, ut rem diuinam faciat, vt diuina operanti aſſiſtat, ut ſacris interſit, ut Sacramentum deferat, ut deferentem comitetur.

QVVM diuina celebrantur officia, nullus Clericus ſiue maior, ſiue minor, ſtet in Eccleſia ſine ſuperpelliceo; Militia agitur, æquum eſt milites niſi transfugæ haberi velint, induere ſe ſe, ſumere arma, & ingredi prælium, ne dum non oſtendunt ſe pugnare uelle pro CHRISTO cum Clericis, uideantur pugnare velle pro mundo cum Laicis; iuxta illud, Qui non eſt mecum, contra me eſt.

QVI ex Choro ad forum cum ſacris ueſtibus, aut etiam ſolo ſuperpelliceo acceſſerit, pro foribus Eccleſiæ ſteterit, omninò negotiatus fuerit, aliquid emerit, cum Laicis colloquutus fuerit, delatus coram Vicario noſtro nulla ratione à quoquàm excuſetur: communia loca, veſtes communes; ſacra decent ſacra veſtes.

THESAVRARII, vel Sacriſtæ ſit onus, ut ipſa ſuperpellicea, & multò magis veſtes ſacratiores, Amictus, Alba, Stola, Manipulus, Zona, Caſulæ, omnia quoq; vaſa dicata Deo; illa præſertim in quibus ſacra myſteria conficiuntur, mundicia, & nitore quotidiè fulgeant. Negligentia Theſaurarij corrigatur ab Archipræsbytero; vtriuſq; etiam puniatur à Vicario.

AD minùs quater in anno, hoc eſt quibus vis ſacris temporibus corporalia lauentur; Calices autem ſimul & Patenæ tergantur unaquaq; hebdomada, uel ab ipſis Sacerdotibus; uel à Diaconis, aut Subdiaconis, idq; fiat in vaſe, in quo nihil commune lauari ſoleat, & ipſa ablutionis aqua proijciatur in Sacrarium. Mappæ porrò altarium ab ipſis etiam Clericis minoribus lauari poterunt, aut etiam à Laicis, non tamen à mulieribus, niſi ex illis ſint, quæ perpetuò dedicatæ ſunt ſeruituti ſanctarum Monialium.

SACERDOTES dum celebraturi induunt ueſtes ſacras, diligenter aduertant, ne cingantur uſq; adeò arctè, & conſtrictè, ut uideantur cum indignitate uincti, & captiui; uel cum tanta laxitate, ut ex ueſtibus pendulis iudicentur ignaui, neq; prompti, neq; expediti. Vtrunq; eſt indecorum, & utroq; modo redditur homo ineptus ad tantum altaris miniſterium, in quo nemo eſt tam paratus, qui

L ſtudere

ſtudere non debeat, ut ſit etiam paratior atq; adeò inter paratiores paratiſſimus.

QVOD ſi per ineptiam, uel incuriam uix inter utrunq; medium teneri poteſt, ut Sacerdotes dum celebrant, ſint habitu decoro decore induti, & eleganter compoſiti, neq; reſoluti cinctas ueſtes, tanquàm molles, & deſides, neq; detenti, & ligati, tanquàm fugitiua mancipia, numerentur potius inter milites ſtrenuos, pracinctos, & ſuccintos, quàm inter imbelles & inermes, diſcintoſquè, & reſolutos.

IDEM intelligi uolumus de Leuitis, qui in Miſſa maiori celebrant Sacerdotibus.

ILLVD unum hoc loco, & hos, & illos admonitos eſſe uolumus, ne putent ſatis eſſe hunc ipſum externum cultum, quo & ueſtibus & uaſis ornati in Eccleſia ad altare, tanquàm Sol & Luna reſplendent. Neceſſe eſt autem ne fabulam, aut comediam in ſcæna, tanquàm ficti homines agere uideantur, ut uita & moribus tales ſe exhibeant, ut tanto ornatu, tanta luce, & ſplendore digni ſint, & uniuerſo populo noſtro digniſſimi eſſe uideantur: nam & apud Ethnicos, quorum religione tota ſuperſtitio poſſidebat; quum noſter cultus ſit ille unus, & uerus, quo Deus coli ſe præcipit; non defuerunt, qui dicerent hæc eſſe uera ornamenta & chara Dijs ſuper aurum, ſuper argentum, & ſuper gemmas.

Compoſitum ius, faſquè animi ſanctoſquè receſſus,
Mentis, & incóctum generoſo pectus honeſto.

IN Euangelio autem notum eſt IESVM CHRISTVM Phariſeos, & ſcribas, ob id, quod intra ſe ipſos ſuperbia, auaritia, inuidiaq; flagrarent, quum foris quidem incederent ornati fimbrijs & philaterijs, quibus admirationi erant uniuerſo populo Iudæorum, appellaſſe ſepulchra dealbata, quæ foris pulchra uidentur, intus autem plena ſunt oſſibus mortuorum, & omni ſpurcicia; unde & illæ toties repetitæ comminationes: Veh uobis Hypocritæ.

QVI nouè admiſſi promotiq; fuerint ad Sacerdotij dignitatem, ne primam quidem Miſſam in noſtra Eccleſia cathedrali cantare, aut legere poſſint, neq; ullo modo admitti, ut de maſſa communi, iuxta portionem Sacerdotalem, participent; niſi prius omnes ſacras ueſtes, quibus ipſi in tanti ſacrificij miniſterio utantur, eaſq; nouas, non laceras, neq; conſumptas, aut uſu attritas comparauerint.

AD hoc ipſum obligatos eſſe uolumus omnes Sacerdotes, qui nunc quoq; hoc ipſo Sacerdotali ordine, miniſterioq; funguntur, ut infra tres menſes quiſq; emat integrum corpus ſacrarum ueſtium, ad celebrandum cum nouo decore, & ſplendore ſacrificium Corporis & Sanguinis Domini Noſtri IESV CHRISTI. Qui in tempore non obedierit ſuſpendatur primum à participatione diſtributionum, deindè uerò à celebratione Miſſæ, ut affectus damno, & pudore, diſcat parere mandatis.

EAE

EAE veſtes, neq́ ullo modo donari in uita, neq́ affinibus, ſiue cognatis, & ne fratri quidem, uel ſorori, ſed neq́ patri, aut matri legari, aut omninò relinqui poßint in morte. Sint autem ipſo iure Capituli, & Sacriſtiæ noſtræ, cui ex nunc eas ipſi authoritate noſtra, Sancta approbante ſynodo, aßignamus, & deputamus ad commune minſterium; obligantes Archidiaconum, & Procuratorem Capituli ad faciendum Inuentarium, in quo & Sacerdotes, & ueſtes eorum deſcriptæ contineantur, ne ipſum Capitulum poſt hac aliquo modo fraudari poßit. Quum autem aliquis Sacerdos migrauerit ad Dominum ex ijs veſtibus, quæ in Sacriſtia erunt, accipiantur eæ, quæ in diuino cultu, poſt hac minus decoræ eſſe uidebuntur, cum quibus honeſtè ſepeliendus erit.

SERMO AD SYNODVM DE BENEFICIIS, ET DE EO, QVOD DICITVR; PROPTER OFFICIVM, DATVR BENEFICIVM.

POMARIA INGREDIMVR, EGREDIMVR *ſyluas, ſpatiamur in hortis. Ecce odoras arbores, proceras, cœli æmulas, quarum ad terram curuantur pondera; attingite ramos, decerpite fructus; Beneficia Fratres, Redditus, Cenſus, hodierno ſermoni materiam præbent. Hi ſunt horti ueſtri, hæc uiridaria ueſtra, hæ uineæ ueſtræ. Qui plantarunt, uel irrigarunt Benefici, qui in illos immigrarunt, & qui eos colunt, Beneficiarij uocantur. O' utinam uerò Beneficia, & non iam Veneficia, facta ſint: nam pro illis quis dicat quantæ fuerunt, quantæ ſunt, & quantæ ſemper erunt lites contentiones in Eccleſia ſancta Dei? Et fortaſſe, illud in cauſa eſt, quod (ut quidam dixit, neſcio an noſter, ſed certè non prorſus alienus à noſtris;) Beneficia, nec dare ſcimus, nec accipere. Id ne de nobis uerè dici poſſit, opto, rogo, obſecro, Conſacerdotes, ut audita hac uoce Beneficium, quæ omninò à bono deſcendens, ſignificat fructum bonitatis, & beneficientiæ, quiſquè ueſtrum mente aſſurgat ad Deum ipſum bonorum omnium fontem, clamans cum Dauide. Inuocabo Deum altiſſimum, Deum qui benefecit mihi. Deus, Deus meus, dulcedo uitæ meæ, Lumen oculorum meorum, qui me tantis beneficijs ornaſti, qui dediſti mihi ſenſum, intellectum, memoriam,*

moriam, linguam, ſermonem, qui quotidie errantem doces, peccantem corripis, cadentem tenes, lapſum erigis, uenientem ad te ſuſcipis, foues, amplecteris: qui dediſti mihi, ut cognoſcerem ueritatem tuam; ut amarem bonitatem tuam, ut memor eſſem promiſſionum tuarum, ut currerem uiam mandatorum tuorum; O magnum, & mirificum bonum, Bonum commune omnium, & totum ſingulorum. O liberaliſſime, & beneficentiſſime Deus, qui cunctis hominibus præſides, qui ſingulos imples, qui ubiquè præſens & omnium curam gerens, & ſingulis quaſi omnibus ex alto proſpiciens, & prouidens. Te unum agnoſcimus, te unum diligimus, te unum quærimus, te unum apprahendimus; Vtinam & te unum aliquandò ſequentes, conſequamur, comprahendamus, teneamus, poßideamus. Hoc opto, hoc ſpero, hoc totis deſyderijs concupiſco. Et quidem, Fratres, ſi altius repetenda res eſt, omnia, cuiuſcunque generis beneficia, ea etiam, quæ terrena, & mundana dicuntur iure, & meritò in Deum ipſum referenda ſunt, à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum; qui ſolus eſt ut verè bonus, ſic ſolus uerè beneuolus, ſolus uerè beneficus nimirum qui bonorum noſtrorum non indigens, ob id ſolum benè uult, ut benè uelit, ob id ſolum benefacit, ut benefaciat, ob id ſolum benedicit, ut benedicat, cui benedicere, benefacere eſt. Dixit Deus. Fiat Lux, & facta eſt lux. Dixit Deus. Fiat firmamentum, & factum eſt firmamentum. Dixit Deus. Congregentur Aquæ, & appareat arida, & factum eſt ità. Quæ beneficita ſunt hæc Fratres mei? Lux, Firmamentum, Mare, Terra? Conſyderate pulchritudinem ad uidendum, Conſyderate utilitatem ad fruendum. Ecquæ corda, Ecquæ linguæ tantam admirabilitatem dignè concipere, eloqui, & pro tantis beneficijs diuinæ beneficentiæ gratias agere poſſent? Et hæc minima ſunt, ſi cum illis conferantur, quæ non ad ipſam creationem, ſed ad redemptionem, & ad glorificationem ſpectant. Miſeri quiquè homines, impij, ſuperbi, hunc ſolem uident, hac luce fruuntur, hoc teguntur cælo, hoc mare nauigant, hanc terram incolunt. Si ergò hæc beneficiat tanta ſunt, quæ communia ſunt damnatis, & filijs iræ Dei. Quanta putatis eſſe illa beneficia cæleſtià, ſpiritalia, æterna, quæ ſunt præmia bonorum reſeruata electis, & filijs gratiæ, hæredibus Dei, cohæredibus CHRISTI*? O quantum tibi debemus domine Deus, per quem ſumus, per quem uiuimus, per quem cælum, & terram conſpicimus, per quem mente intelligimus, & ſapimus, deniquè per quem redempti, reſuſcitati, iuſtificati, ſaluandi, beandi, glorificandi ſumus. Reſpicite porrò Fratres in* CHRISTVM IESVM*, Ille enim eſt benefactor noſter, de quo dixit Apoſtolorum princeps Petrus. Hunc Deus unxit ſpiritu ſancto, & pertranſiit benefaciendo, & ſanando oppreſſos à Diabolo, quoniam Deus erat cum illo. Ecquis dicat beneficia, quæ* CHRISTVS *mundo attulit? Ob id enim tot & tantis nominibus appellatur, quia tanta illa* CHRISTI *beneficia, uno nomine exprimi non poſſunt: Dicitur*

CHRISTVS, *propitiator, redemptor, mediator, doctor, aduocatus, propugnator, Teſtis, Iudex, Legiſlator, Saluator, Dominus: An non legiſtis ſcripturas? Eſt ipſis reis propitiator, vt condonet, eſt captiuis redemptor ut liberet, Inimicis mediator, ut pacem faciat, ignorantibus Doctor vt inſtruat, Eſt conuictis aduocatus ut excuſet, diſſolutis Legiſlator ut terreat, eſt obſeſſis propugnator ut defendat, Damnatis Teſtis ut releuet, Oppreſſis Iudex ut iuſtificet, Electis Saluator, vt glorificet. Deniq́ eſt ſeruis Dominus, vt protegat, regat, gubernet, dirigat. Loca uobis nota ſunt Fratres, Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris. Redemptionem miſit Dominus populo ſuo, Vnus eſt Dei, & hominum mediator* CHRISTVS IESVS. *Exultate, & Lætamini Filij Sion, quia dedit vobis Dominus doctorem iuſtitiæ; Aduocatum habemus, apud Patrem Dominum noſtrum* IESVM CHRISTVM, *qui interpellat pro nobis; Conſtitue Domine Legiſlatorem ſuper eos. Mittet eis propugnatorem, & Saluatorem Primogenitus mortuorum, & teſtis fidelis; Pater omne iudicium dedit filio; Saluatorem expectamus Dominum Noſtrum* IESVM CHRISTVM, *qui reformabit corpus humilitatis noſtræ. Vnus Deus pater, ex quo omnia, & vnus Dominus* IESVS CHRISTVS, *per quem omnia. Quo me rapuiſti* CHRISTE? *Quo me rapuiſti? Quo me rapuit benefica illa voluntas, beneuola illa beneficentia, munificentia, magnificentia Dei per* CHRISTVM IESVM *Dominum Noſtrum? Sed enim hodierna die non ingredimur immenſum hoc pelagus diuinorum beneficiorum, Tametſi (ut dicebam) nullum eſt beneficium, quod in Deum ipſum, & in* IESVM CHRISTVM; *ſicut contra nullum eſt maleficium, & generaliter nullum malum, quod in Dæmonem, uerius in Diabolum ipſum, referendum non ſit. Natura Dei eſt tota benefica, nimirum ipſa per ſe bonitas, & ἀγαθαρχία, uerius; Diabolus autem ſeipſum propria culpa fecit τοῦ θεοῦ παντάπασιν ἀποστάτην. Et quis dubitat hæc ipſa Clericorum beneficia, eſſe beneficia* CHRISTI? *relicta ipſi* CHRISTO? *propter amorem* CHRISTI? *vt laudetur* CHRISTVS? *vt ſeruiatur* CHRISTO? *à miniſtris* CHRISTI? *O quàm pinguis eſt hic panis* CHRISTI? *nam & præbet delicias Regibus; Ecquis Principum, aut Regum eſt cui non placeat, ſupra panem Laicum, panis ſacratus ipſius* CHRISTI? *patrimonium inquàm Crucifixi? Beneficia ergo, de quibus tractandum nobis eſt, ſunt ea, quæ & more Eccleſiaſtico, & lingua Eccleſiaſtica, Beneficia dicuntur. Monumenta, & inſignia potius, materiaq́, & veſtigia beneficij, quàm beneficia. Beneficium enim, non eſt Presbyteratus, Epiſcopatus, Conſulatus; non eſt Dictatura, Præfectura, non Regnum, non Sacerdotium; non Corona, non Torques, non Currus; hæc ſub oculos cadunt, & tanguntur manu. Beneficium ipſum, in animo conſiſtit, & animo ponderatur; atq́ ideò locum ſibi facit, etiam inter anguſtias ſummæ, & extremæ paupertatis: Ob id enim,* CHRISTVS,

ore ſuo ſancto & benedicto, dixit. Viduam illam pauperculam, quæ, duo minuta in gazophilatium obtulit, omnium opulentorum beneficentiam, & munificentiam ſuperaſſe; quia in munere non refert quid, aut quantum detur, ſed qua mente, & quo animo detur. An uerò ignoratis, etiam inter Ethnicos, quantæ uirtutis, & efficaciæ exiſtimabatur far, & mola illa ſalſa? ſæpè etiam ſupra hecatombas, quæ, aras Deorum, tanto victimarum ſanguine cruentabant? Spectanda igitur eſt inter homines, dum alius alium iuuat, fide, gratia, conſilio, opera; Spectanda inquàm, eſt, mens, intentio, ratio; ut ratio beneficij tota ad animum referenda ſit; nam quæ exterius ſunt, beneficiorum ſunt materia tantum, & occaſio. Animus eſt, qui dat formam rebus, tanquàm huius noſtræ nauigationis rector; qui, ſi ſimplex fuerit, benè nobiſcum agitur, beneficium factum eſt; contra, ſi fuerit nequàm, ratio beneficij certè amittitur, quanquàm nomen fortaſſe retinetur. Puto autem Ego, vos non eſſe oblitos, interdum ſcripturam manus, dici manum; & fomitem peccati dici peccatum: ad hunc enim modum uocantur beneficia res illæ, quæ uidentur, & tanguntur, nummi, agri, caſtra, uillæ, templa, domus, quas piæ, & meritis graues animæ, ad dandum pronæ, & ſua ſponte propenſæ, cum gaudio, actione beneuola, & benefica tribuerunt, & perpetuò reliquerunt Sacerdotibus. Et illis ipſis quidem bona ſunt, eruntq́ omni tempore beneficia, quoniam ſpectante, & iudicante Deo, bonus illis affuit animus, quo & gaudentes relinquebant, & gaudebant, dum relinquerent. Sed neſcio, an uobis Sacerdotes, ut nomine, ſic re, beneficia, & bona ſint. Certè mala erunt, & eò peiora, quò pinguiora fuerint, niſi in illis colendis ueſtra pietas, ſuæ ipſorum in relinquendis pietati, ac religioni reſpondeat: nam propter officia ueſtra à defunctis relicta ſunt Eccleſiæ ſua ipſorum beneficia. Sunt inter homines multa, neq́ vnius generis, ſed plurium tàm Officia, quàm beneficia. Officia œconomica, politica, regia, militaria, & in his ſunt quæ imperant, & quæ ſubſeruiunt, inter quæ etiam ſunt & principalia, & ſecundaria, ut ad naturæ exemplum cuncta ordine gerantur ab hominibus, & vnus alteri ſubijciatur, neq́ dubium eſt, quin unicuiq́ officio ſit proprium beneficium; nam & Regibus propter id quod malos coercent, & bonis ſunt adiumento, tributa præſtantur, & vectigalia, & honores. Unde eſt illa dictatura Apoſtolica, Cui tributum, tributum; Cui uectigal, uectigal; Cui honorem, honorem. Enimuerò Eccleſiaſtica officia canendi diuinas laudes, celebrandi miſſas, ſeruiendi in templo Dei, antonomaſia quadam præ cæteris omnibus hoc ipſum officiorum nomen obtinuerunt. Et beneficia ſimiliter Eccleſiaſtica, quibus quaſi ſtipendia perſoluuntur diuinorum officiorum, communiſſima appellatione ſimpliciter, & ſine ulla additione, Beneficia dicuntur. Neq́ verò ab re, nam ſeruire Deo, laudare Deum, & recognoſcere gratias, & munera ipſius Dei, non ne eſt primum ſimpliciter officium? quod homo iure naturæ, iu-

re humanitatis, iure pietatis, & ante omnia, & ſupra omnia implere tenetur? Illi ergò officio omnia officia humana cedunt. De beneficijs porrò conſtat, quod ſi non excellunt magnitudine, & multitudine omnia & ſingula hominum beneficia, certè fine, & intentione eorum, qui benefici vocantur, ſuperiora, & maiora, ac meliora ſunt omnibus humanis beneficijs, prouentibus, redditibus; nam finis Inſtitutionis huiuſmodi beneficiorum eſt, vt Sacerdotes, & Clerici ad Deum & ad omnes ſanctos ſuos, pias preces effundant pro ſuis ipſorum animabus, & dum uiuunt, & poſtquàm mortui fuerint. Omnia itaq; alia officia, & beneficia temporaria ſunt, & hac ipſa præſenti uita, uel certè aliquot annorum fama, & gloria terminantur, at Eccleſiaſtica nullas temporum metas habent, in Deum diriguntur, futurum ſæculum ſpectant, reſpiciunt immortales animas obligatione, intentione, executione. Et uidetur profectò ſtatuiſſe Sanctam Eccleſiam, ut nemini tradantur ſacri ordines, quibus inſignitus Clericus, tenetur ad diuinum officium, niſi illi ſimul Eccleſiaſticum aliquod beneficium conferatur, & ſimiliter, ut quicunq; beneficium aliquod obtinet, ipſo iure teneatur ad celebrandum diuinum officium. Magna eſt relatio Fratres officij Eccleſiaſtici cum beneficio, & beneficij Eccleſiaſtici cum officio. Scio multos ex Laicis noſtris deuotionis gratia dies, & noctes in pſalmis, & hymnis cantare Deo, & perpetuo ritu, perinde ac ipſos noſtros Clericos, fortaſſe etiam ſanctiore cultu, celebrare diuinum officium. Sed hic nulla eſt ad beneficium relatio; at uerò quum ex debito celebratur, quod locum habet in Clericis ſacratis, & inunctis, tum relatio inter officium, & beneficium oritur mutua. Vultis autem ſcire quid ſignificet Officium, quod ex debito perſoluitur à perſonis Eccleſiaſticis? ſignificat, & omninò includit tria hæc. Debitum in primis celebrandi hoc ipſum, quod dicitur Diuinum Officium; Ius & poteſtatem ad exercendum hoc munus publicè in Eccleſia; Et tertiò: Exercitium huius iuris, huius obligationis, Recitationem inquàm, Lectionem, Cantum, dicam uno uerbo, religioſam, & debitam huius diuini Officij celebrationem. Cogitate uos modò, tria alia, quæ, his tribus ſimilia ſint, & inuicem tamen, illis oppoſitione quadam reſpondeant, & habebitis rationem beneficij. Sunt autem hæc, Ius recipiendi temporalia pro ſuſtentatione uitæ corporalis, ut diuinum officium à Clericis miniſtris Dei celebrari poſſit. Hoc ſanè primum eſt, quod intelligitur in hac ipſa uoce beneficij Eccleſiaſtici; Secundum eſt Obligatio Laicorum ad miniſtrandum Clericis hæc ipſa temporalia, uelut ſtipendia Eccleſiaſticæ ſeruitutis, quæ omninò militia eſt; Tertium autem eſt Exercitium huius iuris in Clericis, & huius obligationis in Laicis, illud inquàm ipſum Subſidium temporale, quod dat Laicus, quod recipit Clericus. Ita eſt Fratres, Ita eſt; Ius, obligatio, & actualis executio utriuſq;, implent rationem officij, & beneficij. Iuri dicendi diuinum officium, reſpondet ius recipiendi temporale ſubſidium, utrunq; eſt in Clerico. Obligationi ad diuinum officium

reſpondet

reſpondet obligatio dandi temporalia velut ſtipendium; Illud eſt Clerici, hoc Laici. Ipſi labori Clericorum (ut ſic dicam) officiandi in Eccleſia, reſpondet Erogatio, vel Contributio fructuum, præbendæ, ſeu reddituum, uel cenſuum, qui a Laicis debentur Clerico. Intelligitis? Et iura quidem, & obligationes ad diuinum officium longè, latèq, aliàs quoad Clericos pertinet, proſecuti ſumus; nunc de iure, & de obligatione Beneficij loquendum eſt, quod ſpectat ad Laicos. Vix autem dicere poſſum, quàm copioſo ſermone, Diuus Paulus, ex natura, ex ueteribus ſcripturis, & deniq ex Euangelio, oſtendit Laicos teneri, ut præpoſitis ſuis neceſſaria ſuppeditent, & miniſtrent. Quis militat (inquit) ſuis ſtipendijs unquam? Quis plantat uineam, & de fructu eius non edit? Quis paſcit gregem, & de lacte eius non manducat? Certè uerò, (ad uos nunc loquor Ciues,) certè inquàm Parochi, vel præpoſiti, Illi enim primi eſſe uidentur inter beneficiarios, ſunt veſtri milites, veſtri vinitores, veſtri paſtores; ergò æquum, & iuſtum eſt, ut à vobis habeant quod manducent, tanquàm qui paſcunt; quod bibant, tanquàm qui uineam excolunt, qui induantur, tanquàm qui bella gerunt. Sequitur autem Apoſtolus. Nunquid ſecundum hominem hoc dico? hoc eſt inuentione humana? ingenio humano? An lex hoc non dicit? Scriptum eſt enim in lege Moyſi, Non alligabis os Bouis trituranti: nunquid autem Deo cura eſt de bobus? an propter nos hoc dicit? nam propter nos ſcripta ſunt, quoniam debet, in ſpe, qui arat, arare, & qui triturat, in ſpe fructus percipiendi. Intelligens nimirum, per allegoriam appellatos eſſe à Moſe boues, Præpoſitos ueſtros; quippè qui in area Eccleſiæ, triturant frumentum uerbi Dei, quo deinde conficiantur vobis & panes, & placentulæ ſermonum, homiliarum, prædicationum, quibus animæ ueſtræ & alantur, & reficiantur. Concludit autem, Si nos vobis ſpiritualia ſeminamus, magnum eſt ſi temporalia ueſtra metamus? Neſcitis quoniam qui in ſacrario operantur, quæ in ſacrario ſunt edunt? & qui altari deſeruiunt, de altari participant? Quibus verbis profectò nihil clarius dicere potuiſſet pro iure omnium Clericorum, & pro obligatione omnium Laicorum ſimul. Non immemor autem, quod quandoq dixerat, Præcipio ego, non Dominus, ne quiſpiam putaret hoc ipſum eſſe de illorum numero, quæ Paulus ex ſe ipſo, non ex oraculo Domini prædicabat, atq ideò inter conſilia numerandum potius quàm inter iura, & præcepta; Videte quomodo perorauit. Ita Dominus ordinauit, ijs qui Euangelium annuntiant de Euangelio viuere, Quaſi apertè dicens; Hæc non doceo Ego, docet Dominus, ſtatuit Dominus, ordinat Dominus, iubet Dominus; Iubet inquàm ut myſticis bubus non deſit pabulum, ut paſtoribus non deſit Lac, vt uinitoribus non deſit uua, deniq ut non deſint ſtipendia militibus, non meſſes ſeminatoribus, non oblationes ſacrificantibus, non temporalia bona ſpiritualia largientibus. Hæc eſt illa communicatio Fratres, in ratione dati, & accepti, de qua tantoperè laudat idem Apoſtolus

Philip-

Philippenſes, quòd & ſemel, & iterum dum ille in Macedoniam proficiſcere-tur, multa ſecum vſi fuerint liberalitate, & nullæ aliæ Eccleſiæ in Aſia. An verò non legitis apud Eundem Apoſtolum. Communicet is, qui catechizatur ei, qui ſe catechizat in omnibus bonis ſuis? Ecquanta elegantia eſt illa allegoria ex Dauide? Sumite pſalmum, & date tympanum, Sumite inquàm, uos Laici à Sacerdotibus veſtris, orationes, officia, miſſas, hæc enim voce pſalmi intelliguntur. Et, vice verſa, date illis temporalia, corporalia, caduca inquàm, & fluxa huius vitæ bona, quæ ſignificantur nomine tympani. Sic ludebat, & non ineptè profectò Vir quidam pius, ſed valeant hoc loco luſus, & allegoriæ omnes; neq; enim ignoramus, frigidas eſſe probationes dogmatum, per allegoricos ſenſus. Extat autem in libro Paralipomenon ſecundo, locus ille apertiſſimus. Ezechias conſtituit turmas Sacerdotales, & leuiticas per diuiſiones ſuas, vnumquenq; in officio proprio, tàm Sacerdotum videlicet, quàm Leuitarum ad holocauſta, & pacifica, vt miniſtrarent, & confiterentur, canerentq; in portis caſtrorum Domini. Præcepit etiam populo habitantium Hieruſalem, ut darent partes Sacerdotibus, & leuitis, ut poſſent vacare legi Domini: Ecquod teſtimonium haberi poteſt clarius? Sed & noſtræ hiſtoriæ docent, Regem illum Magnum, bonæ illius ſtabulariæ, tàm carne, quàm pietate filium, illius inquàm ſtabulariæ, quæ præſepe Domini inuenire meruit, quæ & myſticum Sanctæ Eccleſiæ ſtabulum, in quo ſemiuiuus ille ſauciatus à Samaritano piiſſimo ſanatus eſt, tanta Religione, & dilexit, & coluit. Conſtantinum inquàm primum Helenæ Reginæ filium, & deinde omnes, qui illi ſucceſſerunt pios Cæſares, & dotaſſe, & iuſſiſſe, ut ad Dei honorem, & gloriam, pro celebrandis diuinis officiis, & ſacrificiis, Eccleſiæ, atq; etiam altaria dotarentur, vt haberent miniſtri Dei, vnde pro tempore, & loco viuere poſſent; neq; cogerentur, ſæcularibus ſe immiſcere negotiis, ſed vacarent prædicationi Euangelii, miniſterio Altaris, & orationibus, iuxta verbum Apoſtolicum. Non eſt æquum, nos relinquere verbum Dei, & miniſtrare menſis. Hinc ergò natæ ſunt, auctæq;, & retentæ Eccleſiaſticæ opes rerum immobilium, agrorum, vrbium, poſſeſſionum, acceptantibus diuina inſpiratione (vt credi par eſt) Sanctiſſimis illis Pontificibus, & CHRISTI Vicariis, Syluestro, Marco, Iulio, Liberio, Damaſo, Siricio, Anaſtaſio, Vrbano, Pontiano, Anthero, Fabiano, Cornelio, Lucio, Stephano, Xiſto, Dyoniſio, & cæteris perpetua ſibi inuicem ſerie, ſuccedentibus. Et quidem nemo noſtrum ignorat uerbum illud irrefragabilis, (ut aiunt) authoritatis, verbum inquàm Domini. Dignus eſt Operarius cibo ſuo, Dignus eſt Operarius mercede ſua, vtrunq; enim dixit Dominus, Et nomine quidem cibi, intelligit omnia neceſſaria ad uitam. Nam & hunc ſenſum habet petitio illa orationis Dominicæ. Panem noſtrum quotidianum, da nobis hodie; Nomine autem mercedis uſus eſt, nè indignè & falſò putaret quiſpiam, Eleemoſinam

eſſe

eſſe quicquid datur præpoſitis, ſicut quicquid datur monachis, & mendicantibus. Verè enim præpoſitis debetur ſtipendium à populo; ſicut & uerè illi debent populo miniſtrare Verbum Dei, & ſpiritualia quæq. Obligatio eſt ex obligatione. Ius eſt ex iure. Opus eſt ex opere. Obligatio populi ſurgit ex obligatione præpoſiti. Ius præpoſiti ad accipiendum, ſurgit ex iure ad celebrandum, deniq & ipſa actualis perceptio fructuum, naſcitur ex ipſa actuali celebratione diuinorum officiorum. Quamuis autem illi fructus qui percipiuntur, & vſu conſumuntur, ſunt res temporales; Ius tamen, & obligatio, tàm ad accipiendum, quàm ad tribuendum, ſpiritualia ſunt; Et ita ſpiritualia, ut omninò uendi non poßint, ſicut nec ipſum diuinum officium, neq ipſe ordo ſacer, ad quem conſequitur Ius, & obligatio diuini officij. Ita conſtat ipſum beneficium Eccleſiaſticum, quod non eſt illud emolumentum, uel ſubſidium, ſed ius ad illud, ad illud inquàm recipiendum pro diuino officio, cum obligatione annexa Laicis ad tribuendum. Conſtat inquàm ipſum beneficium citra ſymoniæ, vel gieſiæ labem neq uendi, neq emi poſſe: ut paria omninò ſint quòad hanc ſpiritualitatis rationem, Officium, & Beneficium. Putatis ne uerò Officium amittat rationem ſpiritualitatis propter beneficium, quod datur Clericis, qui illud perſoluunt; & celebrant? Ecquis eſt adeò parum eruditus, qui ſentiat propoſitionem illam communem, & vulgatam, Propter officium datur beneficium, accipiendam eſſe in hoc ſenſu, ut ſit adæquatio pretij inter officium, & beneficium, ſicut eſt in commutationibus mercium, quæ uenduntur, & emuntur? hoc ſanè qui ſentit, niſi corrigi paratus ſit, palàm hæreticus eſt: nam abſit, ut poßit æquari perceptio fructuum celebrationi diuini officij, aut ius iuri, aut obligatio obligationi, atq ideò nuſquàm dicitur, Propter officium redditur beneficium. Vox ſanè reddendi ueneno non caret, ſed dicitur ſanctè & piè propter officium datur beneficium. Vtrunq datur, & hoc propter illud, ſed gratis hoc, & illud, & non redditur hoc propter illud. Quid eſt autem dictu: Beneficium datur propter officium, niſi Beneficium eſt ſtipendium, Officium eſt ſeruitium? Non datur Beneficium, niſi propter ſeruitium, ſtipendia dantur militantibus. Qui non perſoluit officium, indignus eſt beneficio. Qui non ſeruit, non gaudeat. Qui non laborat non manducet; Mercenarius, qui non operatus fuerit, repetetur merces ab eo. Ita eſt Fratres mei, Ita eſt. Hæc non ſpectant ad leges Cæſareas, ſed neq primum ad Pontificias. Ius diuinum eſt unde manant, in quo firmitatem habent, ad quod tandem reſoluuntur. Ab initio Deus (ut rem totam intelligatis) quum ſuperbiam Serpentis appoſitè admodum mulctaſſet, ut ſuper corpus ſuum graderetur; & uanitatem mulieris, ut in dolore pareret filios; ignauiam uiri tandem hac ratione vltus eſt, vt in ſudore vultus ſui, veſceretur pane ſuo. Ex eo itaq tempore iuſto Dei iudicio factus eſt locus adagio illi. Homo naſcitur ad laborem. Vtinam verò hac ipſa humano generi laboris pœna

ſuffi-

ſufficeret. Vera eſt enim, & nimium uera, ſicut & iuſta, illa quærela. Quid habet amplius homo de vniuerſo labore ſuo, quo laborat ſub Sole? & illa. Quantò plus laborauerit ad quærendum, tantò minus inueniet. Vna de uita actiua, Altera de contemplatiua. Sed profectò generatim quis eſt homo, qui in hac uita non diù, multumq́ laboret? Neq́ enim incaſſum CHRISTVS *Saluator omnium hominum, dixit omnibus hominibus. Venite ad me omnes qui laboratis. Volatilia cœli non laborant, neq́ nent, & Dominus paſcit illa, ſed nemo homo uiuit, qui ut uitam traducat, non duros labores ſubire cogatur. Laborat Diues in congregatione ſubſtantiæ; Laborat pauper in diminutione uictus.*

Virtutem poſuere Dij ſudore parandam.

DE *malis hominibus nota eſt illa uox. Laſſati ſumus in uia iniquitatis, ambulauimus uias, difficiles. Vox eſt Regis. Laboraui, clamans, raucæ factæ ſunt fauces meæ. Paulus Apoſtolus de ſe ipſo dixit, Secundum Euangelium meum, in quo laboro. Et admonet Thimoteum. Tu verò uigila, in omnibus labora. Apoſtoli ad dominum clamant. Per totam noctem laborantes, nihil cœpimus. Et de illis ſcriptum eſt. Erant laborantes in remigando, quia uentus erat contrarius eis. Quid quòd omnis creatura laborat; & parturientis, labores habet ſubiecta vanitati, expectans vt liberetur à ſeruitute in libertatem, gloriæ filiorum Dei. Eia Fratres, Eia, an ipſi homines non ſumus? Quamuis enim ad ſacerdotes dicitur. Ego dixi Dij eſtis, tamen niſi homines eſſemus, certè neque ſacerdotio ipſo fungeremur. Sacerdos enim ex hominibus aſſumitur, & pro hominibus conſtituitur; atquè ideò quæſo ne putemus uitam noſtram tranſigendam eſſe in otio, in delicijs, in uoluptatibus in ἀπονίᾳ (ut græce dicam) ſine ſudore, ſine laboribus. Tota hæc mortalium uita, totus hic mundus, vallis eſt miſeriæ, & lachrimarum, uerè (ut dixit Diuus Auguſtinus) eò magis deflenda, quòminus defletur. Oportet enim permultas tribulationes intrare in regnum Cœlorum. Nos igitur uerè inſanos, uerè ſtultos, ſi uelut extra hominum ſortem poſiti, putamus nobis fas eſſe poſſidere labores gentium, comedere peccata populorum noſtrorum, ſine ullo labore, ſine ullo officio, auxilio, ſubſidio, ſuffragio. Beneficia noſtra uel clericalia, uel diaconalia, uel ſacerdotalia, adde & Epiſcopalia, Omnis, inquàm, generis beneficia Eccleſiaſtica, & fundantur, & conferuntur, & accipiuntur, non ut in ſudore uultus alieni ueſcamur ſoluti, & liberi pane noſtro, nihil ipſi laboris, nihil operis nihil ſatisfactionis impendentes pro illis animabus, quæ nos quotidie alunt, ueſtiũt, ornant; ſed, ut, quemadmodum ipſi qui beneficia poſſidemus, comedimus peccata populi, ſic pænitentiam agamus pro peccatis populi, Sicut uiuimus ex beneficijs, ſic tota uita noſtra ſit perpetuum beneficium, ſicut nos non ſeminauimus,*

mus, ſed alij ſeminauerunt, & nos in labores eorum introiuimus, ſic nos non nobis ſolis, ſed alijs; illis inquam qui nobis laborauerunt, dies, & noctes in Eccleſia laboremus. Heu cæcitas, heu ignorantia Clericorum, qui hoc neſciunt: Vita laicorum eſt perpetua pœnitentia cuiusque pro peccatis ſuis. Ordo noſter, ſtatus noſter hoc habet proprium, ut oporteat nos pœnitentiam agere pro peccatis noſtris, & alienis. Heu, heu tanto magis quemlibet ueſtrum pœnitere oportet, quanto omnes communiter minus pœnitet. Quanta uerò pœnitentia illis agenda eſt, qui hoc ſciunt, & uel diſsimulant, uel negligunt? Ad hanc duram, & diram uitæ neceſsitatem nemo nos obligauit Fratres mei, Ipſi nos obligauimus, dum beneficia ſuſcipimus. Quid dico ſuſcepimus? extorſimus, procurauimus, ambiuimus? non ingreſsi, ſed aggreſsi ſumus. Quid iam dicendum de illis, qui beneficia beneficijs cumulant? O onera, O uincula, O neceſsitates, O obligationes; O cathenas. Et tamen non ſentiunt hoc iugum, miſeri, quod ſuper humeros habent; ſed eò ſe putant liberiores, quò ſunt beneficijs onuſtiores. Mi frater in illo beneficio habes ius, in quo, uel propter quod, dicis diuinum Officium. Vbi non facis Dei opus, qua conſcientia, credis te facere tuos fructus? Clericus nihil habet iuris, Laicus nihil habet obligationis, ubi nihil fit diuini operis, quia & ius, & obligatio eſt propter opus. Legimus in Euangelio dixiſſe Dominum ad quoſdam qui eum quærebant, & ſequebantur: Quæritis me, inquit, non quia uidiſtis ſigna, ſed quia manducaſtis de panibus, & ſaturati eſtis. O nos Infœlices, ſi ignominiam ſæcularis habitus depoſuimus, ſi clericalem Coronam induimus, ſi inter aſſeclas CHRISTI *numerari uoluimus, non ut ſeruiamus Deo, ſed ut ſaturemur, ut luxuriemur de panibus* CHRISTI, *ut iungamus altaria altaribus, Eccleſias Eccleſiis, beneficia beneficijs. Mors in olla Fratres. Mors in olla. Qui uolunt diuites fieri incidunt in tentationem, & in laqueum Diaboli. An uerò obliti ſumus comminationis illius? Veh uobis qui ſaturati eſtis; & illius admonitionis. Cauete ab omni auaritia. Clerice ad te eſt mihi ſermo: ſi officio tuo non dees, & intereà eges, & propterea accipis; accipe lætus; nam plus multò das, quàm accipis; das enim ſpiritualia, & accipis temporalia: ſed ſi habes, quòd pro officio tibi ſufficit, & adhuc petis, & adhuc accipis. Veh Tibi, quia quod tibi ſuperfluum eſt, alijs eſt neceſſarium. Itaq; & te oneras, & ut te oneres, rapis, & ſpolias indigentes. Certè uerò maximus ille Prophetarum, & Præcurſor Domini, dictauit ſententiam. Qui habet duas tunicas, det unam non habenti. Dicetis ergò non eſſe æquum ſi quis pro poſuerit. Qui habet duo beneficia, quorum unum ad neceſsitatem ſibi ſufficit, det alterum non habenti, aut omninò cedat conferenti? Non eſſet iniqua ſententia, mihi credite, ſed quia in uſu non eſt: ipſi etiam cæci uident, quàm ſit iuſta illa querela. Alius quidem eſurit, alius autem ebrius eſt. Non poſſum præterire ſilentio, quod obſeruauit Pius quidam pater; ſanè, in Euangelio uix*

unum demoniacum legimus, quum interrogaretur à CHRISTO, *quod nomen tibi eſt, reſpondiſſe, Legio, nam multi ſumus. O' quot Beneficiarij ſunt in Eccleſia Dei, quorum unuſquiſquè ſi interrogaretur quod tibi nomen eſt? Singuli dicerent, Legio, nam multi ſumus. Unuſquiſquè enim eſt unus in perſona, ſed multi in beneficijs. Et quidem in magnis ciuitatibus, ubi eſt menſa diues, & Opipara beneficiorum, tanquàm ad brauium, O' quanta feſtinatione, emulatione, contentione, curritur, concurritur, præcurritur. Et uelut, ad eſcam, non deſunt Canes, lupi, & uultures parati, ad deglutiendum, non ad comedendum; non uultures quidem, qui iuxta etymon uocis, tardè uolent, ſed qui iuxta proprietatem illius animalis, ſint edaces, rapaces, famelici, qui etiam multò à longe cadauera præſentiunt, ut ſaturari ſuo tempore poſſint. Et hic tertiò mihi dolendum eſt Fratres. Nam in ſacris literis legimus dum permanus Heliſei tanta rerum miracula operaretur Deus Omnipotens, donec bona illa Sunamitis uaſa uacua habuit, quæ oleo impleri poſſent; ut ſatisfieret creditori, oleum ſemper creuiſſe, dum uaſa plena fuerunt, mox ſtetiſſe oleum. Heu heu, nos uaſa uacua non implemus; in clericos pauperes nihil infundimus Olei, nihil miſericordiæ, nihil gratiæ, nihil beneficij; ſed, eos qui pleni ſunt, qui abundant, qui exhuberant, inſatiabiliter explemus, augemus impinguamus, cumulamus. Siccine ſtat oleum uaſis uacuis, & ſuperabundat plenis? An uerò, non hoc eſt beneficia proijcere potius, quàm dare? Sed, habenti dabitur inquies, qui autem non habet, & quod habet, auferetur ab eo. Ah, nolite, præcor, tàm impiè, ad ſenſus iniquos contorquere ſcripturas; In mentem potius uobis ueniat locus ille, quem ſupra citabamus. Dignus eſt Operarius cibo ſuo, mercede ſua, & ille qui huic reſpondet. Voca operarios, & redde illis mercedem. Ad hæc enim, confeſtim ſequitur, eo ipſo iure quo hæc ſcripta ſunt, ut non poſſit unus operarius habere duos cibos, duas mercedes, duas Eccleſias, duo beneficia, niſi fortaſſe ille operetur pro duobus, aut ſi duo illa beneficia, ſint tantum unum, uel pro uno. Certe uerò hic eſt modus, hæc eſt forma collationis beneficiorum ſi non decipimur. Conferimus tibi beneficium iſtud, & de eo te inueſtimus, ad honorem Dei, & ſeruitium iſtius Eccleſiæ. Et quis dubitat fundatores Eccleſiarum, & beneficiorum, habuiſſe in uotis, ut quemadmodum relinquebant plura beneficia, ſic haberent multos beneficiarios, non unum beneficiarium, atquè ideò plura officia, non unum officium ſolum? Quod ſi quiſpiam dicat, Vna eſt Eccleſia ſola uniuerſalis, atquè ideò qui ſeruit in una Eccleſia, ſeruit in omnibus Eccleſiis: ille uerè ſe oſtendit eſſe filium irriſorum, atquè adeò dignum, qui irrideatur, non à nobis, ſed à domino, de quo ſcriptum eſt. Qui habitat in cælis, irridebit eos, & Dominus ſubſannabit eos. Profectò uero negari non poteſt, neque debet, quin liberationem animarum è penis purgatorij accelerent magis, cæteris paribus, duæ Miſſæ, quàm una; nequè dubium eſt, quin ipſius Dei Optimi Maxi-*

mi gloriam, illuſtret magis in conſpectu populi, cultus multorum Sacerdotum, qui diuinas laudes perſonent, qui diuina beneficia canant, qui ex ſuggeſtis loquantur ad populum, qui in altaribus Deo ſacrificent, quàm unius tantum Sacerdotis, qui ſibi ſoli canat; quid dico canat? inter dentes loquatur, mußitet, & labia ſua non moueantur; ſed, & ipſa Eccleſia, tàm materialis, quàm myſtica plus multo recipit honoris à pluribus miniſtris Dei, quàm ab uno; neque id in dubium reuocabitur, niſi fortè ab ijs qui ſunt de Eccleſia malignantium, de Synagoga Satanæ, diſcipuli inquàm eorum, qui ſedent in cathedra peſtilentiæ. Itaquè, dum cumulantur beneficia beneficijs defraudantur, & uiui, & defuncti, & beneficia ipſa relicta, & Deus, & Eccleſia ipſa tota; neque ſolum defraudatur ipſa Eccleſia, ut uerum dicam, ſed detruncatur ſuis manibus, ſuis brachijs, ſuis pedibus, mutilatur enim in corpore, in membris, quia tolluntur ei miniſtri ſacerdotes, Clerici, quorum miniſterio, ipſa, ſe ipſam, dum Deo ſeruit, honorat, atquè glorificat. Sed quiſquè quod ſuum eſt uiderit: Noſtris pauperculis beneficiarijs ſatis erit ſi ipſos doceamus, quomodo ſe gerere debeant in ſuis ipſorum, quanta quanta ſunt, beneficijs. Quum autem multa ſint, quæ dicta ſunt, ut memoria teneantur, Ecce quàm breuißimè concludimus. Beneficium non donatur, ſicut neque uenditur, neque emitur, ſed propriè datur. Diſtinctio nota eſt ex ſacris literis inter donum, & datum, Omne datum optimum, & omne donum perfectum, Et donum quidem, non refertur ad aliud: ob id enim tribuitur amori, quia propter ſe donatur, unde & Spiritus Sanctus dicitur donum, ſicut & dicitur amor. Quoniam ergò beneficium non numeratur inter dona, ſed inter data. Audite oraculum Dauidicum, Dedit eis, inquit, regiones gentium, & labores populorum poſſederunt, vt cuſtodiant iuſtificationes eius, & legem eius exquirant. In his ſanè verbis docetur, quod ſit officium veſtrum, quod beneficium, & ſimul declaratur, quod propter officium datur beneficium; non officium propter beneficium. Regiones gentium, & labores populorum, ſpectant ad beneficium: ſunt enim fructus (ut aiunt) beneficij; officium autem eſt cuſtodire iuſtificationes Dei, & legem eius exquirere. Non ergò dicit Rex ille Sapientiſſimus, Dedit eis cuſtodire iuſtificationes ſuas, & legem ſuam exquirere, ut poſſideant regiones gentium, & comedant labores eorum; ſed contra dedit eis regiones gentium, & labores populorum poſſederunt, vt cuſtodiant iuſtificationes eius, & legem eius exquirant. An potuit dicere apertius, Beneficium datur propter officium, non officium propter beneficium? Atq; ideò, qui ſeruit in Eccleſia Dei ſolum, aut etiam principali intentione, vt percipiat fructus beneficij, quum è diuerſo diuino iure quiſq; debeat percipere fructus beneficij hac intentione, ut Deo uacet, & cultui Dei incumbat, Simoniacus eſt Fratres; non ea ſimonia, quæ humano tantum iure prohibetur, & quia prohibita eſt ea tantum ratione ſimonia eſt; ſed, ea vera & propria, quæ

diuino iure prohibetur, quia ſuapte natura ſimonia eſt, atq; ideò abhominabilis eſt Deo, & Angelis eius: nimirum qua ſpiritualia referuntur ad temporalia, & conſequenter temporalia anteferuntur ſpiritualibus. Dura (ſcio) videbuntur, & multis ingrata, quæ dicimus, & facilius fortaſſe inuenies muſcas albas, & teſtudines volantes, quam multos Clericos, quibus hæc ipſa tanta ſimoniæ execratio, cum reliquis quæ de amore ſpiritualium dicta ſunt, niſi frigide placeant: Sed ſi uerè non placent, uerè tamen placere debent, & ſi uidentur dura, ſunt tamen omnino uera. Hoc habet proprium veritas, ut illius facies ſit ſemper auſtera, ſicut contra mendacia blanda. Nolite nolite Fratres ſolliciti eſſe cogitantes, dicentes. Quid manducabimus? Quid bibemus? quo operiemur? An obliti eſtis uerbi Domini? Primum quærite regnum Dei, & iuſtitiam eius, & hæc omnia adijcientur uobis. Dictum ne uero eſt Laicis, & non Clericis? an non prius & potius Clericis quàm Laicis? Ad uerecundiam noſtram dico, nam nulli fortaſſe Laici ſunt adeò auari, quin ſint auariores multi Clerici, qui nunquàm petendi finem faciunt, qui lucro ſemper inhiant, qui nunquam ſatis eſt dicunt, qui tanquàm ſanguiſugæ inſatiabiliter clamant, Affer, Affer. Eſt ſollicitudo ſpiritualium rerum Fratres, eſt & temporalium, eſt ſollicitudo diuina, eſt ſollicitudo mundana. Diuus Paulus hanc, & illam docuit. Qui ſine vxore eſt, ſollicitus eſt, quæ Domini ſunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum uxore eſt, ſollicitus eſt, quæ mundi ſunt, quomodo placeat uxori, & diuiſus eſt. Ergo vos qui per Dei gratiam liberi eſtis à iugu uxorum, qui eſtis cælibes, dignam cælo uitam agite, de hoc vno eſtote ſolliciti quomodo ſeruiatis, & placeatis Deo, ſic enim uobis dixit Micheas Propheta, Indicabo tibi quid ſit bonum, & quid Deus exquirat à te; facere iudicium, diligere miſericordiam, & ſollicitum ambulare cum Deo tuo, id eſt humilem eſſe, modeſtum, & nihil tuis fidentem viribus; iuxta illud Pauli, Cum timore, & tremore ſalutem veſtram operamini, Deus enim operatur in uobis, & uelle, & perficere, & non eſt ex toto in veſtris viribus negotium ſalutis veſtræ; At de temporalibus, Volo vos (inquit idem Apoſtolus) ſine ſollicitudine eſſe, Et Iterum, nihil ſolliciti ſitis; Reddens autem rationem, ſubiunxit, Dominus prope eſt; hoc eſt, Adeſt in ſe ſperantibus, non deeſt, fert opem; atq; ideò uacate, inquit, Deo, ponite curas mundi; Ille enim prouidebit. Et, licet quidem Dilectiſsimi, licet inquàm, oculo quaſi ſiniſtro, & intentione ſecundaria, reſpicere ad neceſsitates ueſtras, ad fructus laborum ueſtrorum, Id exigit infirmitas carnis ueſtræ, nam nemo vnquàm carnem ſuam odio habuit, ſed magis nutrit & fouet eam; neq; verò aliena eſt ſententia illa Apoſtolica. Curam carnis ne feceritis in deſyderijs: illa vox enim in deſyderijs ſenſum aperit, ut intelligamus arceri uoluptates, concupiſcentias, quarum certè nulla eſt habenda ratio; ſed non prohibet curam carnis ad neceſsitates, Quin, & ipſæ facultates temporales Eccleſiaſticæ curandæ ſunt,

dæ ſunt, prouidendæq;, & cum fide & ſollicitudine adminiſtrandæ, ut non pereant, ut non diminuantur, neq; enim deſidiam, otium, inertiamq; fouet; neq; bona Eccleſiæ quæ ſua ſunt, quia pauperum ſunt, vult per incuriam Eccleſiaſticorum dilapidari, & vſurpari à Laicis, CHRISTVS IESVS, omnis prudentiæ, prouidentiæq; magiſter, qum & rerum omnium curàtor, & omninò ipſarum Eccleſiarum vindex, ſed eam ſollicitudinem tollit ab Eccleſiaſticis in primis, Tum verò ab omnibus chriſtianis, quam Dei diffidentia gignit, auaritia quoq;, & ſcelerata habendi cupiditas, adde & turpis luxus, vanitatis ſuaſor, diſſuaſor honeſti, & omnium populator opum. Et quidem in nobis, qui ex ſanguine CHRISTI viuimus, hoc eſt quod Deum offendit, quod animas noſtras condemnat, ſuaptè natura impium, nefarium, ſceleſtum, intolerandum, ſi uel primum, vel, quod grauius multò eſt, ſolum illud ſpectamus ut edamus, ut bibamus, ut induamur, ut molliter delicatèq; uiuamus, neq; tantillum nobis curæ eſt, dum celebramus diuinum officium, ut Deo ſeruiamus, ut Deo placeamus, ut Deum & nobis, & benefactoribus noſtris conciliemus; Poſtquàm enim, Eccleſia eſt Vinea, & Ager Domini, & ipſi in ea poſiti ſumus, tanquàm Vinitores, & Agricolæ, ut in ea laboremus, & ex ea etiam uiuamus; manifeſtum eſt quod primus fructus debetur non nobis, ſed Deo; tanquàm domino Vineæ, qui nos conduxit; & ille quidem fructus, quid eſt aliud, quàm honor, & gloria Dei? iuxta illud, Luceat lux veſtra coràm hominibus, ut uideant opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum, qui in cælis eſt. Omnes porrò ſcitis, quàm ſit Zelotes ipſe Deus, Gloriam, inquit, meam alteri non dabo. Sed enim quis numeret copiam fructuum, qui ex illa gloria ad nos redundant? An non meminiſtis illius menſæ CHRISTI IESV? de qua ſcriptum eſt, Sumens reliquias dedit eis: Hæ ſunt reliquiæ ueſtræ, Fratres, Redemptio animarum noſtrarum à multis pœnis, & huius uitæ, & Purgatorij, ad quas tenemur; ſimiliter & earum animarum, quibus debitores facti, vel conſtituti ſumus; Adde merita ad æternam uitam per gratiam CHRISTI IESV. Tum ſequitur ædificatio populi, Terror omnium Dæmonum, & gaudium Angelorum Dei. Verè ſi ad hos fructus direxeritis oculos ueſtros, pudebit vel ſemel illos aliquantiſper deflectere ad fructus temporales beneficiorum ueſtrorum ad aurum, ad argentum, ad frumentum, ad uinum, ad oleum. Deus ipſe ſolus uerſabitur in animis ueſtris, tanquàm veſtrum & futurum, & præſens bonum, & unuſquiſq; dicet. Non ſit germen in uineis, non ſit armentum in præſepibus. Amigdala non floreat, Mentiatur opus oliuæ, Arua non afferant fructum. Deficiat me lana, & linum, ne panis quidem ſit in domo mea, Mendicent filij, & nepotes mei, ſcrutetur fœnerator omnem ſubſtantiam meam, Ingrediatur putredo in oſſibus meis, & ſubter me ſcateat. Egò uerò delectabor in domino, Ille eſt fundus mearum poſſeſſionum, Poſſeſſiones tolli poſſunt, Fundus mihi tolli non poteſt.

poteſt. O Deus meus, Deus cordis mei, & pars mea, Deus in æternum. Ex te eſt beneficium meum, ad te eſt officium meum, ex te eſt meritum meum, in te eſt, imò tu es omne præmium meum, Tibi laus, & gloria, in ſæcula ſæculorum.

CANONES.

QVAMVIS AVTEM SERVIRE DEO, IN DIVInis *officijs, abſq; ullo temporalis mercedis intuitu maximè deceat omnis ordinis Clericos, tum propter immenſam illam Maieſtatem æterni Dei, cui dignum eſt ut homines & Angeli, & omninò omnia gratis ſeruiant, à quo cuncta, & ſingula gratis creata ſunt; tum quia ſummus ille rerum omnium Dominus, ſupra cæteros homines dignos eos fecit, eximia certè gratia, ut in re tam Sancta, & præcelſa ſibi ipſi publicè famulentur, tum quia illa ipſa diuina ſeruitus, ſi talis ſit, qualis eſſe debet, eſt ſibi ipſi magna merces, & præmium: tamen in Sancta Eccleſia, quam &* CHRISTVS IESVS *regit, & Spiritus Sanctus inhabitat, piè admodum, & religioſè quotidiè fiunt, & accipiuntur dotationes, templorum, altarium, beneficiorum, & exiguntur ſimiliter omnes obuentiones, & redditus, qui ad beneficia, & Eccleſias, dotationis iure, & quolibet alio pertinent, non tàm pro Clericorum emolumento, quàm pro diuinæ Maieſtatis honore, & gloria, ut nunquam deſint, & nuſquam non agnoſcantur ſtipendiarij milites Dei, qui inſtructi armis Orationum, per ſacramenta, & ſacramentalia die, & nocte, contra ſpiritalia nequitiæ in cæleſtibus, contra rectores tenebrarum harum, contra Dæmones, contra peccata, contra filios Diaboli, aſſiduè bella gerant, qui diuina officia celebrent, qui perſoluant Laudes ipſi Deo, & qui apud Deum intercedant pro ſalute omnium fidelium tàm uiuorum, quàm defunctorum.*

SI *qui in populo noſtro ex illis hominibus ſunt, quos religionis nulla cura uel Clericorum odium, aut inuidia tangit, qui proptereà cauteriatam conſcientiam habentes, cæco pietatis, & religionis prætextu in hypocriſi dicant, ſe in hac materia ſcandalum pati, periculum, uel ſuſpitionem timentes Simoniacæ prauitatis: Optamus, hortamurq;, & præcipimus in domino, ut de ueritate, & ratione ueritatis, bona fide à Parochis, adhibitis etiam alijs uiris pijs, & doctis, inſtruantur, quaſi pupilli eſſent, non turba auara, & ambitioſa; Tandem uerò moniti à rectè docentibus, & ambulantibus ſecundum Deum, ſi adhuc moroſi perſtiterint iudicantes, & condemnantes uel Symoniam, uel ſuſpitionem Symoniæ, initium manifeſtum erit, eos non puſillos, ſed Phariſæorum ſimiles eſſe, qui ſe de rectè dictis uel factis præter omnem rationem, offendi uel uolunt, uel ſimulant;*

ſimulant; quos propterea Parochi ad eruditionem aliorum, & ipſorum ſalutarem confuſionem, relinquant in ſuis ipſorum ſordibus, donec toti ſordeſcant. Nam & ipſi, quamuis certè dolentes, & lugentes huiuſmodi homines palam contemnimus, relinquentes eos uni miſericordiæ ipſius Dei, ſicut & Phariſeos contemnendos eſſe palàm docuit CHRISTVS IESVS, dicens. Sinite illos cæci ſunt, & duces cæcorum.

OMNIA quidem peccata, ſecundum Legem Euangelicam, cuius iuſtitia plus multò, abundat, quàm Scribarum, & Phariſeorum, conſiſtunt non tàm in uerbis & factis, quàm principaliter in medullis cordis intrinſecus, unde tanquàm è putrido fonte manat omne impietatis, & iniquitatis uirus. Ob id in Pſalmis Euangelium dicitur Lex immaculata, conuertens animas; hoc eſt non tam cohibens à ſcelere manum, quod & leges humanæ metu pœnarum propoſito faciunt, quàm à mala intentione animum quod ne Moſes quidem facere potuit. Sed tamen hæc ipſa potiſſimum Symoniaca labes, quæ in uendendis, & emendis officijs, beneficijs, omnibuſquè ſpiritualibus Dei donis, & gratijs uerſatur, magna quædam Eccleſiaſticorum peſtis, & eoràm oculis Dei hæreticæ prauitati pæne par, morbus eſt inteſtinus, inhærens animo, quem leges poſitiuæ uix cognoſcunt; tantum abeſt, ut curare tutò poſſint adeò altius eſt iudicium Dei, iudicio hominis; Homines enim uident quæ foris patent; Deus autem intuetur cor. Itaquè hortamur Clericos noſtros, ut antequàm in foro noſtro Epiſcopali, de Symonia, ad eorum reformationem, & ſalutem examinentur prius illi ſe ipſos, & ſuas ipſorum conſcientias examinent. Neque enim dubitamus multos exterius reputari Symoniacos, qui in foro Dei, & conſcientiæ re uera non ſunt, & contra, aliquos non haberi pro Symoniacis, qui re uera coràm Deo Symoniaci ſunt. Illi conſolatione egent, ne ſcrupulis agitati in deſperationem ueniant. Hi remedio opus habent, ne dum phreneſim patiuntur, credentes ſe ſanos eſſe, uno momento concidant, & pereant in æternum.

HISTORIA Apoſtolica nota eſt, unde Doctrina Theologica petenda eſt; Nam Symon ille falſus Samarita perditiſſimus Cacomagus, & uerè Diaboli filius, corruptus auaritia, ideoquè amiſſo lumine mentis, ne peccatum quidem eſſe intelligebat, quod conceptum intus nondum prodierat foras, quanquàm obfirmatum, & deliberatum diù inhæſiſſet animo, in quo & omnis gentium Philoſophia mirum, quàm errat toto cœlo. Itaquè magna ratione Petrus Apoſtolorum Princeps & Eccleſiæ CHRISTI magiſter, ut in re tanti momenti, uniuerſæ poſteritati, in illo uno conſuleret ad ſalutem, aperiretquè uulnus impietatis, ſi fortè exeunte ſanie curari poſſet, cor in ius uocauit, cor accuſauit, cor condemnauit, quod per fœdam, & inſanam habendi cupiditatem, Spiritus Sancti gratiam emere primum, & deindè uendere decreuiſſet, tametſi pecuniam re ipſa nequè dederat, nequè acceperat: Non eſt inquit tibi ſors, nequè pars O Symon

M ij in

in ratione hac : Cor enim tuum non eſt rectum coràm Deo, pœnitentiam itaquè age ab hac nequitia tua, ſi fortè remittatur tibi hæc cogitatio cordu tui, Exiſtimaſti enim iniquè donum Dei pecunia poſſideri. Hinc apud Patres, relicto ſeruo illo nequàm, qui ſpiritus Sancti donum rę ipſa uendidit, ab uno illo Symone, qui animum ſolum adiecerat, ut Spiritus Sancti gratiam primum emeret, tum uenderet, utraquè labes & emendi, & uendendi unum hoc Symoniæ nomen accepit. Unde palàm apparet non pecuniam datam uel acceptam, ſed dandi, uel accipiendi intentionem corruptam facere Clericum Symoniacum.

ENIMVERO *Clericus qui nequè ritè, nequè rectè uocatus, ſibi aſſumit honorem, qui ignorat officium Eccleſiaſticum habere finem omnibus humanæ uitæ finibus, longè ſublimorem, nempè æternam ſalutem animarum, qui nondum abiecit auaritiam, ſceleratam illam habendi cupiditatem,*

Quæ miſeros homines cogit tranſcendere fines
Iuris;

Is præſumi uix poteſt, dum ei confertur beneficium propter officium, dum ille Spiritualia miniſtrat, & temporalia recipit, ut habeat intentionem ſimplicem, & rectam, hoc eſt oculum ex toto lucidum, in quo nihil ſit tenebrarum, atquè ideò ſi quid uel dando, uel recipiendo delinquat, de Symoniaca labe rationabiliter ſuſpectus eſſe poteſt. Quod ſi ſuſpitionem ſignis uel indicijs manifeſtis oſtenderit à manu, à lingua, ab obſequio, in foro Eccleſiæ meritò iudicabitur.

AT *uerò ille, qui eſt rite uocatus, qui habet ſcientiam, & conſcientiam, cuius mores ſunt contenti præſentibus ſine auaritia, ad piam (quam ſupra diximus) Sanctæ Eccleſiæ intentionem conformatus, poteſt abſquè ulla ſuſpitione rationabili intentionis Symoniacæ obligare ſe ſe ad miniſtrandum ſpiritualia, recipiendo ad honorem Dei, tanquàm ſpiritualis militiæ, debita ſtipendia, & pro cibo, & ſua ipſius ſuſtentatione temporalia, quia lucerna huius corporis, & hic oculus, & ſi oculus ſimplex fuerit, totum corpus lucidum erit.*

LVCIDVS *eſt oculus corporis, pura, & ſimplex eſt intentio mentis, ſi Clericus ius quod habet officij, & beneficij in Deum referat, cui & agat gratias, quòd ad tantam dignitatem cum tanta commoditate, illum aliòquin immerentem, & indignum uocauerit, ſi obligationem Laicorum non herili ſæuitia, ſed paterna charitate requirat, ſi fructus non tanquàm deſperatas pecunias uiolenter, ſed tanquàm iura debita pacificè exigat, nequè uerò auarè tanquàm diues homo recondat, ſed tanquàm pauperis* CHRISTI *pauper miniſter largè, liberaliterquè diſpenſet.*

HAEC *ſanè tria indicia ſunt, quod dum obligauit ſe Clericus ad diuinum officium, & ad miniſtranda ſpiritualia, ſi per humanam infirmitatem ferebatur*

tur animus ad beneficium, & ad temporales fructus beneficij, non primò tamen neque principaliter ad ea direxit oculum mentis tanquàm ad finem officij, & ſeruitutis ſpiritualis, ſed ſecundaria intentione tantum, uelut ad rem diuino iure debitam, & ſubſidium neceſsitatum ſuarum; ut perſeuerare poſſit in ſeruitio Dei, undè & propterea inexcuſabilis habendus ſit, ſi in ſeruitute tàm nobili, & tàm commoda uerèquè digna Regibus, negligens aliquo modo fuerit. Itaquè niſi aliud appareat, nihil in eo eſt tenebrarum, ſed eſt lucidus totus, alienus inquàm in oculis Dei à Symonia, & ab omni ſuſpitione Symoniæ.

NEQVE *uerò propterea Symoniacus, aut etiam legitimè ſuſpectus habendus erit, ſi ſemel & iterum, antequàm ſpiritualia diſpenſet, uel miniſtret, temporalia emolumenta fortaſſe percipiat, poſtquàm illi (ut dictum eſt) pro ſuis ipſius neceſsitatibus, & pro ipſius Dei gloria diuino iure debentur; Quanquàm fraternè monendus eſt à Vicario noſtro, ut iuxta Doctrinam illam Apoſtolicam, Ab omni ſpecie mala abſtinete uos, & iuxta præceptum Domini; Iuſtè quod iuſtum eſt exequeris; non aſſueſcat antequàm ipſa Sacramenta diſpenſet, nequè in ipſo actu diſpenſandi, uel miniſtrandi, exigere aliquid, ne id quod bona intentione fit, ſiniſtrè, & in malam partem accipiatur; unde ſcandalum graue, ipſo inſciente, oriatur in populo, ut credat illum non fuiſſe adminiſtraturum ſpiritualia, niſi prius temporalia percepiſſet, quod omninò, ad Symoniacam labem pertineret in utroquè foro. Adeò neceſſaria eſt Clerico præter ipſam intentionis ſimplicitatem circunſpectio, & multa prudentia, illa propter ſe, & coràm Deo, hæc propter populum, & coràm hominibus mundi, quia illa ſibi ſoli proficit, hæc etiam alios ædificat.*

IA'M *ſi aliquis eſt, qui uel ſolum (quod abſit) uel etiam (quod de multis certè timendum eſt) principaliter oculum habeat ad temporalia, & per illa, & propter illa moueatur ad ſeruiendum Deo, ſitquè finis eius, uel ſolus uel præcipuus ditari, & in otio pingueſcere de* CHRISTI *panibus, delicatè paſci, benè ueſtiri ſine labore, & ſine ſollicitudine: veh illi miſero, & palàm perdito, nam & in paruis muneribus, ſi hoc fiat propter illud, Symonia committitur in foro Dei, & conſcientiæ. Quid quod ſi quiſpiam amicus pecuniam forſam, aut aliud quod æſtimatione, & prætio dignum ſit, me etiam prorſus neſciente obtulerit, ut mihi Eccleſiaſticum beneficium conferatur, ipſe re intellecta, niſi efficaciter contradixero, ero Symoniæ reus in occulis Dei? Quàm mundi ſunt oculi tui Domine Deus? qui ne reſpicere quidem poſſunt ad ſpeciem turpitudinis, ut illam uel ſemel probent, uel æternum diſsimulent?*

SED *in profundum malorum quò ad Symoniam, ille infelix veniſſe uidetur, qui non ſolum beneficij temporalis intuitu mouetur ad ſeruiendum Deo, ſed ipſum beneficium habet pro toto prætio ſeruitutis Dei, oculos nunquàm attollens ad cœlum, nequè tantillum in terra, cogitans de mercede æterna uitæ,*

ſed totus repens humi, tanquàm filius terræ, conferens in corde ſuo, & æquans temporalia ſpiritualibus, & ſpiritualia temporalibus, Officia beneficiis, beneficia Officiis, perinde ac in commercijs ciuilibus commutationes fiunt unius rei pro altera, & ſicut in uenditione, & emptione datur pecunia pro omnibus rebus; In foro Eccleſiæ quidem, niſi aliquid foris appareat, ne ſuſpectus quidem eſt, qui huiuſmodi eſt, ſed in foro Dei, cui omne cor patet, cui omnis uoluntas loquitur, & quem nullum latet ſecretum, ipſe eſt Symon, ipſe inquàm eſt Symon: Oh, Oh, fugite, recedite, nolite tangere eum, ne inuoluamini in peccatis ſuis.

HVIC impietati, ſi addas errorem intellectus, quo Clericus verè credat, ita rem habere, quod inter beneficia, & Officia, ſit ratio uenditionis, & emptionis, quod unum ſit pretium alterius, iam ex ſymonia facta eſt hæreſis. Da deinde hæreſi pertinatiam, habebis ex ſymoniaco formatum hæreticum. En tibi viperas, & genimina viperarum.

SERMO

SERMO AD SYNODVM, DE DIVINO OFFICIO.

OPTARIM HODIERNA DIE, CONSACERDOTES, *vt ex beatis illis cœli ciuibus, qui hæc noſtra circunſtant altaria, qui in noſtras haſce excurrunt & euolant acies, vltimus ſaltem in noſtras aures illaberetur, & de cultu Dei, de diuinis laudibus, deq; diuino officio, quod tàm primates, quàm omnes milites cœleſtis exercitus, illi ipſi æterno Deo irrequieta uoce concelebrant, nos omnes erudiret. Ipſi enim qui ſumus, ut de re tanta loqui, aut temerè velimus, aut pro dignitate ualeamus? Sed tamen nulla res eſt, de qua, tàm ſerium, & copioſum ſermonem habere oporteat patres cum filijs, quàm de officio, quod erga Deum omnium rerum quaſi parentem, & piè ſuſcipi, & religiosè perſolui debet; undè uelut ex fonte & capite omnes virtutes, & omnia officia manant; unde Prudentia lumen cognitionis accipit; Iuſtitia quod ſuum eſt unicuiq; tribuit; Vnde fortitudo animo ſemper eminet; Temperantia lineam nunquàm transgreditur; Vnde demum ad Dei gloriam, & honorem & congregatur, & concinnatur omnis uirtutum chorus. Scitote igitur Filij chariſſimi, ſi ab efficiendo uox officij deducta eſt, & illud uocatur officium, quod ſecundum rationem effici debet, ut ſit nomen commune omnibus rectè factis. Scitote inquàm nihil eſſe poſſe nobis, tàm decorum, quàm die nocteq; conuenire ad templum Domini, & Maieſtati eius per* CHRISTVM IESVM *depòndere hoc ſacrificium laudis. Contra, nihil eſſe poſſe uobis tàm turpe, quàm ceſſare ab officio, & à diuinis laudibus. Bonorum noſtrorum non indiget tanta illa Maieſtas Æterni Dei, non indiget noſtræ laudis, non noſtri Thuris, non noſtrorum officiorum, ſed nos quum ſimus mali, alia ratione boni eſſe non poſſumus, niſi ex ijs,*

quæ ipſe Deus ad nos perferre voluit, illum amanter laudemus, colamus, & glorificemus, ſcientes nos ex ipſo, & in ipſum fuiſſe conditos & redemptos; ut ex ipſo, & per ipſum boni & beati ſimus. Tenuiores amici potentioribus aliqua ſaltem parilitate æqualitateq́ reſpondere, poſſunt; at uerò conſtat nullam unquàm rationem inueniri poſſe, qua Homo & Deus in ratione dati, & accepti, ut diui Pauli uerbo utar mutuo iure æquari poſſint, niſi ſe totum homo, etiam ſi omnia illius iuſſa perfecerit, etiam ſi nihil unquàm peccauerit, Deo ipſi perpetuò deuinctum, & obligatum putet. Duo ſunt inter homines liberalitatis genera, quæ inuicem exercentur, unum dandi, alterum reddendi beneficij; & ad eximiam quandam noſtram præclaramq́ uirtutem pertinet, ut in beneficijs conferendis, & referendis alter cum altero generoſo certamine contendamus, ne aliquandò, aut uicti, aut obliti eſſe uideamur, unde demum in illos, qui nos beneficijs ornauerunt, ingratiſſimi ſimus, quod immanitatis eſt omnem humanitatem repellentis. Meritò ergò Eccleſia Sancta Dei, quoniam cum immortali illa beneficentia creatoris aliquo pacto certare non poteſt, dum in diuinam Maieſtatem ſemper intentos habens oculos, undiq́ uictam ſe uidet beneficijs, per ſingulos dies, & meliores cuiuſq́ diei horas cum ipſo Deo piè contendit officijs. In altari Deo immolamus hoſtias, in choro canimus diuinas laudes, illud non eſt niſi Sacerdotum, hoc eſt Clericorum omnium, utrunq́ eſt officium, utrunq́ eſt ſacrificium: porrò relicta ipſi Miſſæ præcelſa illa appellatione ſacrificij, quæcunq́ ſtatis horis in Choro canimus, aut legimus hoc ipſum diuini officij nomen ſingulari, quadam poſt ſacrificium altaris excellentia, & dignitate, uelut proprium ferè, & peculiare obtinerunt. Siquidem & in Euangelio Lucæ, cuius laus eſt per omnes Eccleſias, uetus illud miniſterium Zachariæ Sacerdotis, quo ſecundum ordinem uicis ſuæ fungebatur in templo, officium appellatum eſt; Et David Rex quum pulchrum glorioſumq́ putaſſet cantare & pſallere, coràm archa Dei, tametſi reprahenſus à coniuge, quæ diuini amoris, ac deſyderij, ſtimulos nondum experta erat, idipſum munus canendi Deo, ſicut notauit Diuus Ambroſius uocauit decorum, quod primum locum habet in officijs. Et quidem ſi uera eſt ſententia illa Oratoris; In officio colendo ſita eſt omnis honeſtas, & in negligendo omnis turpitudo, de hoc ipſo diuino officio, quod eſt officium omnium officiorum, maxime eſt intelligenda, hic quadrat, huc applicanda eſt, hic locum habet. Profectò enim quod duce Natura, nemo non intelligit hominis in lucem editi, & uix inſtituti primum omninò officium eſt, ut Deum ipſum tanquàm parentem agnoſcat, ueneretur, adoret, uitamq́ omnem ad illius honorem, gloriamq́ conſerat; nimirum ut quod abs Deo habet, Deo reddat, & ea omnia, quibus per Dei gratiam ſuo ipſius libito utitur, per Dei cultum, & deuotionem, ut ipſe imperauit, ſanctificentur; Quod ſi ab honeſto, & ab utili ducitur officij ratio, ſiue cum ethnicis id quod honeſtum eſt, referatur ad uitæ præſentis decus, & quod utile

ad com-

ad commoda; ſiue quod habetur ex noſtris fontibus illa ipſa futuræ fœlicitatis ſpe, & gratia utriuſq; rationem, & uerius, & rectius metiamur; hic ipſe Dei cultus magno iure primum eſt atq; præcipuum, ſimpliciterq; & abſolutè dici debet officium, cuius religione, & cultu illud efficitur, quod nemini officit, quod nemini non proficit, ut uere non officium ſolum communi uoce dicendum ſit, ſed illud officium præcipuum, quod Græci dicunt κατόρθωμα, quò etiam omnia in reliquis officijs errata, & lapſus corriguntur, emendantur, remittuntur, non imputantur, Deo ipſo nimirum ſeruos ſuos Sacerdotes reſpiciente, & per CHRISTVM IESVM Sacerdotij fontem, & principem peccata populi ſæpius miſerante hoſtiasq; & uitulos labiorum noſtrorum, non propter nos quidem, ſed propter diſpenſationem, quæ nobis credita eſt in odorem ſuauitatis excipiente. Sunt igitur hæc diuina officia conſtituta, tanquàm uectigalia publica, quibus piè & fideliter agnoſcatur, & recognoſcatur diuina Maieſtas. Quæ propterea Sancta Eccleſia omnium fidelium mater, à ſingulis Clericis publico totius Chriſtiani populi nomine quotidie exigit, ut ab illis exerceantur etiam ante lucanis horis, uetans lege perpetua, ne quiſpiam eorum appareat vacuus in conſpectu Dei. Ecquàm multa, quàm uaria, & multiplex materia diuinorum officiorum, quæ per totum anni circulum celebrantur? multa nimis, & nunquàm deſit, uaria autem ut ſemper delectet. Tantam ſyluam quis cedat? imò uerò quis ingrediatur? Vniuerſa diuinarum rerum hiſtoria Fratres, quæ ab æternitate in æternitatem extenditur, materia eſt diuinorum officiorum; ſed tamen ne tantarum rerum infinita pœnè mole grauemini, Scitote hunc orbem, hanc rotam, perpetuò uolui & reuolui circa hæc decem capita rerum, quæ omninò ſunt uiſcera, & medullæ, imò uerò cor & anima uniuerſæ ſcripturæ, ut omninò Sancta Eccleſia legem, Prophetas, Pſalmos, Euangelia, Epiſtolas, Actus Apoſtolorum, & ipſam quoq; Apocalypſim in ipſo diuino officio defloraſſe uideatur.

IMMENSVM illud cœli & terræ opificium primum locum habet in diuinis officijs, vndè manus illa gentium quæ Deum ignorant, Philoſophia confunditur, & quaſi animam, ac ſpiritum accipit Chriſtiana Religio, quæ Deum omnipotentem credit, eumq; ſolum æternum prædicat, nam & faciem huius mundi præterituram docet, vtiturq; propterea hoc mundo, tanquàm non utatur, temporalia contemnens, quæ tranſeunt cum mundo, ad æterna ſuſpirans, quæ expectantur poſt mundum.

SECVNDVM caput eſt. Lapſus protoparentis in peccatum, & mortem, vnde nata eſt tanta illa totius humani generis corruptio, & tabes, quæ ab origine peccati originalis nomen accepit, propter quod occaſione accepta, Pater Miſericordiarum proprio filio ſuo non pepercit, ſed ne periremus omnes nobis omnibus tradidit illum. Quanta gratia? quanta? quanta?

TERTIVM eſt Generatio Patriarcharum, non exempta, quidem à com-

muni

muni illa originis labe, ſed tamen ante legem Moſe electa ab ipſo Deo, ut ex eorum ſemine naſceretur CHRISTVS, *qui peccatum illud uetus aboleret, mortem deſtrueret, hominiſq́ naturam cumulatiore gratia ſanctificaret.*

TVM *proximè accedunt antiquitates Iudaicæ in exitu de Ægypto, in lege Moſe, in tabernaculo, & archa, in ſacerdotio, in captiuitate Babylonis, & reſtitutione ex terra aliena in urbem patriam: Umbræ nimirum, & figuræ nouitatis Euangelij in myſterijs Incarnationis, Crucis, Mortis, Reſurrectionis, in perſecutionibusq́ & uictorijs, & triumphis Eccleſiæ* CHRISTI IESV, *quæ quoniam uinci neſcit, neq́ poteſt, tum demum uincit & triumphat, quum ab Aduerſarijs ſuis deuicta, & triumphata uidetur.*

SEQVITVR *uocatio gentium, reprobatio Iudæorum, gloriaq́ Chriſtianæ Reipublicæ, quæ per Apoſtolicas prædicationes fundata tanquàm Regnum Dauid, ſeruante, protegenteq́ Deo durabit in æternum, neq́ unquàm finem habebit, donec* CHRISTVS *iterum adueniat iudicaturus orbem terræ, & poſiturus inimicos ſuos, ſcabellum pedum ſuorum.*

ECCE *habetis quinq́ capita diuinorum officiorum. Eſt ergò ſextum caput Doctrina Theologica de ipſo Deo, eaq́ & unita & diſtincta, quæ per* CHRISTVM IESVM *mundo innotuit, & iam per gratiam eius ſuſcepta eſt, & credita inter omnes gentes, cuius illa uox eſt, quæ etiam auditur in orbe nouo, Benedicat nos Deus, Deus Noſter, benedicat nos Deus Pater, Filius, & Spiritus Sanctus; & metuant eum ipſum unum Deum omnes fines terræ.*

SEPTIMVM *locum tenent Laudes Prouidentiæ ipſius Dei Patris in filio per Spiritum Sanctum ſuper omnes creaturas, maximè uerò ſuper homines, & ſuper omnes electos eius, quorum gratia condita ſunt, & conſeruantur omnia.*

SOLENNES *Memoriæ, celebritateſq́ omnium ordinum Sanctorum Angelorum, & qui Deo aſsiſtunt, & qui abs Deo in miniſterium mittuntur propter eos, qui hæreditatem capiunt æternæ ſalutis, Octauum numerum implent in diuinis officijs.*

QVEM *nono loco ſequuntur pugnæ & bella malorum ſpirituum, qui ab initio apoſtatæ facti, hominem in paradiſo ſeduxerunt, & per omnes ætates non ceſſant circuire, quærentes quem deuorent, ut contemnatur Uerus Deus, & ipſi colantur quaſi Dij.*

DENIQVÈ *uerò ad implendam decadem quaſi in Theatro, & uerbis & exemplis proponitur inter celebrandum diuina officia, ſtatus animarum, & in corpore & extra corpus moreſq́, & eruditio, ac diſciplina, ut præceptorum, ſic & conſiliorum Euangelij, quibus pro coronide adijciuntur ſolennes memoriæ, laudes, hiſtoriæq́, & uitæ Patrum noſtrorum, qui pro* CHRIST[illegible]*nc lucem peroſi in ſpe certa futuræ uitæ, ſua corpora, tàm libenter trad*[illegible]*n mortem; idq́ ut ipſi omni ex parte accendamur ad ſeruiendum Deo* [illegible],

qui

qui eſt benedictus in ſæcula. Et haud dubiè ſicut decas eſt omnium numerorum meta, & terminus, ſic hæc ipſa diuina officia, quæ obeunt. Clerici continent quicquid neceſſarium eſt ad ſalutem noſtram; Omninò enim in hoc ipſo circulo diuinorum officiorum plenis numeris docetur uita Chriſtiano homine digna, & contemplatiua, & actiua. Hæc quæ mores inſtruit, illa quæ fidem illuminat, hæc quæ ad virtutem pertinet, illa quæ ad fœlicitatem tendit; hæc quàm exercemus, illa quam habemus in votis.

NVNC *forma ipſius officij ſi ſe vobis aperiat Reuerendi Fratres. Planè verò uidetur per omnes & ſingulas horas eminere ſoris hanc ipſam ſpeciem, ne dicam formam uel ritum: nam vbiq; audimus Lectiones, Pſalmos, Hymnos, Preces, verſiculosq;, & reſponſoria, atq; Antiphonas.*

ET *lectiones quidem loco doctrinæ haberi debent, quippè quæ de varijs rebus, & uarijs modis pro qualitate temporum, ex multiformi ſapientia Dei in ipſo Choro, tanquàm in ſchola Eccleſiæ Sanctæ grauiſſimè docent, & illuminant attentas audientium mentes.*

VERSICVLI, *antiphoneq;, & reſponſoria ferè excitant dormientem plebem, ut laſſa, & torpida euigilet à ſomno, ſurſumq; erigatur auribus, & animus ad diuinas contemplationes, quas uel primum hauriat, uel hauſtas ruminet.*

PSALMI *quos cecinit Dauid uirga, uoce, cantu, fiſtula, ipſa ſublimitate diuinarum rerum rithmi & poeſis gratia, ſuauitateq; muſicæ, mirum quantam uim habent ad leniendos, & tollendos quoslibet animarum noſtrarum languores, quibus ſæpè peſcunt in rebus diuinis.*

PRAECES *Thronum diuinæ gratiæ cum fiducia adeunt, quæ ignitæ ſunt, tanquàm ſagittæ Ionathæ, ut non abeant retrorſum, undè & in animis pijs, non ſolum infigunt, ſed & admirabiles relinquunt aculeos.*

HYMNI *dulciſſimè ſimul & altiſſimè magnalia Dei loquuntur, & canunt. Nam ipſa uox hymnus apud gentes appoſitè laudem Dei cum canticu ſignificare uidetur.*

SIC *habetis Dilectiſſimi Fratres, principium, finem, rationem, materiamq;, & formam diuinorum officiorum; Iuxta hæc omnia igitur, quæ dicta ſunt, Hortamur in Domino Clericos, & Laicos, ut ad ſummam poſtquàm Sancta Eccleſia de more auſpicatur omnia diuina officia ab hac oratione, Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me feſtina, & ſimiliter omnia concludit hac uoce Benedicamus Domino, Deo gratias; hoc unum addiſcant, & perpetua religione obſeruent; In principio cuiuſcunq; operis inuocandum eſſe Deum, & in fine gratias habendas eſſe Deo. Quia ex Deo omnia, & in Deum omnia; neq; enim quiſquàm fœliciter aliquid auſpicatur ſine gratia Dei, neq; quomodolibet operetur promereri poteſt æternam uitam, ad quam omnes ſuſpiramus niſi*

in cun-

in cunctis intentio eius habitu ſaltem uel uirtute referatur ad Deum. Obſeruandum quoq; illud eſt diligentiſſimè quod Eccleſia Sancta Dei, tanquàm ſapientiæ, & humilitatis magiſtra, dum uota, quæ religioſè ſuſcepit, pie ſanctèq; perſoluit, diuinis officijs finem faciens exilibus innocentium puerorum cantibus claudit omnes & ſingulas horas; pueri enim ſunt qui de more intonant dulciſſimum illud melos, Benedicamus Domino. Id autem fit non ob id ſolum, ut ſciamus quàm in conſpectu Dei ſit ſpecioſa laus ex ore infantium, & eorum qui mundi ſunt à mulieribus; ſed ut omnes admoneamur infantiæ noſtræ, & ut quiſq; intelligat quantumuis per ſingulas horas omnibus viribus laudauerit, & glorificauerit Deum; ſibi tamen, & humiliter & verè exclamandum eſſe Ah, Ah, Ah, Puer ſum Domine, neſcio loqui, atq; ideò accendantur & ſinguli & omnes, vt quòminus ſufficiunt, eò magis audeant in diuinis obſequijs, & laudibus, iuxta illud. Laudate Deum quantum poteſtis, maior eſt enim omni laude. Illud tertio notari cupimus ſumma attentione animi, ſumma fide, & religione, quod Sacerdotes, & Clerici omnes tanquàm uno corde, & deſyderio quærentes videre Deum, dum diuina officia in choro celebrant, in ipſum CHRISTVM IESVM defixos tenent oculos, tanquàm in totius diuini cultus principium, medium, & finem, & ne à religione declinent omnibus, & ſingulis horis ex ipſo CHRISTO inſiciunt, per ipſum CHRISTVM procedunt, in ipſum CHRISTVM finiunt, Læti & hilares ducentes choros, & ſubſilientes coram myſtica archa æterni illius fœderis, quod pepigit Deus cum hominibus, & placata eſt nobis anima eius. Ob id in frontibus quoq; ipſorum Sacerdotum apparet non iam lamina aurea, ſed loco laminæ glorioſum illud CHRISTI ſignum, inæſtimabile ſignum, Crux inquàm potentiſſima, qua per omnes horas armati Sacerdotes nunquàm non terribiles ſunt diabolo, & Angelis eius. Sanè hac ipſa Cruce ſignati ipſo officij initio Deum inuocare audent, inter officia confidenter glorificant, omnia officia tandem lætiſſima gratiarum actione concludunt, per Dominum Noſtrum IESVM CHRISTVM ad eum conuerſi ora & vultus. Inde enim velut tacito quodam eloquio ab Eccleſia Sancta admoneri uidemur, ut perpetuò meminerimus nos eſſe emptitios ſeruos CHRISTI, atq; ideò oportere, vt militemus CHRISTO, vt in omnibus viuamus CHRISTO, vt laboremus propter CHRISTVM, & ſiue intus, ſiue foris nullum aliud ſignum præferamus, quàm ſignum Crucis, tanquàm Athletæ CHRISTI, qui ſuam ipſius Crucem fecit ſignum Victoriæ, ſignum quod & greges vulpium, & turmæ Luporum, atq; Leonum, hoc eſt hæreticorum, Philoſophorum, & dæmonum, tanquàm fulmen è cœlo immiſſum, formidant, & fugiunt. Omnia alia ſigna ſuperſtitionem ſapiunt, ſola Crux Chriſtianis hominibus, & ſignum veræ religionis, & pietatis. Sed iàm poſt πατέρα ad κεντρα deſcendendum eſt, ſanciendum, ſtatuendum, decernendum.

SEQVVN-

SEQVVNTVR CANONES.

QVIA ad diuinum officium tanquàm ad publicam, & communem in Eccleſia ſeruitutem miniſtri Dei, ut ſeorſum ſinguli,ſic ſimul omnes iure tenentur, Præcipimus ut paulò antea quàm eatur ad celebrandum officium matutinum, quod ferè præparatio eſt, & ianua ad ipſum totum officium. Hebdomadarius primum, uterquè magiſter Chori, omneſquè & ſinguli, qui iam adſunt clerici, ſubdiaconiquè, & diaconi, cum deuotione, & ſilentio religioſè conueniant, quaſi vir unus, in ipſum ſecretarium, indequè cantantes aliquem ex breuioribus pſalmis, ſeù hymnis, aut etiam antiphonam unam officio celebrando congruentem, iudicio illius cantoris, vel eo abſente ſuccentoris,cui Chorum ea hebdomada regere, & gubernare contigerit bini, & bini ſuo ordine procedant ad orientalem portam Chori,per quam ſine ullo ſtrepitu, & cum omni reuerentia, unus poſt alium ingrediantur; & facto de more ſigno per Hebdomadarium ad ipſius Dei gloriam, auſpicentur, & proſequantur hæc ipſa ſancta, & diuina ſeruitia.

PROHIBEMVS Hebdomadario ne incipiat matutinum officium, niſi ad minus ſint præſentes duodeni præsbyteri, qui diuiſi in Choros ſe ſe inuicem ad exultandum, & iubilandum Deo inuitare poſſint, & cum decoro templi alternare uocibus. Ideoquè Magiſtro Ceremoniarum, & magiſtris Chori curæ ſit, ut qui ea hora hinc inde per Eccleſiam diſperſi ſunt, tanquàm apes ad mellificandum congregentur in Choro ad ſeruiendum Deo, in quo uno omnium noſtrum ſalus poſita eſt.

SCIANT Omnes Clerici etiam nondum in ſacris ordinibus conſtituti, ſe in foro conſcientiæ, & coràm Deo, ſi modò beneficiati ſint, teneri ad celebrandum diuinum officium; quia finis gratia cuius, & inſtituta ſunt, & de iure conferri ſolent ipſa beneficia eſt ipſa celebratio diuini officij.

QVI de more pro foribus templi deambulant,aut etiam ſtant in atrio, & in porticu, obſeruantes quaſi in inſidijs ut officium prius incipiatur quàm illi loco ſe moueant,& congregentur cum cæteris ad laudandum Deum; illos Punctator cenſeat prorſus abſentes, ità ut nullum punctum referant, etiam ſi primum deinde pſalmum dixerint, cum cæteris. Vicarius autem ſecunda uice in eorum quemquè ſeuerè animaduertat, ut eorum exemplo perterriti Clerici parum deuoti ſtudeant fieri participes timentium Deum, & paulatim introducto amore per timorem, nam & ſeta introducit filum, deliberare incipiant, ut & aliquandò

guſtent,

guſtent, quàm ſuauis eſt Dominus, & quàm melle, & fauo dulciora ſunt, purgatu faucibus, eloquia ipſius Dei.

HEBDOMADARIUS quacunquè alia præterquàm infirmitatis cauſa impeditus, ſi ſecunda uice, aut aliquantò diutius expectatus fuerit à cæteris, quum ille ſemper primus venire debeat, & expectare cæteros; aut officium non ille ipſe inceperit, ſiue etiam, non ritè ſuo ordine vſquè ad finem proſecutus fuerit, vnius Tareni pœna mulctetur, cuius medietas ſit ipſius magiſtri Ceremoniarum, ut ſtatim illius loco quum iterum defuerit, ſuo muneri alium ſubſtituat idoneum, & in primis timentem Deum, curetquè nequid vlterius ſcandali, aut etiam dedecoris accidat in ipſo Dei cultu.

TENEATUR Magiſter Ceremoniarum denuntiare ſtatim vicario noſtro hebdomadarij negligentiam ſub pœna duorum tarenorum per ſingulas uices. Quod ſi ille rem ipſam, aut ex toto neglexerit quocunque prætextu, aut ad tempus diſſimulauerit, publicè confundatur: quia tanta indignitas facti, cuius exemplo cæteri omnes inuitarentur non ad negligendum ſolum, ſed etiam ad contemnendum diuinum cultum, nefarium eſt, ſi contra publicum fas aliquo excuſationis pallio obtegatur. Magiſtro Ceremoniarum abſente id oneris incumbat Magiſtru Chori.

ADMONEMUS ipſum magiſtrum Ceremoniarum cuius onus eſt deſcribere tabulam officialium Chori, ne in deputandis uel deſcribendis hebdomadariis amori quandoquè ſiue odio ſeruiat, vel plus æquo indulgens lateri dextro, vel plus iuſto onerans latus ſiniſtrum Chori, aut ex vno uel altero latere deſcribens eum qui deſcribendus non ſit, aut eum qui deſcribendus ſit non deſcribens; ſed ita iuſtitiam ſeruet, ac teneat ut latera Chori ſint paribus librata ponderibus, nulliquè ex præsbyteris noſtru in quocunque latere collocatus ſit ulla prorſus fiat iniuria.

NE verò aliquis occaſionem inde accipiat ſuperbiendi, & contemnendi eum ſub prætextu illatæ iniuriæ, ut ut contigerit, Iubemus ſub grauiſſimus pœnis, quas noſtro arbitrio reſeruamus, vt quiſquis à Magiſtro Ceremoniarum vel deſcriptus, uel ſubſtitutus fuerit, ſtatim abſquè ulla contradictione illi pareat, & in officio ad illius imperium famuletur, dicturus poſtmodum cauſam ſuam coram Vicario noſtro, ſi pro illo iura militauerint. Sciantquè ipſi etiam Canonici, & Dignitates nos neminem ab hac lege eximere, quam motu proprio, & ex certa ſcientia ſancimus, & firmatam eſſe volumus, vt diuinorum officiorum cultus rectè, & ritè ſumma cum pietate, pacequè & quiete, & abſque omni ſcandalo quòad fieri poteſt peragatur. Propterea illi ipſi magiſtro Ceremoniarum præcipimus, ut quoſuis ſibi non parentes in Choro, quòad Dei cultum pertinet, ſtatim deferat Vicario noſtro, aliòquin ipſe arbitrio Epiſcopi, vel Vicarij puniendus. Ipſe autem Vicarius inobedientem pro qualitate inobedientiæ puniat, acrius tamen

men quàm mitius, ut tranſeat ad alios in exemplum, & pœna unius, ſit mœtus multorum.

CANTORES & in eorum abſentia ſuccentores ſunt rotæ, & curſus, qui portant orbem diuinorum officiorum; Ergò utrique intelligant id unum illis agendum eſſe, ut nunquàm eorum præſentia in celebrandis officiis deſyderetur; gaudeantque propterea in ſuo ipſorum ſinu, quòd beata quadam neceſſitate alligati ſint diuino ſeruitio; ut ſemper ſint mundi corde, & corpore tanquàm ſemper ſtantes in oculis Dei, qui ſcrutans corda, & renes, uidet etiam ultimos receſſus cogitationum noſtrarum; Rem porrò inter ſe ſe ità componant; ut quum ad id muneris ſint duo Clericorum paria, unum ad minus ſemper diebus feſtis uideatur, & audiatur in Choro; Et perinde ac ſancta illa Seraphim Cantor Cantorem, Succentor Succentorem reſpiciat, duoſque Chori ſemicirculos ambo de more, unus ex latere dextro, alius ex ſiniſtro impleant cantibus.

INCAEPTO mane diuino officio, nemo quouis colore, neque etiam celebrandi Miſſam, aut audiendi confeſſiones, diſcedere audeat, niſi ab ipſius Eccleſiæ Archipræsbitero, ad quem Vicario noſtro abſente perinde ac ad ipſum Vicarium totam diuini cultus ſummam referri par eſt petita, & obtenta licentia: aliòquin qui ſemel diſceſſerit ex eorum albo, qui puncta ferunt, deleatur, qui ſecundò mulctetur pœna pecuniaria, qui tertiò detrudatur in carcerem ad arbitrium Vicarij.

IPSVM diuinum officium non curſim, non oſcitanter, non perturbatè, aut tumultuariè, ſed quanta maxima poteſt diligentia, diſtinctè, maturè, grauiter, ſtudioſèque, & cum intermedia pauſa perſoluatur ab omnibus ipſi Deo. Sitque onus Reuerendi Archipræsbiteri admonere, corripere, obſecrare, increpare in omni charitate, quoſuis Clericos, ut non ſemel intelligant Deum ipſum diligere pios, deſpicere indeuotos, euomere tepidos, negligenteſque, perinde ferè ac impios deteſtari, ſicut ſcriptum eſt. Maledictus qui facit opus Domini negligenter. Super quo ipſius Archipræsbiteri conſcientiam præ cæteris oneramus.

QVIA autem dum pſallitur, omnes pſallunt, & ſimiliter dum oratur omnes orant, at uerò dum legitur, unus ſolus legit, alij tacent, & audiunt, magna profectò lectionis gloria, multa legentium laus, & utilitas, incredibilis audientium, ſi modo lectio tædio careat, ſi lector benè legat, ſi auditor intelligat. Iccircò iubemus ut nemo publicè aliquid legat in Choro præſertim diebus feſtis, & audiente populo; niſi eum ipſe Archipræsbiter in ſecretario prælectione, & ſi opus eſt emendatione docuerit, quomodò legere debeat.

NON eſt idem cantare, & legere, & illi profectò, qui dum legere debent ineptè cantant, quoniam legere ſimpliciter neſciunt omninò neque cantant neque legunt. Itaque doceatur lector ubi claudatur ſententia, ubi incipiat; quandò attollenda, vel ſubmittenda ſit vox, ubi ſuſpendere ſpiritum, ubi protrahere,

re, vbi contrahere debeat, quid lenta, quid celeri, quid concitata, quid leni pronunciatione legendum; quæ indicantis, interrogantis, dolentis, miſerantis, increpantis affectu exprimenda ſint. Sed quoniam hæc omnia arte indigent, & monſtrari breui temporis articulo non poſſunt, vnum illud Archipræsbiter doceat ſingulos lectores, vt pronunciatio ſit virilis, & cum virili grauitate ſuauis, ſed nullo pacto in cantum diſſoluta, neque effeminata: experientur autem omnes vniuerſi Chori ſententia, quum res adducta fuerit in iudicium nullum eſſe cantum moderata pronuntiatione ſuauiorem.

NVLLAE porrò ſcripturæ legantur in diuinis officiis, niſi in primis canonicæ, deinde verò probatæ, ac receptæ hiſtoriæ Sanctorum Patrum, inuigiletque Archipræsbiter, ne ſub nomine diuinarum ſcripturarum vel alterius probatæ lectionis, aliqua vel falſa, vel vana, aut etiam apochrypha paulatim introducantur in Chorum, quæ etiam locum ſibi faciant in ipſis diuinis officiis.

ALIENVM eſt à communi, & probato more omnium Eccleſiarum, vt in gratiam ipſius populi ſecundæ veſperæ fiant communiter ſolenniores primis. Iccircò placet nobis quidem vt ipſe dies feſtus, quum frequens populus adeſt pro qualitate officij ſolennis celebretur etiam in ipſo completorio, quo in diuinis laudibus iubilent ipſi etiam Laici, & frigida eorum pectora, ſerò tandem incipiant deuotione liqueſcere; ſed nolumus tamen vt dies profeſtus in veſperis à quibus officium feſtiuitatis ducit initia, etiam ſi nullus laicorum adſit, ſuo honore, & ſolennitate fraudetur, ſperantes etiam futurum eſſe, vt facto ipſo admonitus populus, errorem agnoſcat ſuum, & poſtquàm longiores horas dedit ſæculo veſpertinas ſaltem, & præcipites det ipſi Deo.

ITAQVE in magnis feſtiuitatibus quoties ad congregandam Eccleſiam Sanctam Dei per magiſtrum Ceremoniarum deſcribi ſolet tabula, Clericos illos qui primis ueſperis non interfuerint, Vicarius noſter multò ſeuerius puniat, quàm qui abfuerint à ſecundis.

VT Clerici noſtri participent de Theſauro indulgentiarum, quem abundè nuper effudit Beatiſsimus Pontifex Pius Quintus in eos, qui officium beatæ, & glorioſæ Virginis per omnes horas Canonicas dicunt; Volumus ut ſingulis diebus, quibus de feria agitur, vel de Sanctis celebratur feſtum ſemiduplex in choro noſtro dicatur ſemper, ſicut & olim dici conſueuerat, officium paruum beatæ Virginis Mariæ, ſub cuius nomine ad Dei gloriam, & honorem ædificata eſt hæc ipſa noſtra Eccleſia Cathedralis.

ILLIS iiſdem diebus inter commemorationem Beatæ Virginis, & Apoſtolorum, iubemus fieri, tàm ad ueſperam, quàm ad matutinum commemorationem glorioſiſsimi Principis legionum cæleſtium Archangeli Michaelis, totius huius viciniæ noſtræ terra mariq́; Protectoris inuictiſsimi. Poſt Apoſtolos commemoratio fiat Beati Valentini ad cuius honorem proximè, & ſecundum Glo-

rioſam

rioſam Virginem Mariam dedicata eſt Deo Eccleſia hæc noſtra. Deinde, uerò D. Nicolai Epiſcopi, & Confeſſoris, vbicunque nominatur CHRISTVS, innumerabilibus miraculis clari, & prouinciæ Barienſis, cuius pars non exigua eſt noſtra hæc Ciuitas Botuntina Patroni Tutelaris.

QVONIAM autem inter inimicos inuiſibiles ſumus, qui ea potisſimum hora, qua laudamus Deum nobis quàm maximè poſſunt inſidiantur, amantisſimè deſyderamus, vt quum inchoandum erit diuinum officium ad illos uel fugandos, vel terrendos, quiſquè ſibi priuatim, & hebdomadarius pro omnibus ſemper ſine cantu clara voce ante omnia pronuntiet. Per ſignum Crucis de inimicis noſtris libera nos Deus Noſter.

SERMO AD SYNODVM, DE HORIS, QVAS CANONICAS VOCANT.

HORA AVTEM ERAT QVASI SEXTA, ET *Dominus noſter* IESVS CHRISTVS *ſedebat, ſic ſuper fontem; Horæ, horologia, Horoſcopa, Horizontes, Gnomônes Solis vmbilici, ad rationem, & ad calculum veniunt, Dilectiſſimi Fratres, hac ipſa ſexta hora; qua, & ipſi ad pedes Domini Noſtri* IESV CHRISTI *ſedemus, ſitientes illum ipſi m* IESVM CHRISTVM, *fontem Iacob, fontem Iſrael, fontem naturæ, fontem gratiæ, fontem gloriæ, fontem, vnde fluunt omnes fontes, omnia flumina, omnia maria. Hora eſt, iam nos de ſomno ſurgere, Compaſtores, vt & greges noſtri ſurgant, paſcantur, reficiantur ſuis horis. Ne in nobis quæſo miremini ſtudium, & diligentiam horarum; præter id enim, quod in omnibus actionibus, magnam vim habere putatur à Sapientibus circunſtantia temporis, vt & loci, habet hoc imbecilla ſenectus, vt feſſa annis, anxia animo, ſollicita ſuſpitione, ſuſpenſa mœtu, dum viuit in horas, dum expectat in horas, ſoleat etiam & delectetur philoſophari in horis. Mea ſenectæ dies, vel fortaſſe vrgent, vel certè aduentant, vos videtis; neq; enim ex illis ipſe ſum, qui ſenectutem adipiſci optant, adepti, vel negant, vel odio habent, Iunior fui, etenim ſenui, & meos vultus, ruga ſenilis, arat. Itaq;, dum mihi fortaſſe inſtat duodecima hora diei, iuuat, ſenum more, longo ſermone loqui de ratione horarum. Enimuerò dicant alij horas, brumales, ſolſtitiales, æquinoctiales; nos, horas diuinas loquemur hodierna die, Fratres Dilectiſſimi; non diuinas, quæ ad æternitatem pertineant: in æternitate enim, & ſi legimus dies, & annos; In longitudine dierum, A' diebus æternitatis, Anni tui non deficient, Nunquid anni tui, ſicut humana ſunt tempora: tamen vt non legimus menſes, ſic neq; horas.*

Laben-

Labentium temporum ſunt hæc omnia, & ne ipſum quidem tempus ad æternitatis rationem aliquo modo ſpectat, niſi quia omnia tempora continet æternitas, & durare non poſſet tàm perpetuus fluxus temporum, niſi ipſa æternitatis immobilitate ſtabilitate, firmitatem, & perennitatem acciperet. Ideò autem dicuntur horæ diuinæ, quia in illis, ex præſcripto Sanctæ Eccleſiæ, celebrantur diuina officia, quæ tanquàm communia Chriſtianorum debita à communibus Reipublicæ Chriſtianæ miniſtris ipſi Deo perſolui debent. Dies partes ſunt temporis, & horæ ſunt particulæ dierum. Profectò verò (vt rem aliquantò altius repetam) Horarum Canon, & ratio, atq; in canendis diuinis laudibus, & precibus ad Deum fundendis, verum horologium, in quod perpetuo defigere debemus oculos, eſt ipſa natura noſtra, adiuta fide, & gratia CHRISTI IESV. *Quæ dum nos admonet communis miſeriæ humani generis, ſimul & miſericordiæ ipſius Dei, ad quam velut ad portum & perfugium noſtræ ſalutis fidenter confugiamus, beata quadam neceſſitate, compellit vnumquenq; mortalium, ut indigentia & ſpe, quaſi duabus alis in altum ſubuectus, impigrè quacunq; hora, quocunq; momento, ſpiritalium deſyderiorum impetu, & deuotione, ſurſum feratur, tanquàm flamma thurea ara fumantis: Verè enim, ut ad uitam proprij corporis ſeruandam, neceſſe eſt anhelitum perpetuò reddere, atq; per uices recipere; ſic oportet, niſi animæ ſalutem omninò negligimus, ut ſine intermiſſione ſemper orantes, poſtulantes, obſecrantes, laudantes, gratias agentes, ſemper meminerimus Dei, in quo uiuimus, per quem mouemur, ad quem conditi ſumus. Ita enim legimus apud Sapientiſſimum illum Regem, qui flendo & canendo ducebat horas, qui in horologium intentus erat ſingulis horis, & eas candido ungue ſignabat in codicillis. Benedicam Dominum in omni tempore, ſemper laus eius in ore meo. Sed enim præter hæc quæ dicta ſunt omnibus Chriſtianis, imò verò omnibus hominibus, Quoniam Sacerdotes, & Præsbyteri noſtri, non, vt in prouerbio eſt: Sibi, & muſis, ſed ſibi & populo canunt diuina myſteria, & tanquàm miniſtri publici, pro omnibus immolant uitulos labiorum ſuorum; iccirco, illis indictæ ſunt diurnæ, & nocturnæ religioſæ horæ, quarum rationem & officium abſq; neceſſitate prætermittere, aut etiam negligenter perſoluere, coram oculis Dei, immane ſit atq; omninò nefarium. In ſcientijs omnibus peculiare eſt, ut res magnæ & præcellentes ſacræ dicantur. Ita Medici Epilepſiam morbum ſacrum appellant; habent & in corpore humano, Os ſacrum; Virgilius immenſam cupiditatem diuitiarum, dixit ſacram famem, Eſt apud Homerum, Sacer Piſcis, qui vbicunq; eſt, nulla ibi innatat uenenoſa beſtia. Dicunt & muricem ſacrum, quod eo induantur Pontifices, & Imperatores. Legimus ſacrum ſilentium, & Romæ eſt via ſacra. Totum igitur tempus harum horarum, tanquàm deſtinatum rebus diuinis, & cultui diuino dicendum eſt ſacrum, & illæ ipſæ horæ ſacræ dicendæ ſunt. Hæc ipſa porrò Eccleſiaſtica locutio, Horæ*

Canonicæ, hoc eſt regulares procul admodum abeſt à ſuperſtitioſa illa ſeueritate, & moroſitate, quam inſana & admirabili vanitate ſequuntur otioſi mathematici, diuidentes & ſphæras, & lationes ſphærarum cœleſtium, in partes, & portiones, & portiunculas; vt habeant veras horas planetarias, & fatales, & ne momentum quidem citra, vltraue peruolent, quo abſq; errore per horologia, & per horoſcopa, ſua apoteleſmata conficiant; futuri (vt aiunt) veraces, niſi eſſent horologia mendacia. Nihil habet leue chriſtiana pietas, Fratres, eſt tota grauis, tota ſeria, & quæ eſt ipſa prudentia, ipſa ſapientia, Legimus in Euangelio, erat hora, quaſi ſexta, in Apocalipſi, factum eſt ſilentium, quaſi media hora, Lucas quoq; dicit, Et interuallo facto, quaſi hora vnius. Ad hunc ſenſum igitur, hoc eſt non punctim, & anguſtè, ſed aliquantò latius ad canonem, & regulam æquitatis, potiuſquàm iuris & rigoris accipiendæ ſunt horæ Canonicæ, quibus Clerici in Sacroſanctis Eccleſiis canunt & celebrant diuina officia. Neq; enim ſunt infrugiferæ, ſi aliquantulum vel præueniantur, vel prorogentur, quanquàm vt hoc nobis aliquando commodius, coràm Deo illud ſemper eſt tutius. Unde Rex ille Deo charus, Præuenerunt, inquit, oculi mei ad te diluculo, vt meditarer eloquia tua. Omninò verò in huius vocis reuerenda antiquitate, Horæ Canonicæ, canonum quiddam, & in ipſo cantu iuxta Canones muſicæ, regulatum, & temperatum mihi ſplendere uidetur; quando Pythagoras Philoſophorum, tàm primus, quàm Plato præcipuus, qui mundum ſenſibilem dicebat ad harmoniam canere, cantores illos, qui præcæteris erant harmonici, uocabat Canonicos; nam canor propriè vocis temperamentum, & muſicalem conſonantiam ſignificat, eam inquàm, quæ non tàm fortaſſe auribus, quàm ratione & mente digna iudicatur, quæ vocetur harmonia; nimirum non blanda, & mollis, non flexionibus, ac falſis voculis delicata, ſed cum ſuauitate quadam grauis, habens quidem rythmos, & melos metricum, neq; tamen contentione uocis, aut interuallis, & exclamationibus, in cantilenam diſſoluta. Huiuſmodi igitur harmonia Canonica, audiebatur in Choris primitiuæ Eccleſiæ, vnde procul dubio dictæ ſunt horæ Canonicæ, nam & in ipſis quoq; gentium hiſtoriis, efferuntur præſertim antelucani hymni, quos ubiq; terrarum magna cum melodia, non tàm dicebant, quàm canebant CHRISTI fideles. Canebant corde, canebant ore, canebant & opere, ornantes doctrinam moribus, fidem operibus, uitam miraculis; idq; totum ad Dei gloriam, atq; ideò harmonicè, canonicè. In ſacris, & profanis literis, hora interdum abſolutè ſignificat tempus, interdum diem, ſæpè uſurpari ſolet pro cuiuſq; rei maturitate, in quem ſenſum accipiendum eſt illud, Nondum uenit hora mea, Nondum uenerat hora eius, Hæc eſt hora ueſtra, & poteſtas tenebrarum; at uerò hic hora non eſt, niſi hora; nimirum ipſius lucis diurnæ duodecima portio, iuxta illud, Nonne duodecim horæ ſunt diei? quo ſanè uerbo CHRISTVS IESVS, per altiſſimam

quoq; allegoriam, ſe mundi Solem & diem appellauit, duodenosq; Apoſtolos, horas, quod eum ſequerentur, ſuis illuſtrandi ſplendoribus, nam & horæ ſequuntur Solem, quæ & dicuntur filiæ Solis, abs quo & horæ forſan appellatæ ſunt, ſiquidem Ægyptijs Sol eſt Horus, unde Horus Apollo, niſi tamen, ut Plato docuit, dicantur Horæ ἀπὸ τοῦ ὁρίζειν, quod tempora terminent, unde ὅρος terminus dicitur. Inde Horizon circulus cœli eſt, qui ſuper terram uidetur quodam circo deſignatus, Quum enim centum & octoginta ſtadia non excedat acies contra uidentis; ubicunq; ſteteris, uideris tibi quandam cœli concluſionem uidere, quam Horizontem uocauerunt: ſic Cicero. Eſt ergo hora propriè duodecima pars lucis diurnæ; quarta inquàm ſupra uigeſimam diei naturalis; nimirum in æquilibrio communiter conſtituta die, ac nocte; ut neq; nox diem, neq; dies noctem exuperet; ſed utraq; ad mundi ſalutem firma & ſtabilis, neq; iniuriam patiens, neq; inferens, in ſua ipſius pace conquieſcat; tametſi, quia nox eſt propter diem, non dies propter noctem, totum denominatur, non tàm nox, quàm dies. Itaq; tandem, quum horas diei Canonicas dicimus, uno diei nomine, ipſa quoq; nox intelligitur; tametſi in ipſis quoq; diuinis laudibus uidetur Propheta diſtinxiſſe diem à nocte, dicens. Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi; & ſepties in die laudem dixi tibi: quod ideò fortaſſe fecit, ut hunc ipſum boni omnis numerum, hoc eſt Ogdoada reſurrectionis, quaſi indicem, in ipſis horis deſignaret, ſubindicans & illud forſan, quod in uſu eſt apud monachos, nocturnas uigilias canendas eſſe ſeorſum à matutinis laudibus; atq; ideo, computandas eſſe in duas horas; propter quod & ueteres poetæ theologi, ad matutinum, & ad gallicantum ediderunt diſtinctos hymnos, quibus etiam noſtro ſæculo utitur Eccleſia. Et decuit quidem ut Chriſtiana Religio, quæ diuinarum perſonarum ſanctiſſimam Trinitatem colit ex horis his duodenis tertiam partem, hoc eſt his quatuor una quoq; die diuino cultui deputaret. Sanè ad eiuſdem Sanctiſſimæ Trinitatis reuerentiam, ut in hebdomada tres dies longè maiore deuotione celebramus, quàm cæteros, hoc eſt feriam ſextam propter laborem; ſabbatum propter quietem, & diem dominicum propter Reſurrectionem; ſic omnibus & ſingulis diebus inter omnes horas Canonicas, tres haſce ducimus ſolenniores; matutinum in primis, & ueſpertinum ſacrificium, propter umbras ueteris legis, in quibus agnus iugiter mane & ueſperè offerebatur Domino; horam deinde Tertiam, qua ſuper naſcentem Eccleſiam effuſus eſt in linguis igneis Spiritus Sanctus, quum iam IESVS glorificatus eſſet in cordibus credentium. Apud Græcos olim toto illo tempore, quod à mane in meridiem porrigitur, Ethnici Dijs cœleſtibus rem diuinam faciebant; à meridie autem uſq; ad occaſum ſolis, quicquid ſacrificabant, erat dicatum Dijs manibus hoc eſt Inferis. Hoc igitur in ſacris hiſce horis magnoperè conſyderandum eſt, & habendum ſemper ante oculos, quod ſicut Eccleſia Sancta Dei, in ſtatuendis diebus feſtis, exemplum accepit ab ipſo Diario, uel Epheme

ride Moſaica creationis cœli & terræ; ubi legitur Deum ſanctificaſſe diem ſeptimum, qui olim ſabbatum, nunc, iubente Deo Domino legis, & ſabbati, dies eſt Dominicus, Sabbatum ex ſabbato. Ita in hac ipſa præſcriptione horarum uetera omnino proijciens, uelut ipſa nouitate lætabunda, ſecuta eſt hiſtoriam nouæ per CHRISTVM redemptionis, & reparationis mundi; imò uerò illum ipſum mundi redemptorem & reparatorem CHRISTVM IESVM: atquè ideò diuiſit horas diuinas & nocturnas, ut & dies, & nox, & Sol, & Luna teſtes ſint cultus, quem Chriſtiana Religio exhibet Deo ſuo per CHRISTVM IESVM. Ita apparet quanta ſint nobis religione colendæ & obſeruandæ iſtæ horæ, quæ tàm ſanctas ducunt origines; quæq; die ac nocte refricant memoriam, intelligentiamq; & reuerentiam eorum, quæ CHRISTVS IESVS, uita, ſpes, & ſalus noſtra pro nobis dixit, fecit, ſuſtinuit. Ille eſt exemplar noſtrum, Conſacerdotes Chariſſimi, Ille eſt regula noſtra, Canon noſter, horologium noſtrum placet dicere noſter liber horarius, noſtrum officium, noſtrum breuiarium; utinam dum horas perſoluimus eas in CHRISTO legamus, ex CHRISTO, & per CHRISTVM. Ipſe enim ad totius humani generis redemptionem, appropinquante hora paſſionis ſuæ (ſic ſanè ille dicebat Pater uenit hora) in nocturnis uigilijs, quum ter dixiſſet Patri, Ut facerem uoluntatem tuam Deus meus uolui, tradens dilectam animam ſuam in manibus inimicorum ſuorum. Prima hora diei aſtitit Pilato iudicanti ſe iniuſtè. Tertia porrò diei hora Iudæorum ſacrilegis uocibus addictus fuit Cruci. Sexta eſt exaltatus, tanquàm ſerpens in Crucem. Nona emiſit ſpiritum, ut non iam in noſtro, ſed in ſuo ipſius ſpiritu uiueremus. Veſpere conditus eſt tumulo, ibiq; iacens ſub cuſtodia, ſignificauit, & ſacrauit Completam ad nouiſſimum diem, pacem, & quietem noſtram, unde Completorij hora deſumpta eſt. Mane porrò canentibus uice gallorum Angelis, deuicta morte, & confractis portis Inferi, ſurrexit æternùm uicturus, unde matutinæ Laudes, ubiq; terrarum cum ingenti iubilo, decantantur.

SEQVVNTVR DOCTRINA, ET CANONES.

ITAQVÈ SICVT PRIMITIAS FRVGVM, ET hominum primogenita, Deus benedictus ſibi offerri iubebat; Sic putent Sacerdotes, & Clerici, diuino quodam iure, exigi, ut per ſingulos dies ante omnes huius mortalis uitæ curas, prima diei hora, uelut primitiæ lucis, ab illis offeratur domino; deputeturquè ad celebrandas diuinas laudes, ut primum quærentes regnum Dei, & iuſtitiam eius, conſequantur ea quoquè omnia, quæ illis neceſſaria ſunt ad ſalutem mentis & corporis.

HORAM Tertiam, quæ hora Sacra, & à nobis in communi ſermone hora aurea dicitur, quam etiam Hierarchæ perſoluunt celebraturi ſolenne ſacrum; Clerus noſter ante Miſſam, quam conuentualem uocant, diebus feſtis nunquàm non cantet; oretquè iuxta hymnum illius horæ, more perpetuo, ut ſuper eos, & ſuper uniuerſum populum Chriſtianum aduemat Spiritus Sanctus, in remiſſionem peccatorum, & in gratiam donorum.

HORA Sexta ea eſt, qua ſol maxime aſcendens implet calore cœlum, & qua CHRISTVS exaltatus in Crucem omnia traxit ad ſe ipſum, & quidem, ea hora confluente populo ad Eccleſiam, plena ſunt altaria uictimis & ſacrificijs. Idcircò etiam myſterio conuenit, ut officium illius horæ, etiam diebus feſtis celebretur ſine cantu; Quis enim lætetur, & canat ea hora, qua aufertur à nobis Sponſus CHRISTVS IESVS?

SIMILITERQVE' & poſt Miſſam Maiorem dicatur ſine cantu officium horæ Nonæ, eo autem peracto, nulla alia celebretur Miſſa, quia hora nona conſummatum fuit ſacrificium CHRISTI in Cruce; cuius hoc ipſum noſtrum ſacrificium, quò ad modum, imago eſt, quanquàm re ipſa eſt idem; quia idem noſter IESVS CHRISTVS, offertur omni tempore in Sacramento altaris, qui ſemel tantum fuit oblatus in ligno Crucis.

NVNQVA'M autem quauis occaſione permittat Archipræsbiter, ut dicatur Nona ante Miſſam maiorem diei, præter tres illos dies maioris hebdomadæ, ſingulariter ab alijs ſeparatos, ſingulari honore, & religione colendos.

INVMBRANTE Veſpera, quæ per Euangelij gratiam luceſcit in mane, ideſt in æterna uitæ gloriam, ueniant Clerici, quàmdeuotiſſimè ad officium celebrandum, memores ſacrificij ueſpertini antiquæ legis, & myſticæ cænæ, quam Veſpere Dominus noſter IESVS CHRISTVS cum Sanctis Apoſtolis celebrauit, ex pane carnes ſuas, & ex uino ſuum ſanguinem admirabili poteſtate conficiens.

VT autem Deus ſit illis. α. &. ω. Sicut primam horam auſpicati ſunt ab ipſo Deo; ita ultimam, quæ apud Patres Completorij nomen habet, finiant in Domino; prolixius tandem aliquantulum orantes, & exemplo oſtendentes populis noſtris, quod ſine intermiſſione ſit orandum; hoc eſt nulla hora ſine orationibus prætereunda.

MATVTINVM officium, quod ſolenne ſemper fuit in Eccleſia, & magnis redundat myſterijs, ea ſaltem hora incipiatur, ut omnino finem habeat cum ipſis quoquè laudibus, ad ortum ſurgentis Auroræ; quandò incipienda eſt Miſſa, quæ in gratiam ruſticationis ſummo mane omnibus diebus de more celebratur, quia & honeſtáti contrarium eſt, & à Patrum inſtitutionibus alienum, ut ſacrificium celebretur, non dum expletis uigilijs nocturnis.

OMNES & ſingulas haſce horas, & Clerus, & populus, quò ad fieri po-

teſt, corde, ore, & opere reuereantur, quas in curriculo noſtri temporis euntes & redeuntes illuſtrat quotidie Sol ſolis CHRISTVS IESVS, *ex ſuo illo orbe ſemper ſtantis æternitatis, in quo etiam num ſtant duodecim illæ horæ, quæ illum ſequuntur quocunquè ierit. Deſignator autem horarum, menſorquè ſpatij, & diſtantiæ inter horas, quò ad celebrationem diuini officij pertinet, ſimiliter & Miſſarum, ne quid præproperè, aut præpoſterè agatur in Dei cultu: erit iure perpetuo Archipræsbyter Eccleſiæ maioris, in qua re abſq; illius nutu non mouebit manum, aut pedem Sacriſta, & ne ipſe quidem Magiſter Ceremoniarum.*

SERMO SYNODALIS, DE MISSA, ET DE IPSA MISSARVM CELEBRATIONE

CHRISTIANA RELIGIO, QVA IPSI ouantes, & iubilantes Deum verum & uiuum in CHRISTO IESV colimus, & adoramus, Fratres, cuius aduerſus Deos gentium uictorijs, & trium phis innumerabilibus, terra iam tota exultat, inſignibus cœlum fulget myſterijs, horæ dies, & tempora decorantur, nihil quidem in ipſo Dei cultu habet non ſacrum, non ſelectum, ipſa tota ſacra, ſelecta, & exculta per illum ipſum ſacrorum Principem, Religionis authorem, & conſummatorem CHRISTVM IESVM, cuius manus, ob ſingularem diuini artificij elegantiam, à Spiritu Sancto deſcribuntur tornatiles, aureæ, & plenæ hyacintis. Verum enimucrò, una ſacrorum omnium Epitome, unus Sacramentorum omnium theſaurus, quo meritò ipſi in conſpectu Iudæorum, & gentium fauentibus, & plaudentibus Angelis, ſecura conſcientia gloriari poßumus, & debemus, eſt ipſa Miſſa, hoc enim ſacro & ſcelecto nomine Sancta Romana Eccleſia, magiſtra omnium Eccleſiarum, ſacrificium Chriſtianorum appellat, uoce ab initio accepta ſemperq; retenta ex primis illis, & puriſſimis hæbraicæ linguæ fontibus, unde in omnes linguas Euangelium Fideſquè manauit. Græci proprio nomine λειτουργειαν, dicunt. Cuius tantus eſt ſplendor, tanta maieſtas, ut ſi à nobis citra Fidei uelamina, aut ænigmata uideretur, noſtri oculi beati eſſent, tàm clara, ac glorioſa luce fulgentes. Sanè illud totum, quod ad ipſam Miſſæ ſubſtantiam pertinet, eſt ipſa diuina Euchariſtia, ipſe CHRISTVS, isq; conſecratus, oblatus, ſumptus; nimirum ipſa conſecratione Sacramentum miro modo inuolutus totus ſub ſacris

illis

illis panis ſancti, & benedicti calicis uelaminibus, & integumentis; oblatione porrò ſacrificium, dum non cruento quidem modo, ut olim in Cruce, ſed incruento, ut pridie quàm pateretur, offertur per manus Sacerdotum in ſublime illud, & inuiſibile altare Dei, unde uelut ex typo, & exemplari, noſtra hæc uiſibilia altaria deducta ſunt, ſumptione demum factus cibus, & communio totius corporis Eccleſiæ, dum pura illa, & illibata munera Melchiſedechiana, in leuitica, hoc eſt panis, & uinum in carnem & ſanguinem, quanquàm non in pretium, ſed in myſterium exhibenda, ſecreta & inuiſibili Spiritus Sancti operatione mutantur; ut deinde ex ſpiritu & uita CHRISTI, *qui eſt caput noſtrum, ipſi quoq; membra eius uegetemur, uiuamus, & uitam habeamus in nobis ipſis, manducantes ſuam carnem, & bibentes ſuum ſanguinem. Eia Fratres attendite communes cibos, quibus ipſi paſcimur, & nutrimur, in uiſcera quidem noſtra traijcimus, & in noſtram ſubſtantiam concoquendo, & digerendo tranſmutamus; ſed tamen oculos luce & coloribus paſcimus, aures cantibus & ſonis reficimus, neq; tamen uel colores, uel ſonos ullo modo mutamus. Ipſam demum ueritatis intelligentiam, atq; adeò ipſam ueritatem, quæ animi pabulum eſt ſuauiſſimum, quam animus per ſe ipſum percipit, ut ſe ipſum ex ea reficiat, tantum abeſt ut mutemus, ut ipſi potius, ab illa ipſa inuicta ueritatis uirtute ac poteſtate mutemur: efficimur enim ex ipſa ueritate ueri, & ueraces, qui falſi & mendaces ab initio fuimus, & ex corrupta noſtra natura ſumus. Quid ergò mirum ſi panis Angelicus, quem manducamus; ſi uinum cæleſte, quod potamus; hoc eſt mel, & lac, quod ex ſancto altari, tanquàm ex mamilla* CHRISTI *ſuggimus, non ſolum non mutantur à nobis, ut efficiantur noſtra caro, noſter ſanguis; ſed nos potius in ſe ipſa, beata quadam noſtra ſorte, tranſmutant, ut ipſi uiuamus uitam* CHRISTI, *& ſimus os de oſſibus* CHRISTI, *& caro de carne* CHRISTI. *Inde enim, ratione altiſſima, & uerè ineffabili efficitur, ut (quod mundus uix intelligit) non tàm in nobis uiuamus, quàm in* CHRISTO, *ut cogitationibus, amoribus, deſyderijs omninò migremus in* CHRISTVM, *ut facti homines* CHRISTI, *non amplius ad ueterem illum hominem utres ueteres, ſed facti utres noui, & pleni uino nouo ad nouum illum hominem pertineamus, Dominum noſtrum* IESVM CHRISTVM; *unde & omnes, tandem efficiamur unus* IESVS CHRISTVS; *multa* CHRISTI *membra, unum* CHRISTI *corpus. Propè eſt in ore noſtro, & in corde noſtro, uerbum illud* CHRISTI IESV, *Fratres. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo: & illud Ioannis. Vita erat lux hominum: & illud quod ad Petrum dictum eſt è cælis. Macta & manduca; & demum illud, quod* CHRISTVS *dixit Apoſtolis ſuis in cœna. Hoc eſt corpus meum, Hic eſt ſanguis meus. Hæc eſt igitur, ut ad concludendum redeamus, tota Miſſæ Ratio; hæc eſt tota uis ſa-*

crificij

crificij noſtri, tota Sacramentorum religio, deniq; totus cultus Dei, hoc inquàm verbum fidei, quod vbiq; terrarum prædicatur, & ab omnibus Catholicis cre ditur, quod virtute illorum verborum, Hoc eſt corpus meum, Hic eſt ſanguis meus, ille ipſe CHRISTVS IESVS, *per Sacerdotum ora, dum Miſſam celebrant, de ſancto altari panem & vinum in corpus ſuum & ſanguinem, in ſe ipſum inquàm transferendo ſuſcipiat, eodem ferè modo, quo noſtram de alma Virgine* ϰοινὸν *carnem ſuſcipere potuit, & voluit. Eſt enim idem corpus, quod ſemel de vtero Matris acceptum eſt, & quod quotidie de ſancto altari accipitur, quia & vnus, idemq; eſt Dei filius, vnum idemq; Dei verbum factum in Maria, uera caro ex vera carne, factum in altari, myſticus panis ex literario pane; vt iàm ſublatis vmbris, & imaginibus, quæ omnia coruſcante Euangelij luce euanuerunt, in ipſa Miſſa non facie, quidem ad faciem (id enim ad futuram gloriam pertinet) ſed tamen plenè, & apertè teneatur ſolida expreſſaq; veritas, adeoq; ipſa res, ipſum corpus viuum, & uiuificans, quod & manu tangitur & dentibus teritur* CHRISTI IESV. *In cuius oblationem, vt olim priſcæ illæ & figuratæ uictimæ, hoſtiæq;, & holocauſta legis; ſic nunc in cur ſu vel ſtatu ipſius Euangelij diriguntur templa, altaria, Sacerdotes, Cantores, Præcentores, ſuccentores, leuitæ, vniuerſiq; Clerici, vaſa quoq; & inſtrumenta, organa, citharæ, & omnia genera muſicorum, quæ ſunt digna choro. Nam & totus ipſe chorus religioſiſſimum Eccleſiæ adytum & ſecretum, tanquàm ſan cta ſanctorum, ea quam præfert forma ferè circuli illam ipſam incruentam hoſtiam ſimul & diuinam aram ambire nexibus & caſtis, intaminatisq; honoribus prahenſare, & coronare uidetur. Vt palàm intelligant omnes, quod ad Miſſam ipſam, tanquàm ad conſummationem omnium Sacerdotalium functionum, ad Sacramentum omnium Sacramentorum, ad ſacrificium omnium ſacrificiorum, cuius comparatione reliqua ſacra ita uileſcunt, ut ſacri uix nomen habeant; omnia & ſingula Eccleſiaſtica officia ſint meritò referenda. Nam ea, quæ Miſſam præcedunt, ſunt uelut præludia, quæ verò ſequuntur, uelut tripudia: Illis inuitantur, & præparantur populi ad tanti ſacrificij celebritatem; His peracto iàm ſacrificio, præsbyteri lætantur, exultant, geſtiunt, gratias agunt, quòd hoſtia primum miſſa ad nos è cœlis, à nobis deinde ad cœlos emiſſa, ipſi pro virili ſuo ipſorum officio perfuncti ſint. Ecquid deeſt officio ipſius Miſſæ? Nam & iuſtas & pias, quaſi exequias celebrat* CHRISTO *crucifixo, & mortuo; ipſius autem à morte reſurgentis, ſolennes agit triumphos: deniq; ſuper cœlos aſcendentis, infert uerbis, & ſignis in animis noſtris memoriam ſempiternam. Officium planè diuiniſſimum omnium linguarum laudibus, proſa, & carmine celebrandum, apex, faſtigium, & coronamentum vniuerſæ religionis, quo nihil cogitari poteſt dignius, ſanctius, honorificentius. In quod propterea nouiſſimis diebus, & vi, & dolo inſurget nequiſſimus ille homo peccati, & nunc*

quoq́, permiſſione diuina, operante iàm myſterio iniquitatis, tantas illi per membra ſua molitur inſidias, vt graſſante impietate potentiorum pijs populus plerunq́ Miſſas uidere non liceat; Vnde & lamentari nunquàm deſinunt. Cecidit corona capitis noſtri, Sacerdotes noſtri gementes, Virgines noſtræ ſqualidæ, Viæ Syon lugent eò quod non eſt, qui veniat ad ſolennitatem. Et quidem res eſt lugenda, & lachrymanda: nam dum in ipſa Miſſa ſuper capita montium, hoc eſt Sacerdotum, miſticum libum eleuatur, & adoratur à populo, illa ipſa diuinarum operationum munera non mirabilia ſolum, ſed memoria omnium mirabilium, quæ fecit CHRISTVS IESVS *Symbolicis ſignificationibus adoperta, occultam quandam uim habent, eamq́ maximam ad expiandos fidelium animos; Et ſacra illa cantica, lectiones, confeſſiones, præcationes, benedictionesq́ demum, & gratiarum actiones, in quibus Sacerdos ſanctis myſterijs finem imponit, quid aliud ſunt, quàm diuina oracula, quæ ut uiuaciſſimè loquuntur, ſic apertiſſimè docent, quomodo emundare ſe debeant populi à colluuie ſcelerum, & vitiorum, & inchoare, ac proſequi vitam chriſtianis hominibus dignam? Atq́ ideò, quàm magno fructu, beneficio, vtilitate, gratia careant illi, qui Miſſarum celebritate priuantur, quis dicere poſſit? Et ſi uerò non ſtatim reſerantur ualuæ, ut è vulgo quiuſq́ ingredi poſſit in cellam uinariam, & inebriari contemplationibus tantarum rerum, & tàm ſublimium; miris modis, tamen excitantur omnes, niſi fortè abſint ſpiritu, ſicut adſunt corpore, ad verum, purum, & ſyncerum cultum Æterni Dei, quo continetur ſummum illud bonum omnium bonorum, finis finium, & deſyderium deſyderiorum, quod humana quidem ratio naturali ſagacitate ſubodoratur, ſed fides ſola inuenit, & ſola chriſtiana pietas poſſidet, extra quam non eſt ſalus. Explicanda res eſt breuiter quidem, ſed dilucidè. Cultus Dei per* CHRISTVM IESVM *omninò nihil eſt aliud, quàm Fides, Spes, Charitas, terna illa aurea uincula, & terni vitales nodi, quibus ſibi deuinxit animas noſtras* CHRISTVS IESVS. *Quis autem non ſtatim uideat, quàm magnificè tria hæc in amabili, & admirabili Miſſæ ſacrificio, non continentur ſolum, ſed exercentur? Sanè Fides in oculis omnium, ſe ſe exerit publica peccatorum confeſſione diuinis laudibus ſymbolo, & ſæpè iteratis gratiarum actionibus; Spes fouetur ſanctorum memorijs martyrum, contemplationibus, orationibus ſurſum actionibus; Charitas demum oblationibus, collectis, poſtulationibus, benedictionibus, obſecrationibusq́ pro uiuis, & pro defunctis. Quid? Conſecratio ipſa ſola (non enim ad Miſſam cathecuminorum egredi volumus) oſtendit uim omnipotentis Fidei; Oblatio excitat energiam Spei; Sumptio & Communio ſe ſe attollit in flammam diuinæ Charitatis. Conſolamini Popule meus, Conſolamini; nam nemo eſt ueſtrum tàm idiota, & ſine literis, qui magno illo Miſſæ fructu ſit cariturus, etiam ſi ſublimem hanc myſtagogiam nullatenus intelligat, ſi modo in ea ſaltem quæ exterius*

patent,

patent, dum Miſſa celebratur defixos, ut debent teneant animos, atq; ideò hortamur etiam ſurdaſtros, quin & ipſos ſurdos, vt ad videndum ſacrificium Miſſæ omninò accedant ſpe indubia freti non defuturum Deum, quò minus hoc ipſum, quod eſt uidere Miſſam (ſi modo cætera adſint, quæ ab auditu aurium non pendent) per IESV CHRISTI gratiam imputetur ad ipſius diuinæ Maieſtatis pietatem, religionem, & eum qui per Sanctam Eccleſiam præcipitur cultum: & quidem non tàm præcipitur, ut Miſſam audiamus, quàm ut uideamus, neq; enim in lectionibus, ſed in ſacrificio ipſa Miſſæ ratio conſiſtit: nam & vox illa originalis ad ſacrificium pertinet. Adorandum planè ſacrificium, tanquàm diuinum pœnitus & arcanum myſterium omnium myſteriorum (vt dictum eſt) longè maximum, & ſanctiſsimum. Quod propterea magna ratione fuit promiſcuæ multitudini adumbrandum, & velandum; ne ex tanta lucis exhuberantia lippi occuli cæcitatis periculum paterentur: ſed tamen illius quæ intus latet Maieſtatis, tanta foris ab initio vſq; ad finem emicat dignitas, Sanctitas, admirabilitas; ut illi etiam qui habent oculos cœlo ſublimiores in tanta luce caligent, & illi qui habent myſticas audiendi aures, in tàm plena muſici, & iucundiſsimi concentus harmonia obſtupeſcant, & quaſi ecſtaſim ſæpiſsimè patiantur. Hæc quum ita habeant, Fratres, pro munere Epiſcopali, quo ipſius Dei, ac Apoſtolicæ ſedis gratia, in hac noſtra Eccleſia Botuntina indignè fungimur; non poſſumus, non grauiſsimè commoueri, non angi, non dolere, & non gemere, intra nos metipſos, uidentes hanc tantam, quæ ſingulari Dei beneficio nobis relicta eſt Miſſæ celebritatem, ipſis quoq; cœlorum virtutibus adorandam, hac noſtra infœliciſsima ætate, in æternam perniciem humani generis, vſq; adeò uiluiſſe in Sacerdotibus ipſis, in altaribus, in populo, atq; adeò in illo ipſo Sanctiſsimo Dei cultu, quo nihil mundius eſſe oportuerat, vt quum omnia Sacerdotalia officia, ſupra quam dici poſsit ab vniuerſis populis noſtris paſsim contemnantur imò uerò pro nihilo ferè habeantur (quanta malignatus eſt ò Deus inimicus tuus in Sancto? Exurge iam Deus, & iudica cauſam tuam) nihil tamen uideatur ſordidius, abiectius, deſpicatius, quàm ipſa celebratio Miſſarum. Cupientes ergo, quantum in Domino poſſumus, nihil non agere, vt apud noſtros populos, quorum ſaluti incumbere, paſtorali ſollicitudine, & paterna charitate tenemur, debitus honor, quòad per noſtram indignitatem fieri poteſt, reſtituatur tantis myſterijs: has præſentes noſtras conſtitutiones, ſacra hac ſynodo approbante, prout Deus dedit, & viua voce ſic & in ſcriptis ædidimus, nequis ignorationem prætendere audeat, & vt omnes memoriam ipſam facilè inter morientem reficere, ac renouare poſsint.

SEQVVNTVR DOCTRINA, ET CANONES.

ANTE OMNIA IGITVR, QVONIAM SACRAE *literæ iubent quidem, ut ab omni homine, qui Domino offert ultroneus primitiæ accipiantur; ſed Moſes tamen ille eſt, ad quem loquitur Deus de oblationibus primitiarum, & ſine authoritate & miniſterio Moſe nemo eſt, qui ad tabernaculum Domini quicquam offerre audeat: Præcipimus Sacriſtæ Eccleſiæ noſtræ cathedralis & omnibus Parochis aliarum Eccleſiarum, ut ignotos Præsbyteros huc & illuc paſſim effrenata nimium licentia vagantes, quales multos ſub peregrinorum ſpecie in hac Prouincia videmus, qui ſtultè nimium hanc licentiam libertatem uocant, nobis inconſultis ſacrificium Miſſæ offerre nulla ratione patiantur.*

CVM *ignotis huiuſmodi hominibus numeramus, quò ad celebrandas in noſtris Eccleſiis Miſſas, omnes præsbyteros alienigenas quantumuis notiſſimos, niſi ſcriptione noſtra oſtenderint, quod eis in Diœceſi noſtra poteſtatem fecerimus ſacrificandi.*

QVIN *& noſtros quoq; Botuntinos, qui ſuæ ipſorum indignitatis, ignorantiæq;, & malæ uitæ conſcij ab alieno Epiſcopo forſan etiam Romæ, quaſi furtiuè, & per literas ſubreptitias, vel obreptitias olim etiam extra tempora ordinati fuerunt, ſi non poſtmodum fuerint de ſufficientia, de uita, dequè ordinationibus eorum à nobis examinati, & probati legitimè, prohibemus à celebratione Miſſarum.*

SACRISTA *autem, vel Parochus ſi huiuſmodi homines, uel eorum unum ſolum celebrare permiſerit, ſuſpendatur ipſe ad minus menſe integro.*

ILLI *autem Præsbyteri nobis ſubditi, qui vel ſemel abſquè noſtra approbatione in noſtris Eccleſiis celebrare auſi fuerint, & omninò etiam ſe ingerere ſacris, ex nunc perpetuò ab ipſa Miſſæ celebratione, & ab executione omnium ordinum ſint ſuſpenſi.*

SACERDOTIBVS *(ſi qui ſunt) de homicidio, de concubinatu, de uſuraria prauitate ſuſpectis, quòad per Dei gratiam, & eorum diligentiam tetrum illum, & mortiferum odorem malæ famæ in odorem uitæ, & boni nominis mutauerint, proba pauperie, innocentia uitæ, & honeſtate conuerſationis; ipſam celebrationem Miſſarum in Diœceſi noſtra perpetuò interdicimus.*

CLERICVS *Spurius, ſi fortaſſe pater eius ſacerdos fuerit, aut quomodolibet illum, etiam antequàm conſecraretur Domino, procreauerit, vt vitentur offen*

dicula

dicula eorum, qui rem neſciunt, & ſacris interſunt, miniſtrare non permittatur eidem Patri ſuo in ſacrificio Miſſæ.

ECCLESIA *Sancta Dei eſt quidem tanquàm Regina, & ſponſa Regis regum, mira ſtatuum, ordinum, graduumquè uarietate circundata, ſed eadem tanquàm corpus eiuſdem* CHRISTI IESV *gaudet uehementer, dum eandem domum, quæ eſt templum Dei unanimes inhabitant ſacerdotes unius moris, & ritus. Itaquè unus ſit omnium præsbyterorum noſtrorum ritus in celebratione Miſſarum, is inquàm, quem Sancta Romana Eccleſia ſeruat in libris ritualibus deſcriptum: cui nemo adijciat, nemo adimat ne iota quidem: Atquè ideò nemo ad altare dum rem diuinam facit, memoriter dicat, ſed omnes ex libro legant, canonem, & ſingula quæ ſunt in canone; ut omnes, & in verbis, & in actionibus concordent. Canon eſt, Regula eſt & citra, & ultra peccatur, dum uel ſurſum, uel deorſum ab ipſa regula declinatur.*

OMNES, *& ſinguli antequàm ſacris veſtibus induantur, vt celebraturi ad altare accedant, ſe ipſos & conſcientias ſuas, non iudicio quidem ſuo, ſed alieno legitimè probent, hoc eſt quotidie alterutri confiteantur peccata ſua, ne qua inſit illis turpitudo, uel labes, quæ offendat oculos Dei, qui dicit. Sancti eſtote, quia ego ſanctus ſum.*

QVISQVE *porrò caueat celebrantium Sacerdotum ne usq; adeò paruipendat hanc ipſam ſacramentalem confeſſionem, vt non confiteatur ſaltem ternis vicibus in hebdomada. Vix enim veriſimile eſt, ut præsbyter aliquis hoc loco, hoc tempore per integram hebdomadam viuat immunis omnium peccatorum, & tamen ſatis eſt, ſi non peccare non poſſumus, peccata lauiſſe, quæ commiſimus. Profectò verò ſi bonarum mentium eſt agnoſcere culpam, vbi non eſt culpa, maximè id conuenit Sacerdotibus, qui offerunt ſacrificium Deo ſuo: quibus propterea ille dicit. Lauamini mundi eſtote, qui fertis vaſa Domini. Diaconem autem & Subdiaconem, qui in communi Miſſa Sacerdoti concelebrant, eodem præcepto ligari uolumus.*

SACERDOS *quisq;, tanquàm homo Dei, in hoc ſit totus, vt in ſacrificio Miſſæ non percipiat Sacramentum ſolum, ſed rem quoq; & uirtutem Sacramenti, hoc eſt, ut dum lambit petram, ſugat quoq; mel de petra, ne ſua ipſius culpa dolens, tandem cogatur dicere. Heu me miſerum, Acceſſi ad Medicum, & ecce ſum infirmus, Acceſſi ad lucem, & ecce ſum cæcus, Acceſſi ad fontem uitæ, & ecce ſum mortuus ſicut prius.*

OB *id per altos meditationis receſſus, orando, peccata plangendo, ſuſpirando cum maxima humilitate ſecum recogitet, quis eſt ipſe qui ſacrificat, quia puluis, & cinis, cum deuotione cordis, quis eſt ille cui ſacrificatur, quia Deus Excelſus, cum fide, & ſpe quid eſt ipſum ſacrificium, nempè Dominus noſter* IESVS CHRISTVS, *& denquè cum ardentiſſima charitate propter quid offertur,*

& ſa-

& ſacrificatur, nimirum ut colatur, & laudetur Deus, ut memoria fiat Paſſionis, Reſurrectionis, & Aſcenſionis Domini Noſtri IESV CHRISTI, *ut ipſe & tota Eccleſia uniatur cum Deo, & ut impetretur remiſſio peccatorum pro uiuis atquè defunctis.*

EX *his ingrediatur ad contemplandum, quæ & quanta ſint myſteria ipſius Miſſæ, nempè magna ſignis, maiora uerbis, maxima rebus; quia ſigna ſunt operimenta ſacra frugum, & ſanguinis uuæ, quæ confirmant, & lætificant cor hominis; verba ſunt efficacia & omnipotentia, quibus ſtatim efficitur quod dicitur; ipſis autem rebus ne cogitari quidem poteſt aliquid maius aut melius; nimirum carne uiua, anima Sanctiſſima, & perſona æterna filij Dei* IESV CHRISTI *Domini Noſtri, qui Miſſam inſtituit, traditione monſtrauit, & re ipſa primus celebrauit, pridieꝗuàm in crucem aſcenderet ſedens, & offerens ſe ipſum in menſa, coràm diſcipulis ſuis, factus in omni uita ſua magiſter noſter, in morte redemptor noſter, in Miſſa cibus noſter.*

SIC *illuminatus, & accenſus Dei munere, per* CHRISTVM IESVM *Sacerdos inardeſcat deſyderio celebrandi Miſſam, non intuitu lucri, non ad inanem gloriam, non ex conſuetudine, non ob timorem Epiſcopi, aut ob uerecundiam mundi; ſed propter amorem Dei, & ad imitationem Domini Noſtri* IESV CHRISTI, *qui ob id, uel maximè uult manducari à nobis Paſcha noſtrum, ut & ipſi ſuum ipſius Paſcha manducemur ab eo, & traijciamur in ſuum ipſius corpus, hoc eſt ut efficiamur unus cum illo ſpiritus, non numero tantum, ſed & merito membra illius. Quamobrem Sacriſta ſiue etiam Punctator quàm diligentiſſime hoc unum præ alijs obſeruet, ut ſi uiderit Sacerdotem celebraturum iàm confeſſum, & indutum ueſtibus Sacris in ſecretario miſcere colloquia, diſſolui in riſum cum alijs quibuſcunquè etiam præsbiteris, ſtatim nomine noſtro iubeat illum exui ueſtibus Sacris, & ceſſare eo die à ſacrificando; Vicarius autem noſter quum id reſciuerit in eum animaduertat, pro qualitate diſſolutionis, alioquin ſe nouerit noſtram indignationem incurſurum.*

NON *poſſunt miſceri delitiæ mundi, cum delitijs Dei, Fratres, ut nequè poteſt cum igne miſceri aqua, atquè ideò ſacerdos celebraturus Miſſam, in qua ſunt delitiæ omnium Angelorum, uale, dicens, omnibus uoluptatibus & uanitatibus ſæculi in hiſce delicijs ſpiritus quàm diu poteſt moretur, in ſe ipſo totus collectus, mentemꝗ; & oculos prorſus auertat ab ijs, quibus diſtrahi poſſit, neminem audiat, neminem alloquatur, ſe ipſum ſi poteſt excedat, donec hora uenerit exeundi de ſecretario, in Eccleſiam ad ſacrificandum Deo uiuenti.*

ANTEQVA'M *exeat celebraturus ora, manuſquè diligentiſſimè lauet, denteſquè fricet, ſecurus reliquias aquæ aut uini quibus abluitur ſi traijciantur non in magna quantitate, non impedire ieiunium, atquè adeò ſumptionem Euchariſtiæ; ſit mundus totus ſacerdos, ſuper omniaquè caueat ne illi pollices, & indi-*

ces ſint ſordidi, aut unguium etiam nitentium eminentia, quaſi galeati.

NON exeat autem, pro maieſtate ſacrificij, ſacerdos ad celebrandum, niſi ſonante ſquilla uel tintinabulo, & altari parato, accenſiſquè luminibus per miniſtros ſacriſtæ, exeatquè totus modeſtus, grauis, & compoſitus, uno ſaltem miniſtro, cum ueſte talari, & ſuperpelliceo præeunte, qui librum ferat ritualem, alias miſſalem, cumquè ſuis locis per omnia ab ipſo ſacerdote, ſignatum, ne dum in officio Miſſæ quærere & requirere cogitur unde, ut ſingula quæque ſuis locis dicat; populus qui Miſſam audit, ſcandala patiatur. Inter eundum ad altare Sacerdos neminem ſalutet, nemini ſalutanti reſpondeat, totus in tanti myſterij, & miniſterij cogitatione defixum tenens animum. Illud unum ſecum reputet, ut rem tantam in oculis Dei, & hominum abſquè culpa, & ſine ſcandalo perficiat, accuratè legens, intentè conſecrans, deuotè offerens, reuerenter tractans, & non indignè ſumens corpus, & ſaguinem Domini Noſtri IESV CHRISTI.

CONSCENDENS altare Sacerdos ad celebrandam Miſſam, quoniam geſtat calicem utraquè manu, ut commodè & non indecorè ſurgere poſſit, ſat eſt ut uno genu in ſignum reuerentiæ flexo, terram contingat. Quum primum autem ſacrum craterem uel calicem ſuper menſam altaris in medio aptè & firmiter collocauerit, tum utriſq; genubus pronus ſupplex adoret, caput aperiat, omneſq; exuuias capitis, quas ſub ſacro amictu defert, appendat ad clauum, quem Sacriſta extra ipſum altare dextrorſum, vel ſiniſtrorſum in pariete, ſiue tabula fixerit.

CAVEAT autem ne ſit tàm ſordidus, aut tàm ineptus, ut uel ad momentum prædictum tegmen, vel partem tegminis ſuper ipſam diuini altaris menſam collocare non uereatur. Multò magis autem caueat, ne operto capite Miſſam, uel partem Miſſæ celebret: ſatius eſt abſtinere à celebratione Miſſæ, quàm cum immunditia, & ſordibus celebrare Miſſam. Eiuſdem munditiei gratia præcipimus, ut ille ipſe lauandi actus, quo finita Miſſa catechumenorum, antequàm libum offerat Domino cum recitatione Pſalmi Dauidici manus oraq; abluit, fiat demiſſis manibus, & porrectu extra cornu altaris, ne quicquam ſordidum in ipſum ſanctum altare cadere poſſit.

CONTRA verò, ad purificationem faciendam, poſt ſumptionem Sacramenti Sacerdos non extendat manus, neq; porrigat calicem extra ipſam altaris menſam, ſed illi inhærens cum omni dignitate accipiat de manu miniſtri vinum vel aquam, & quaternos illos conſecratos, & CHRISTI pretioſo ſanguine adhuc intintos digitos perfundat, quantum ſatis eſt; ne fortè fortuna guttula; vel ſtilla aliqua ex digitis non dum ablutis defluens, cadat extra ipſum altare.

NE inter legendum Sacerdos erret, uel hæreat, quod uelut craſſæ ignorantiæ manifeſtum indicium, Sacerdotium ipſum magna ex parte dedecorat: Miſſam ipſam totam, quotidie præuideat, & prælegat; ſit autem in hoc totus, vt quum ad altare rem diuinam facturus erit, non videatur in eo actio vultuoſa,

moleſta geſticulationibus, & vocum mutationibus, quaſi reſultans; ſed cum magna potius oculorum moderatione adhibeatur grauis quidam tenor, ut ipſo etiam geſtu corporu & modo ædificetur populus, qui tum maxime offenditur, quum celebrantes in rebus, tàm ſerijs uidentur ridiculi, in tam ſacris profani, deniq; legendo barbari, & agendo inepti.

PRONVNTIATIO autem ſit alta, quæ loco ſufficiat, quæ impleat aures, & demum ſuauis, quæ demulceat piorum animos.

QVOTIDIE celebrare dixit Sanctiſſimus ille Pater Epiſcoporum & Doctorum gloria Auguſtinus, neq; laudo, neq; vitupero; inde oculos habens ad laudatiſſimum illum Romanum militem, qui dixit. Domine non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum; hinc aſpiciens principem publicanorum, qui lætabundus ſtatim deſcendit ex arbore, ut IESVM ſuſciperet hoſpitio. Nos qui hoc tempore viuimus, qui hoc loco ſumus, quum certam regulam præſcribere non ualeamus, cuilibet Sacerdoti dicimus ex toto corde; Sic uiue, vt quotidie poſſis celebrare. Sed enim Sacerdotes illos, qui ne ipſa quidem die Dominica implent præceptum Domini. Hoc facite, ut omninò ſemel ſaltem in hebdomada, niſi legitimè impediti, iuxta legem, non faciunt phaſe Domino Deo ſuo, tàm nobili ſeruitute; meritò ipſi indigniſſimos iudicamus, tanquàm nimium in Sacerdotali officio negligentes, in ipſius Dei amore tepidos, inutiles Eccleſiæ, oblitosq; penitus ſuæ ipſorum dignitatis, cui cedit vniuerſa Angelorum Maieſtas, & gloria.

SACERDOS autem, qui die Dominica abſq; expreſſa & legitima indulgentia Vicarij noſtri non celebrauerit Miſſam, ſoluat Priori, & Procuratoribus Sanctiſſimi Sacramenti, pro prima uice carlenum argenteum, pro ſecunda duos, tres pro tertia, & pro quarta quatuor; Teneaturq; Prior cum Procuratoribus eas pœnas exigere, in quo ſi negligens fuerit, tantundem ſoluat de ſuo. Qui verò menſem perpetuum non celebrauerit, neq; item communicauerit, in carceribus examinetur, & cauſam dicat.

NON celebrans autem per tres menſes, niſi in itinere fuerit, aut infirmus in lecto decubuerit, uelut tanti ſacrificij contemptor & oſor habeatur, & contra illum, tanquàm ſuſpectum de hæreſi, procedatur, ſecundum iura.

VT omni ex parte appareat populo Dei Maieſtas officij Miſſæ, quoties ex ſeptenis illis noſtræ Eccleſiæ primoribus, qui dignitates uocantur, aliquis Miſſam canit, concedimus ut in officio Diaconi, Canonicus, Præsbyter, & dum quiſq; Canonicus celebrat, præsbyter non Canonicus miniſtrare, & Euangelium cantare poſſit. Archidiacono porrò & Archipræsbytero, qui & ſunt, & dicuntur quaſi Epiſcopi, uolumus ut in ipſo etiam Subdiaconi munere, Præsbyter non tamen canonicus, neq; de ſenioribus præsbyterij ſeruire, & Epiſtolam cantare teneatur.

QVI Miſſam communem & publicam celebrant cantu, caueant nedum hominibus placere cupiunt ad ſtultam quandam oſtentationem velut ludere videantur

deantur ad aras per contentionem, & remiſſionem ſpiritus, canentes voce nunc tremula, nunc tinnula, nunc ſuperba, nunc ſummiſſa, nunc demum more græco, uel barbaro inclinata & vlulanti, ſed vtantur cantu regulari, quem patres noſtri in libris ritualibus notari curauerunt, voceq́ & tono, qui ad compunctionem peccatorum faciat, ſe ſe choris accommodent, & parilibus modulis diuina myſteria canant, tanquàm in conſpectu Dei poſiti, cui hoſtiam ſanctam ſanctè, & pacificam pacificè, hoc eſt, vt mente ſic uoce non diſſona, ſed conſona, & quæ nihil theatrale redoleat, offerre debent. Quicunq́ autem ille fuerit, qui Miſſam cantu celebret, ſiue dignitas, ſiue Canonicus, ſiue ſimplex Sacerdos, ſinguli quiq́ Canonici, Præsbyteri, & Clerici in choro perſtent, donec tota Miſſa per ipſam celebrantis benedictionem peracta fuerit. Quia verò ad celebrandas priuatas Miſſas multi intereà euocantur, præcipimus, vt nemo diſcedat, neq́ etiam diſcedendi licentiam petat, vel quum Euangelium ipſum cantatur, vel quòad incœpto canone peraguntur ſacra myſteria uſq́ ad ſumptionem Sanctiſſimi Sacramenti. Monemus autem, & paterna charitate conteſtamur populum noſtrum, ut ſaltem Dominicis diebus, & præcipuis quibusq́ feſtiuitatibus, de Eccleſia nullus abſcedat, donec compleantur ſacra myſteria Miſſæ Maioris, niſi quos aut infirmitas, aut magna neceſſitas prohibet ne diutius ſtare poſſint. Quisq́ porrò uideat in ſua ipſius conſcientia, vtrum cupiditate ſæculi potius & uoluptate, an rationabili neceſſitate retrahantur. Omnes porrò ſecum recogitent, quàm eſſet ineptum, indecorum, atq́ etiam graui animaduerſione dignum, ſi aliquis uocatus eſſet ad conuiuium Regis, & in menſa diſcumberet ſimul cum Rege abſq́ licentia Regis à menſa regia recederet, antequàm ſigno dato à Rege, uel à miniſtris Regis conuiuium ſolueretur. Itaq́ omnes in Eccleſia ſe ſe contineant, donec populo extenta manu Sacerdos in fine Miſſæ largiatur donum benedictionis, uerè donum, & magnum donum, dignum quod ſymbolicos appelletur Ros & pluuia de cœlo deſcendens ſuper terram ſitientem, per hominem quidem, ſed non ab homine, cui propterea corpore & animo humiliari debent qui Miſſæ interſunt, tanquàm benedictioni Dei, in cuius nomine datur, cui benedicere benefacere eſt: nam ijs qui benedicti ſunt à Domino etiam ſi totus mundus maledicat omnia cooperantur in bonum, ſicut ſcriptum eſt. Maledicent, & tu benedices.

VT autem Laici, nihil omninò prætendere poſſint, quò minus Miſſam quotidie audiant, & audientes conciliati Deo, tanti ſacrificij uirtute, per illius gratiam ſua ipſorum negotia fœliciter aggrediantur, & fœliciſſimè deducant ad finem, in Eccleſia noſtra cathedrali ſingulis diebus celebretur (vt moris eſt) Miſſa in aurora.

DIEBVS autem feſtis, maximè uerò Dominicis, quibus omnes CHRISTI fideles Miſſam audire tenentur, ea prudentia & iudicio diſtribuantur à Sacri-

ſtis celebrationes Miſſarum, ut & populo, & ciuibus, & nobilibus, ipſis quoq; puellis, uirginibus, & innuptis, quòad fieri poteſt ſatiſfiat; ita tamen ut ipſa hora Nona, qua Dominus noſter IESVS CHRISTVS *clamans uoce magna emiſit ſpiritum, & ſacrificium pro nobis conſummauit in Cruce, cuius memoriale perenne Miſſa eſt; finem faciat omnibus Miſſis.*

*L*AICVS, *qui menſe perpetuo Miſſam non audierit, ſi in itinere non fuit, ſi infirmus in lecto non decubuit (quod uix contingere poſſe uidetur abſq; nimia, quadam & maledictione digna negligentia) ſciat ſe à nobis ne in ipſo quidem Taſchæ tempore, ſine pœnitentia publica beneficium abſolutionis impetraturum, & ut ipſe ſalutari pudore confundatur, & cæteri, qui audierint pertimeſcant. Eandem legem ſciant ſibi præſcriptam eſſe omnes mulieres, & anus & nurus, & ipſe quoquè innuptæ puellæ, quas in Domino, quòad poſſumus exhortamur, ut ſecum recogitent, an iuſtum & æquum ſit quotidie pererrare ciuitatem, fora, uicos, agros, ad colligendas oleas ex arboribus, & nolle exire domum ſemel in hebdomada ad uidendam Miſſam, ad colendum inquàm, & adorandum Dominum noſtrum* IESVM CHRISTVM, *qui unus dat nobis, & frumentum, & uinum, & oleum, & cuius munere propemodum ſingulari, & manus uirginalis non lædat, quas tangit oleas, & ipſi oliuarum ſurculi, quod in hiſtoria naturali notatum eſt, gaudent ſpoliari fructibus ſuis à manu uirginea.*

*E*AS *autem mulieres, quæ uel orbæ filijs, uel uiduatæ maritis luctus, & mœroris cauſa, menſes & annos degunt domi, velut in carcere, (quod certè ſuperſtitione non caret, & omninò ſapit morem gentium, quæ futuræ uitæ ſpem non habent) paternè admonemus, ut aliquandò redeant ad cor, & audiant vocem Domini, dicentis ad mulierem illam orbam, ſimul & uiduam. Noli flere, ideoq; confidant* IESVM CHRISTVM *noſtrum omnium conſolatorem illis non eſſe defuturum, ſi illius uoluntati, quæ omninò iniuſta eſſe non poteſt, ſe ſe confirmauerint, & quod decet deuotum fœmineum ſexum, iam deſolatæ Viris, & liberis, in eo ipſo* CHRISTO IESV *omnem conſolationis & refugij ſpem collocauerint. Quibus cogitationibus munitæ cum fuerint, hortamur in Domino, ut imitentur Mariam Magdalenam, & Martham, quæ fratre recens mortuo; cum tàm multi nobiles eas de more conſolarentur, vt audierunt appropinquare* IESVM, *illis relictis, reuerentiæ cauſa protinus exeuntes domum, abſq; ulla cunctatione, venerunt obuiàm illi, & meruerunt uidere lachrymantem* IESVM, *à quo etiam fratris quatriduam reſurrectionem obtinuerunt. Itaq; mœrore depoſito exeant domos, & eant ad uidendam Miſſam ſingulis diebus Dominicis. Sanè in Miſſa uidetur* IESVS, *non iàm ut olim ſecundum carnem moriturus, ſed æternum ſecundum ſpiritum & carnem immortalis, qui vnus eſt ſpes noſtra, ſolatium noſtrum, amor noſter, quin & frater noſter, & Pater noſter, & demum dignatur etiam eſſe filius noſter. Nota eſt vox illa eius. Qui fece-*

ris

rit uoluntatem Patris mei, qui in cœlis eſt, hic meus frater, ſoror, & mater eſt. Ad extremum uerò, ut circulus unde inceptus eſt concludatur, & ſit ſacerdotium ipſum Alpha, & Omegha huius noſtri ſermonis; ipſis ſacerdotibus præcipimus, ut diebus feſtis, præſertim Dominicis, quibus ad hunc ipſum Dei cultum ſupra reliquos dies intentos eſſe oportet, nullus dicat Miſſam pro defunctis, ne puſilli ſcandalum patiantur, exiſtimantes & etiam dicentes in foro (ſicut ſolent) celebrantem ipſi uentri & queſtui potius ſeruire quàm Deo.

QVIN & illud ſtatuimus lege perpetua, ut quoties pro defunctis Miſſa Maior celebratur cantu, nunquàm prætermittatur Miſſa diei, quam conuentualem uocant. Quin potius hæc ipſa Miſſa diei ſi fiat officium de Sanctis celebretur prius; ſi tamen agatur de feria poſterius; Omnino autem ad tollendam uel medicandam ſaltem ſiue labem ſiue ſuſpitionem auaritiæ, non participet de Eleemoſina Miſſæ defunctorum qui Miſſæ etiam ordinariæ non interfuerit, ſiue prius ſiue poſterius eam ipſam contigerit celebrari.

PORRO generaliter & in omni tempore nemo punctum referat pro Miſſa maiori, qui non interfuerit initio cantus Angelorum.

SACERDOS etiam religioſus, cuiuſuis ordinis qui, inter celebrandum uiderit aliquem publicè excommunicatum audire Miſſam cum alijs ſtatim illum publicè admoneat, ut det locum ſanctis. Si etiam ex circunſtantibus aliqui Miſſam non audiant reuerenter, ſed colloquia miſceant, non genu flectant, terga uertant, negocia tractent; eos excitent, ut ſciant ſe eſſe in Eccleſia Sancta Dei ante maieſtatem CHRISTI, & in conſpectu omnium Angelorum. Quod ſi uel ille diſcedere, uel iſti redire ad cor noluerint, ceſſet ex toto à celebratione Miſſæ, futurum ſperans, ut omnino ſancto quodam & ſalutari pudore ſuffuſi compellantur per Dei gratiam, ut errorem agnoſcant ſuum, & reſipiſcant à Diaboli laqueis, liberatique ingrediantur, non tàm materialem, quàm myſticam domum iuxta illud. Compelle intrare.

QVICVNQVE autem ſacerdos in hac re ſpontè negligens & diſſimulator eſſe uoluerit, & etiam ſi non ſit ordinariæ noſtræ iuriſdictioni ſubiectus, ſciat ſe hac ipſa ratione ſola eſſe irregularem, nequè poſſe ſecum in hac ipſa irregularitatis nota diſpenſari, niſi per ſanctam ſedem Apoſtolicam.

SACRISTA denique noſtræ Eccleſiæ, & omnes Parochi, atque etiam Priores Monaſteriorum, & capita aliarum Eccleſiarum, quàmdiligentiſsimè uetent, ne mendici quo uis pietatis prætextu, dum Miſſæ celebrantur circumeant altaria mendicantes, id quod profectò, & ſi multis rationibus dedecet tantam Miſſæ Maieſtatem, potiſsimum tamen fieri debet ad uitandam diſtractionem mentium eorum, qui interſunt Miſſæ: quia mens diſtracta non eſt una, atq; ideò non eſt tota. Quum alioquin tota mente, toto corde, tota anima colendus ſit Deus in officio Miſſæ.

DE PIIS CHRISTI FIDELIVM LEGATIS, QVO'AD PERPETVAM MISSARVM CELEBRATIONEM, ET REDVCTIS, ET PRODVCTIS.

SYNODALE DECRETVM.

QVVM GENERALEM HVIVS NOSTRAE *Eccleſiæ Viſitationem adoriremur in ijs primum, quæ ad diuinum cultum pertinent magno animo (ut par erat) perluſtrantes, & rerum, & locorum & perſonarum tàm uſum, quàm abuſum reperimus (quod omnino ueremur ne propter ciuitatulæ rationem fide careat) legata quæ pij uiri, & mulieres, dormientes in Domino, ad miſſas certis locis, diebus, & horis perpetuò celebrandas reliquerunt aſcendere ad tres ſupra triginta Miſſarum chiliadas. Quod autem dolentes dicere cogimur intelleximus nonnullos defunctorum hæredes, quorum intererat, ut Miſſas celebrari facerent, ne illis quidem niſi rarenter admodum intereſſe & religionis ueritate magnopere ſpreta, ſpecie non nihil retenta ex opinione multa, ex recto iudicio pauca æſtimantes data ſacerdoti quarta argentei caroleni parte, quam quintinam dicunt, exiſtimare ſe eſſe ualde grauatos, niſi ipſe etiam ſacerdos celebraturus emerit faculas; quæ in altari à principio ad finem miſſæ accenſæ teneantur: quum alioquin ex tàm modica eleemoſina Sacerdos eo ipſo die, quo rem diuinam facit, uix ſecundario pane uictitaſe queat. Et hoc quidem totum quid aliud eſ-*

ſe

ſe uidetur, quàm & miſſam, & ipſum ſimul ſacerdotem, & ſacerdotium in oculis eorum eſſe (ut ſic loquamur) ſine honore, ſine aeſtimatione, ſine cenſu? Acriter porrò, & oculis, quam maximè intentis rem totam contemplantes animaduertimus ex his duobus fontibus hoc eſt ex tàm magno numero obligationum, & ex tàm modica quantitate eleemoſinarum, prodiiſſe, prodireque in dies innumerabiles illas ſordes, turpitudines, abuſiones, & pudenda quaeq; dedecora, quae tanti ſacrificij ſplendorem, & dignitatem in oculis hominum obſcurare, inquinareque ſolent; hoc eſt altaria nuda, plena telis aranearum, ſacras ueſtes laceras, tineoſas, ſacerdotes ipſos pannoſos, ſordidos, & nulla ratione uidendos. Inſuper autem quod pijs quibusquè dolendum eſt pietate & meritis graues illae Defunctorum animae, quae tanta bona reliquerunt, indignè & iniquè fraudantur ſua ipſarum ſpe & deſyderio, dum ſuffragia uiuentium expectantes expectant, & nos non intendimus illis, ut quum uenerit conſtitutum tempus dominus recordetur earum, & educat eas de carcere in locum refrigerij lucis, & pacis. Vnde tandem Deus benedictus iuſtitiae, & aequitatis amans, quoniam mortuis non redditur quod debetur in nos qui uiuimus ſaepe iratus exurgit incipitquè effundere phialas irae & furoris ſui, in Sanctuarium ſuum, in ſacerdotes ſuos, in nos ipſos inquàm, Fratres chariſſimi: quos ille conſtituit tanquàm ſecundos quoſdam Deos, ut reddamus, & reddi faciamus unicuiq; quod ſuum eſt, quod quia non facimus, & facere negligimus, meritò ſetet nomen noſtrum coràm principibus, & coràm populis noſtris. Itaquè non ſemel, ſed iterum, & tertiò cum Venerabilibus Fratribus noſtris Canonicis, & cum Reuerendis omnium ferè ordinum Theologis, adiectis quin etiam Iuris peritis, quorum praeter caeteros bonos uiros, doctrina, conſilio, & iudicio ſemper utimur, matura, & diuturna deliberatione habita, uniuerſam correctionem, & reformationem diuini cultus, quò ad miſſas pertinet, duximus eſſe finiendam in haec duo capita. Reductionem miſſarum ex innumerabili hoc numero ad minorem qui impleri omnino ualeat à Sacerdotibus noſtris; & Productionem eleemoſinarum quae pro miſſis erogantur à tenuiſſima illa ad honeſtam, & quae ſufficere poſſit aeſtimationem ac menſuram. Sanè non amputatis hiſtis capitibus, unde tanta ſanies ebullit quotidie, & tantum uirus: etiam ſi omnia alia extincta ſint, uix fieri poteſt, ut non ſuccreſcant alia, unde ſtatim apud plebes, & populos religio hactenus ferè neglecta, ex neglectu abeat in contemptum. Itaquè uehementer nos omnes dum negotium Reductionis quò ad primum caput moliremur, permouebat ingens ille fructus & utilitas ſpiritualis multarum miſſarum, ſi quidem certum eſt in Eccleſia Sancta Dei plus utilitatis tàm defunctis quàm uiuentibus afferre, multas miſſas, ubi caetera ſint paria, quàm unam ſolam: quia & ſi ſacrificium unum eſt ſolum in omnibus etiam Eccleſiis, ex altaribus multiplicatur tamen in ipſa miſſarum celebratione oblatio ſacrificij, atque ideo multiplicantur etiam effectus eius. Mouebant & ultimae uoluntates piorum uirorum; nam religio uidebatur teſtamenta

morte confirmata, hactenus nunquam rupta, ſed perpetuò rata, nunc primum irrita facere, Teſtamenta inquàm eorum, qui benè de reſurrectione, & de uita æterna cogitantes ex ſuis ipſorum opibus bona fide legauerant priuatas miſſas, ut earum ſuffragijs, quibus nullæ preces potentiores, & releuarentur à pœnis purgatorij, & in æterna tabernacula reciperentur. Quin etiam mouebamur ipſi uehementer & terrebamur ex obligationibus, promiſſionibus, conuentionibus, & pactu ſacerdotum, & audire uidebamur uocem illam Patris familias in unius cuiuſq; eorum aures tanquàm tonitru irruentem, & dicentem. Redde quod debes. Demum, & dubitabamus ne ex ipſa reductione miſſarum à quibuſdam ſacerdotibus deludi forſan, & fraudari ſe putarent noſtræ plebeculæ, & illi quoq; Sacerdotes uenales, quibus charius interdum eſt aurum quàm ſacramentum; quorum miſſa nihil aliud eſt, quàm auaritia, quàm idolorum ſeruitus, auri inquàm, & argenti inſana cupiditas; uelut iam facta uia, inciperent conſtituere ſe iudices in cauſa propria ſuarum obligationum, easq; pro uoluntari arbitrio commutarent, uendentes plus offerentibus (proh ſcelus) & miſſas & animas. Vnde tandem labefactari inciperet in omnium animis ſpes cœleſtium bonorum: atq; ideo uia aperiretur ad diminuendum Dei cultum, & pietatem, cui uni & ſeruandæ, & augendæ dies, noctesq;, quoad poſſumus, ut ipſi ſcitis, inuigilamus. Ex aduerſo autem, nobis perſuaſum erat fieri omnino non poſſe ut per numerum noſtrorum ſacerdotum, admiſſis etiam conductitijs omnibus, impleretur numerus ille immenſus miſſarum, ad quarum celebrationem, Eccleſia noſtra unoquoq; anno, ſicut diximus, ipſo obligationis iure tenetur. Inſuper quoque aduertebamus præter multos ſacerdotes ſenio, & infirmitate confectos, nonnullos eſſe quos celebrare, neque deceat, neque liceat, quorum ſimiles utinam non implerent orbem terrarum, ut non quotidie, & in omni loco audiremus ueterem illam querelam. Multiplicaſti gentem, & non magnificaſti lætitiam, Multi Sacerdotes, Pauci Sacerdotes. Poſtremò uero graues illi, qui ſacræ deputationis & noſtro quoque examine probati, legitimè, & non indignè, ut ipſi remur celebrare ſolent, priuatim, & palàm dicebant ſe ſuæ ipſorum infirmitatis per Dei gratiam ſibi conſcios (hoc ipſo ſanè in oculis Dei meliores, quò humiliores in proprijs) non audere per ſingulos dies ſacra facere. Et certè nobis æquum, aut etiam rationi conſentaneum non uidebatur, ut illos ipſos, quorum quiſque hilari & læto animo non ex triſtitia, aut ex neceſſitate dicit ad dominum. Voluntariè ſacrificabo tibi, ipſi ad quotidianas Miſſæ celebrationes angariaremus; præſertim quia teſte conſcientia noſtra, uix ſit uerisimile, hoc tempore præſertim, hoc loco, præsbiteros ſæculares eſſe tàm procul à mundi curis, & negotijs poſitos, ut perpetua hebdomada parati ſint ad celebrandum myſterium illud ſacroſanctum tanta corporis caſtitate & animæ puritate, tanta reuerentia, timore, & tremore, quanta neceſſaria eſt illis Sacerdotibus qui nolunt eſſe rei corporis, & ſanguinis Domini. In tantis igitur dubitationum, & difficultatum ueluti procellis & tempeſtatibus utrinque poſiti.

& planè velut circundati infirmitate, viribus noſtris in totum diffidentes, primum in Dominum conıecimus oculos, & omnes cogitationes noſtras; ut ipſe nobis viam oſtenderet, animum noſtrum firmitate inſtrueret, mentem noſtram conſilio roboraret. Tum Deo ipſo nobis (ut credimus) lumen præferente alta, quadam meditatione repetere cæpimus ſanctiſſimam illam, & antiquiſſimam uniuerſæ Eccleſiæ praxim, quam in Canone ipſius Miſſæ, quoad poterimus diligentiſſimè obſeruauimus. Ex illa enim manifeſtè conſtat, Eccleſia ipſa Sancta, non tàm verbis, quàm æternis ſcriptionibus & actionibus interpretante, eos omnes qui teſtamentario iure legata relinquunt ad Miſſas aliquas pro ſe ipſis celebrandas, illud nequaquàm, uel habere in uotis, uel intendere animo conſtitutas Miſſas, uſque adeo totas debere in ſuam ipſorum utilitatem cedere, ad remiſſionem peccatorum ſuorum, ad redemptionem pœnarum ſuarum, vt reliquos omnes CHRISTI fideles penitus excludant, ab ipſarum Miſſarum fructu, & participatione. Neq; item hac ipſa aliorum omnium fidelium, quàm Chriſtiana Charitas facit Communione exiſtimare ſe ſuis ipſorum ſuffragijs debitis ulla ratione fraudari, aut quomodolibet detrimentum pati. Siquidem doctrina illa ritualis celebrandæ miſſæ, quæ merito canon, & regula dicitur una in omnibus, tàm priuatis, quàm communibus miſſis, in qua nihil eſt non ſanctum, nihil non purum; particularem tùm ipſius Sacerdotis celebrantis, tùm proprij Epiſcopi, atq; etiam ſummi Pontificis generalem uero, non circunſtantium ſolum, ſed omnium uiuorum in primis, deinde etiam omnium mortuorum, nullam porrò (ut credi par eſt) inanem apud Deum per CHRISTVM IESVM memoriam continet. Et ex articulo illo Apoſtolici Symboli, Sanctorum communionem, confitetur pia mater Eccleſia chriſtiano orbi perſuaſum eſſe, quod unicuiq; fidelium, ſi modo membrum non ſit præciſum ab ipſo CHRISTI corpore, ſuffragentur omnia ſacrificia, quæ vbiq; terrarum offeruntur; abſq; ulla iactura earum animarum, pro quibus more maiorum eleemoſina data, & accepta celebrant Sacerdotes. Quam omninò fidem piorum animus veluti inſitam & implicitam, ex ore illorum elicere nequaquàm difficile eſſet, ſi piè à pijs de re tanta interrogarentur. Itaq; tandem ad hunc ipſum veterem ſacroſanctumq; ritum, qui haud dubiè à diuinis noſtris ducibus manaſſe eredendus eſt, velut ad ſacram anchoram putauimus eſſe confugiendum, & ad illius lineam, iuxta hanc communem fidem, tantis huius noſtræ Botuntinæ Eccleſiæ neceſſitatibus, prouidere decreuimus: Vt per ſingulos quidem dies, pro ſingulis benefactoribus tot Miſſæ dicantur, quot dici poſſint, neq; liceat alicui priuato Sacerdoti pro libito commutare Miſſas, ab uno in alterum: ſed quoniam vt dictum eſt, cuilibet ereditorum noſtrorum, ſigillatim vnam Miſſam, vel vnicè, vel etiam principaliter applicare non poſſumus, animis puro, & ſincero deuotionis, & charitatis igne ſuccenſis, velut pietatis magnitudine ſupplentes, quod hoſtiarum multitudine implere non valemus,

mus, tàm ſingulos, quàm omnes, & quibus plura, & quibus pauciora deben tur, communi, & quòad fieri etiam poteſt particulari, & propria intentione ipſi Deo, & Domino Noſtro IESV CHRISTO *alacriter commendemus; Perſuaſum enim vniq; eſſe debet in primis, hoc ipſum Sacramentum, ex ui ſua, & ex communi ipſius* CHRISTI, *& Eccleſiæ charitate, Communiones Sacramentum eſſe; nam & communio dicitur Græcè* συνάξις, *& ipſum lumen, quod communicatur tot ſua, diminuitur, non eſt illius Symbolum, & exemplum. Deinde verò illum ipſum Dominum Noſtrum* IESVM CHRISTVM, *qui montes ponderat in ſtatera, qui ſua ipſius dona in numero, in menſura, & pondere, cuilibet pro vt vult (neq; vero timendum, quin iuſta, & iuſtè uelit) per iuſtitiam diſtributiuam diſpenſaturum eſſe hæc munera, tàm quò ad remiſsionem culpæ & pœnæ, quàm quò ad collationem gratiæ & gloriæ. Et quidem nos omnes, qui ipſius miniſtri ſumus, dum tàm multis & magnis debitis oppreſſi, atq; anguſtiati, reddere cogimur, quod debemus, & ſoluendo non ſumus; ad quem recurrere fas eſt, niſi ad illum ipſum, qui eſt prætium noſtrum, & redemptio noſtra, ut magna confidentia illi dicamus. Domine uim patimur, Reſpon de pro nobis: Et hæc, quò ad primum caput de Miſſarum numero. Quò uero ad ſecundum caput de Æſtimatione: poſtquàm eiuſdem Sanctæ Eccleſiæ doctrina ſimiliter & vſus habet, vt nulla pecuniarum ſumma, tametſi ingens accipiatur, aut etiam detur, tanquàm prætium Miſſæ, ſiquidem nullæ gazæ, nulla æraria, rem tantam infinitis mundis prætioſiorem, æquare poſſent, ſed erogetur recipiaturq; ſimul pro ſuſtentatione vitæ Sacerdotis celebrantis, Neq; enim inanis eſt illa doctrina. Qui altari ſeruit, de altari uiuere debet. Quum videamus ne ultimos quidem pedites, qui mundanam militiam pedibus exercent minore ſtipendio militare, quàm vnius caroleni argentei per ſingulos dies; iudicauimus non ſatis dignum, certè verò parum æquum, vt milites Regis Regum, qui militant longè meliorem militiam, illam inquàm, cuius finis eſt iuſtitia, & pax interior & æterna, quorum propterea manus oleo exultationis inunctas ipſi quoq; Reges, & Cæſares reuerenter exoſculantur, non eandem ſaltem pecuniæ quantitatem pro celebratione miſſæ recipiant, vt honeſtè, & pro Sacerdotij non tàm dignitate, quàm neceſsitate uitam traducere poſſint. Sicq; ratiocinatione facta obligationum, Sacerdotum, miſſarum, omnibusq; & ſingulis ritè perpenſis decreuimus operepratium eſſe, ut denarij illi, quos auara manus diuidebat in quatuor miſſas, pia liberalitate colligantur toti in unam miſſam. Quod tamen ne aliquibus Sacerdotibus occaſio eſſe poſſet auaritiæ, nam illa eſt præſertim, propter quam male audit nomen noſtrum in populis, hac una adiecta conditione, & lege temperari iuſsimus, ut quater quidem in hebdomada celebrare liceat Sacerdoti, quem ipſi primum probauerimus, ſed ſi alijs diebus celebrare uoluerit (quod vtinam omnes facere in Domino ſecurè poſſint) ſit contentus hac*

ipſa

ipſa Dei, tàm inſigni & eximia, vereq́ inuidenda gratia, quod iugè ſacrificium offerre potuerit Domino Deo ſuo, ideoq́ aliam eulogiam nummariæ eleemoſinæ non recipiat. Hac ipſa ſanè ratione, ex ipſis pecunijs priuatas miſſas ſuperantibus maſſa notabilis efficietur diſtribuenda pro celebrandis officijs, & miſſis communibus mortuorum: vnde & frequentiores erunt (ut credimus) atq́ etiam feruentiores omnium ordinum Clerici, quibus pro rata parte diſtribuendæ erunt: & Deus benedictus per ineffabilem miſericordiam ſuam, per paſſionis Domini Noſtri IESV CHRISTI *virtutem, per beatæ Mariæ ſemper Virginis, & omnium Sanctorum merita, & orationes, multiplicatis, quoq́ intercesſoribus miniſtris ſuis, deſyderatam illam, quam promiſit ſuæ propitiationis abundantiam largietur defunctis illis, qui dum hic viuerent ſuperſtites, benemerendo apud thronum gratiæ ſuæ, ſui ipſorum memores fecerunt. Authoritate igitur, & præcepto ſacri Tridentini Concilij, cui in omnibus Eccleſia noſtra directionibus, & reformationibus inhærere iuuat; atq́ etiam uigore Apoſtolicæ facultatis, quam dum hæc omnia moliremur, pro eorum confirmatione benigniſſimè nobis conceſſit, ſicut apparet in diplomate, quod plumbeo ſigillo munitum eſt, Sanctiſſimus in* CHRISTO *Pater, & Dominus* PIVS, *diuina prouidentia Sanctæ Romanæ & uniuerſalis Eccleſiæ Pontifex, huius nominis Quartus, omnibus Diocæſano iure nobis ſubiectis, ſacra hac approbante ſynodo, ſancimus, ſtatuimus, dicimus, & pronuntiamus.*

VT *Capitulum Eccleſiæ noſtræ eligat Procuratorem unum Canonicum de gremio, qui præſtita prius idonea fideiuſſione, onus habeat exigendi miſſarum eleemoſinas à beneficiorum poſſeſſoribus.*

VT *electus Procurator ex libro, quem in archiuo cuſtodiendum fieri iuſſimus, & ſæpè reuiſimus, in quo ſunt uelut regeſta, & in unum relata omnia, & ſingula beneficia, cum oneribus miſſarum, & taxationibus, ſeu reductionibus per nos factis, exſcribi faciat alium conſimilem librum, quem ne errare contingat in huiuſmodi exactionibus, iuxta formam reductionis, ſæpè legat & perlegat, & ab illo non deuiet in exigendis pecunijs debitis.*

VT *eligantur de more duo Punctatores, unus à Vicario noſtro, alter à Capitulo, qui per ſingulos dies miſſas celebratas, & Sacerdotes à quibus celebratæ fuerint, miſſas item, quæ celebrare debuerant cum Sacerdotibus, qui eas celebrare tenebantur, quanta maxima poſſunt fide & diligentia ſcribant; ut deinde iuſta ratione diſtribuantur eleemoſinæ Sacerdotibus illis, qui celebrauerint, & ijs, qui tantum præſentes fuerint, dum celebrarentur officia defunctorum.*

VT *nemo in Eccleſia noſtra celebret miſſas legatas, præter eos, quos deſcriptos ipſi elegimus, & probauimus, & Epiſcopi ſucceſſores, in futurum probabunt.*

VT *quiſq́ eorum pro qualibet miſſa, quam ex debito celebrat, habeat integrum carolenum argenteum.*

VT

Vt non eligantur, neq; etiam admittantur, poſthac vlli Sacerdotes, qui non ſunt de gremio noſtræ cathedralis Eccleſiæ ad celebrandas miſſas aliquas, quæ olim legatæ fuerunt, vel in futurum legabuntur.

Si qui gratiam habent à Domino, ut poßint unoquoq; die celebrare, in Domino celebrent, ſed prædictam eleemoſinam non habeant, niſi quater in hebdomada.

Vt loco miſſarum, quæ multæ ſupererunt, & propter paucitatem Sacerdotum celebrari non poterunt, fiant officia pro mortuis hoc modo. Prima die Lunæ cuiuſlibet menſis, poſt laudes diei cantetur nocturnum primum cum laudibus officij defunctorum, cantatis Dominica immediate præcedenti, poſt veſperas proprias veſperis ſimiliter defunctorum, & illa ipſa die Lunæ, poſt miſſam diei cantetur pariter more ſolenni miſſa defunctorum cum reſponſorio, Libera me Domine, & vniuerſus Clerus intereſſe teneatur; & ita teneatur, ut de maſſa communi, quæ diſtribuitur ijs, qui horis Canonicis interſunt nullus participet, niſi qui præſens etiam fuerit huic miſſæ, & officio pro defunctis. Idem officium fiat, quolibet die Lunæ cuiuſlibet hebdomadæ. Sed primo die Lunæ menſis ſolennius.

Vt eleemoſinæ huiuſmodi miſſarum remanentium diſtribuantur toti Clero pro hiſce officijs, quæ pro defunctis celebrantur. Diſtribuantur autem communi ratione, & vſu huius noſtræ Eccleſiæ cathedralis, quæ habet, vt quarta pars detur Clericis. Tertia Subdiaconibus, dimidia Diaconibus, integra Sacerdotibus, & Canonicis, & dignitatibus. Antequàm autem diſtributiones fiant dematur merces Procuratorum, & Punctatorum.

Vt ſi qui erunt Sacerdotes veterani, benemeriti, pauperes ex eiſdem eleemoſinis foueantur à Capitulo pro eorum qualitate, ne cum dedecore Sacerdotij mendicare cogantur, aut deteriora etiam facere, aut pati.

Vt quantulacunq; eleemoſina pro celebratione vnius Miſſæ à viuentibus detur Sacerdoti, etiam ſi minor fuerit duobus illis minutis viduæ Euangelicæ hilari animo eam accipiat Sacerdos, & miſſam celebret pro anima illius. Sed à morientibus non imponantur de cætero per teſtamenta, neq; recipiantur à Sacerdotibus noua onera miſſarum, niſi ad minus, tantum conſtituatur, quantum ſufficit, vt Sacerdos eo die, quo eſt miſſam celebraturus ex illa eleemoſina ſufficienter viuere valeat. Ad victum autem ſufficientem Sacerdotis vnius diei declaramus, hoc tempore neceſſarium eſſe ad minus integrum carolenum argenteum. Futuris temporibus pro rerum copia & caritate mutari poterit ratio ſi mutanda uidebitur.

Vt in Sacriſtia ad ianuam interiorem dependeat tabella, quæ deſcripta teneat nomina benefactorum; vt vel hoc exemplo intelligant populi neminem excidere è Sacerdotum memoria, atq; ideo neminem fraudari ſuffragijs debitis, ſecundum morem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ.

Vt prædicatores, qui ſacro tempore quadrageſimæ prædicabunt in Ciui-

tate

tate hac noſtra, ſæpè ſæpius denuntient populo in hac Eccleſia Epiſcopali haberi rationem omnium benefactorum; vt excitentur omnes ad benè ſperandum de mortuis, & inflammentur etiam ad pietatem exercendam in mortuos.

Vt doceant interdum eſſe vtilius, & Deo magis acceptum intentione generali requirere ſuffragia Sacerdotum in ipſis miſsis, quàm particulariter exigere pro eorum eleemoſinis, unam uel duas miſſas.

Vt Venerabile Capitulum noſtrum, tàm ſobriè, & modeſtè ſibi aſſumat miſſarum obligationes nouas, futuris temporibus, vt vetera debita in obliuionem non ueniant, neq́ ullo, unquàm tempore diminuantur.

Vt beneficia, quæ de nouo à pijs uiris, cum obligatione miſſarum conſtituentur, in Exemplari libro, de quo ſupra diximus per cameræ Epiſcopalis Fiſcalem, qui pro tempore erit, notentur: tum tranſcribantur per Procuratorem in ſuo ipſius libro, tradaturq́ uterq́ liber per manus à Fiſcali ad Fiſcalem, à Procuratore ad Procuratorem. Quolibet autem anno præſententur Epiſcopo, aut Vicario, ut eos quàm diligentiſſimè in Archiuo conſeruet, ad futuram memoriam.

SERMO

SERMO SYNODALIS DE PSALMODIA, ET TOTO CANTU VNIVERSAE ECCLESIAE.

SIC EQVIDEM DVCEBAM ANIMO, VEnerabiles in CHRISTO Fratres; cogitabam inquàm; deſyderabam, omninò expectabam, rebarquè futurum; ut, hodierna die Conuentus hic noſter, & frequentior ſolito eſſet, & multò lætior, atquè hilarior; quandò de harmonia, & de muſica, tàm iucunda nobilibus animis, quæ canendi rationem habet, cui ſeruiunt uoces, ſoni, cantus, cymbala, chori, cithara; unde & tota ſcientiarum encyclopedia, magna ratione, muſicæ nomen accœpit; non iuxta Hiſmeniam, mihi & Muſis, ſed uobis quoquè, quorum aures, ſcio non eſſe ſurdas; tractaturus accedo. Ecce, ut uidetis, non me mea cura fefellit; liceat mihi quoquè, ludere cum Muſis.

Non fruſtra augurium uanī docuere parentes.

O' Sacrum Lararium, O' Tabernaculum, O' diuinum templum; ſicut lætantium omnium, habitatio eſt in te. Ecquis eſt, qui inter has aras reboat, qui aures meas complet, tàm dulcis, ac ſuauis ſonus? Sonus Cœlorum, Sonus Angelorum, Sonus Prophetarum, Apoſtolorum, Omnium Citharedorum, citharizantium in citharis ſuis? Quid? omnes naturæ rerum, omnia quæ in mundo ſunt, cœlo, terra, mariquè canunt, recinunt, ſonant, reſonant diuinas laudes; & quomodo laudant? dum materiam nobis præbent laudandi, glorificandiquè Deum, ut ſingula quæque linguæ quædam, & ora eſſe uideantur; cuncta porrò ſimul œcumenicam faciant Synodum, in cuius theatro æternis præconijs collaude-

tur

tur Diuina Maieſtas. Habent (ut ſcitis) laudationes omnes lætitiam, ut Orationes gemitum, ut meditationes deſyderium, ut contemplationes ſuſpirium. Ergò ipſi quoquè dum de canendis diuinis laudibus ſermo eſt, lætemur, gratulemur, exultemus, dicentes. Gloria in Excelſis non Apollini, ſed vero Deo, non Muſis, ſed Moſe, & cæteris diuinis Vatibus, nequè tàm rithmis, & numeris, quàm Sacris Symbolis, quæ ſunt materia ſuppellex diuitiæ, & deliciæ uniuerſæ Chriſtianæ poeſeos. Putate ad uos loqui Theologiam Symbolicam, Fratres Dilectiſſimi, & loqui ferè in hunc ſenſum, de Muſica Eccleſiaſtica. Creator rerum omnium Deus pro Maieſtate ſua, quæ tanta eſt, quanta ne cogitari quidem poteſt, laudari, cantariquè cupiebat per omnes terras, ab omnibus populis, hoc enim illi debetur, Laus à fama, & celebritate diuini nominis; Honor à plenitudine dominij, & imperij ſuper omnes creaturas; Virtus ab omnipotentia, ſapientia, & bonitate, tanquàm Gloria ab æternitate, & abſoluta ratione principij, quo nihil prius: porrò nullis ſonis, uel cantibus delectabatur, perinde ac ſui ipſius pſalterij, & citharæ. Itaquè quum olim clauſa eſſent ora Canentium Domino, Exurge, inquit, gloria mea, Exurge pſalterium, & cithara. Et ecce Exurgam, inquit, diluculo, & confitebor tibi in nationibus, Domine, & omnibus populis annuntiabo laudem tuam. Hunc dialogum edidit (ſicut ſcitis) diuinus Pſaltes, cui CHRISTVS, *Symbolicòs in anima Pſalterium, in carne cithara fuit. Quum enim lætaretur inimica Iudæorum Synagoga, quòd in corde terræ iaceret confracta hæc muſica* CHRISTI IESV, *per quem unum omnibus ſæculis, offerri ſibi uoluit hoſtias laudum, & uitulos labiorum noſtrorum; Deus Pater confeſtim iuſſit, ut deuicta morte reſurgeret, ut tacentes citharæ ſuſcitaret muſas, ut ab imo ad ſummum impleret omnes numeros, ut percuteret omnes chordas, ut in extremam terram diffunderet omnium linguarum uoces, & ſonos laudum ſuarum. An non paruit* CHRISTVS IESVS? *Excitauit enim cælos, animauit terras, commouit ipſos quoquè inferos ad gratulandum Domino, ad laudandum Dominum, & annunciandum mirabilia opera Domini: Quem ſequuta Eccleſia per omnes ſæculorum curſus, cum omnibus Muſis rationem habens, omnium Gratiarum numeros tenens, familiari, & domeſtico uſu, dum officia perſoluit in templis, dum ſacrificia libat ad aras, canit omnes ſacras & cuiuſuis muſici lepòris plenas diuinarum rerum modulationes, hymnos, carmina, & cantica ſpiritalia; quæ, Sanctiſſimi Vates, aues canoræ, candidi Cycni, & argutæ luſciniæ, uiuentes, & agentes, non in carne, ſed in ſpiritu, poeticis numeris, modis, uocibus, & deniquè Deo, quo pleni erant, digna muſica cecinerunt; digniſſimi ipſi, quorum præclara nomina muſicis notis excipiantur, & cum laude, & iubilo, ubiquè canantur in omne æuum. Ob id ipſa eadem Eccleſia omnia artificia, & inſtrumenta, uoce, flatu, pulſuquè ſonantia, choros inquàm, plectra, pſalteria, Organa, tympana, ſed & cymbala, tintinabula, tubas*

dulationes, & cantus muſici, ſunt iucunda, quædam & gratiſsima ciborum odoramenta, condimenta, ſalſamenta. Et hæc Spartani, quidem forſan alto, & auſtero ſupercilio renuerent, quibus hic unus mos erat, & prandium anguſtia cœnæ, & deambulando obſonare cœnam. Sed certè Athenienſes, & reliqui Græci, qui ſe homines, neq́ uerò, ut Stoici, ſaxeos, aut ferreos, ſed planè carnales eſſe cognoſcebant; ſi non exquirebant cum Sybaritis, tamen poſiti ad menſam libentibus animis excipiebant delicata quæq́, quæ per ſympoſiarcham offerebantur; & clauſo conuiuio deſcendentes, illi agebant gratias, quod ab eo bene paſti, odoribusq́, & unguentis delibuti fuiſſent. Profectò uerò Infantes etiam uix nati permulcentur uocum, & ſonorum modulationibus, & aërij illi, ac tenues ipſorum ſpiritus, quibus anima illigatur corpori, aërijs quoq́ ut odoribus, ſic cantibus, & ſonis aluntur, reficiuntur, recreantur. Et omninò conſtat, in tantis muſicæ rationibus, quas ipſe Antigenides omnium uocum egregius modulator inuenit Æolia, Simplici, Aſiatica, Varia, Lydia, Querula, Phrygia Religioſa, & Bellicoſa Doria, uix ullum eſſe hominem, cui ſit, tàm aſperum pectus, qui ſit tàm auerſus à muſis, tàm ab ipſa humanitate alienus, ut nulla eum muſica capiat, & oblectet, hoc eſt, uel mœroris, uel gaudij, aut amoris, ſiue belli, & demum, rerum omnium quoruncunq́. Quod ſi altius aſcendendum eſt, ratio ipſa probat naturam rerum, & ordinem, exigere magnam quandam, uelut grauium, leuiumq́ uocum conſonantiam, & concentum; ut ſociari poſsit anima hominis, qua Deum ferè tangimus, cum humano corpore, quo iumentis inſipientibus comparamur; ut inde conflettur homo, mundi miraculum; in quo uno, omnia, quæ in mundo ſunt, ſibi inuicem conſonant tantæ harmoniæ admirabilitate, ut ſit pœnè par mundanæ illi muſica, quam fecit rerum inter ſe ſe coeuntium ratio, & proportio, cuius & ſacræ literæ meminerunt. Legitur enim Concentum cœli, quis dormire faciet? Sed tranſiliamus iam naturæ fines, & iura. Nos qui in CHRISTVM credimus, filij gratiæ, qui inquàm olim obſidente Dæmone, ſurdi, & muti, nunc per CHRISTI beneficio uocales facti, Deum & diuina ex fide audimus, & loquimur, niſi à Muſis prorſus, & à Gratijs alieni eſſe uelimus; quid magis decet, quàm ut extollentes uocem per omnes modulationis tonos, acutum, grauem, circunflexum, denſum, tenuem, breuem, longum, hoc eſt non ſimpliciter legendo ſolum, ſed & numeroſè canendo, proſa inquàm, & carmine iubilemus Deo ſalutari noſtro? Ipſum porrò CHRISTI IESV Euangelium, quod uis quædam eſt Dei, ad ſalutem omnium credentium, nunquàm diſtracta, neq́ extincta, ſed ſemper oriens, & congregata, cuius fœliciſsimi ominure, & nomine, in Deo ſtamus, & Deo ſeruimus, an non iure ſuo exigit à nobis, ut in publicis Chriſtianorum cœtibus, clariſsima uoce, quæ ab omnibus exaudiatur, cantemus, clamemus, profiteamur, conteſtemurq́, quod filij Dei ſumus, quod ſpe uiuimus, quod in Domino ſemper gaudemus? Qui in gratiam

noſtram glorioſè honorificatus eſt; dum victor armatus, equum, & equiſonem, peccatum, & mortem, mortem, & Sathanam proiecit in profundum maris? Hæc Moſes non fecit apud Iudæos, non fecit Hercules apud Gentes, & tamen Iudæi per omne ſabatum legunt, & canunt ſuum Moſen; & inter Ethnicos Sacerdotes Salij inter Iuuenum, & Senum choros, vt eſt apud Poetam. Euinčti tempora ramis, carminibus herculeas laudes, & facta ferunt. Ob id igitur illo ipſo CHRISTO IESV, quaſi noſtro præcentore, ſiquidem, & ille hymnum dixit Deo; non ſpiritu ſolum pſallimus, ſed corpore etiam exultamus, non heroica, ſed Deo digna facta, altè canentes, laudantes, magnificantes, ideoq; vociferantes, ouantes, triumphantes, iubilantes. Non priſca illa, ſed noua, & nouo populo, quem genuit ſibi Deus, digniſſima muſica, quæ tametſi ijs, qui foris ſunt, eſt auribus & cordibus moleſta, inſuauis, atquè odioſa, vtpotè extra melos enharmonicum., diatonicumquè, & chromaticum, quibus Ethnici omnes melodias contineri putabant: à noſtris, tamen ex Sanctiſſimo ipſius Eccleſiæ nomine, Eccleſiaſtica Emphaticôs appellatur. Digna ſanè quæ inſeratur altaribus, quæ impleat choros, quæ adhibeatur ad laudandum Deum in hymnis, ad ſedandos, & componendos mortalium animos in pſalmis, ad celebranda demum Diuorum merita, & præmia in canticis, vſquè adeò mulcet, & rapit, delectat, & terret. Quippè quæ plena carminibus, lamentationibus, & ueh; iuuat ad uirtutis labores, non prurit ad carnis delicias, emollit ad deuotionem, & pietatem ſuauitate cantus, non frangit ad libidem effeminatis vocibus, geſtibus, & modis; deniq; eliquat corda virorum ad luctum, & ad lachrymas, non diſſoluit filios hominum ad uanitates, & nefarias vitæ huius obſcænitates. Muſica verè ſpiritalis, ſicut & ipſa Chriſtianæ Religionis virtus ſpiritalis eſt, & vitalis, unde etiam canendo ſpiritales, & vitales captamus auras. Neq; enim noſtra canimus, ſed diuina, Pſalmos Dauidicos, Cantica Moſe, & Prophetarum, Epithalamium Salomonis, Cantica Trium Puerorum, & Angelorum, Hymnum, quem cecinit Virgo Mater, & vltimum, quem addidit venerabilis heros Simeon Iuſtus, publico nomine Eccleſiæ, excipiens IESVM in ulnas ſuas, pro lumine gentium, & gloria Iſdraelicæ plebis. Quàm varia poemata, Fratres? quàm elegantia, quàm Sancta, & diuina? quàm porrò vetera? quàm antiqua? Priſci poetæ, Philoſophiq;, & Theologi apud gentes, de rebus diuinis, & naturalibus, ut & ipſi oracula fundere viderentur, more Prophetarum, & ſyllabarum mira pangebant carmina, heroica, lyrica, comica, tragica, adde, epica, melica, dythirambica, ſed omnia ad imitationem primum, deinde ad æmulationem ſacrorum carminum, quæ multò anteà diuini Vates in lingua illa Sancta, uerbis minus uſitatis, ideoq; obſcuro ſermone, incredibili porrò, & cuius vix corpus apparebat eloquentia, de rebus, & præteritis, & futuris, ore magno ſonabant. Ex una illa

canendi

canendi ratione, ex vna illa poetica, omnes cantus, omnia poemata, omnes figuræ, omnes colores, omnia lumina, tanquàm riui ex ampliſsimo, & profundiſsimo fonte manarunt. Ob id & in omnis generis carmina transferuntur, & ad ſingula muſicæ artis inſtrumenta, inter religioſas aures cum incredibili voluptate cantantur. Quanquàm quid neceſſe eſt commemorare alia cantica, quum Eccleſia Sancta Dei tenore perpetuo, velut accepta ab Apoſtolis pedagogia in diuinis officijs, ſiue grauiter canat, ſiue acutè, ſiue aſperè, ſiue leniter, ſiue plangore, ſiue plauſu, ſiue tinnitu tenui, ſiue ingenti tonitru magna ex parte, nihil aliud ferè ſonet, & reſonet, quàm Dauidicos pſalmos, & quæ in eis ſentit uocem dilecti, in myſtico dominicæ Crucis Pſalterio pſallentis ſuauiter, & omne genus Dæmoniorum ſapienter incantantis. Ecquam magnum pſalterium ille ipſe CHRISTVS IESVS? *Dauidicum poema, quod pſalterium hodie dicitur (Inſtrumenti enim illius ad quod pſallebat Dauid vix memoriam habemus, niſi formam, aliqua ex parte referunt Organa noſtra, uel certè Harpa, quam ad hunc vſq; diem Æthyopes vocant Moſanch Dauid) illa inquàm carmina Dauidica ſunt anima, & ſpiritus vniuerſæ ſcripturæ ſacræ, & procul dubio* CHRISTVS *noſter, Euangelium ſuum, doctrina ſua, eſt anima, & ſpiritus totius pſalterij. Tota laus, & gloria Dei* CHRISTVS *eſt, ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius, hæc ipſa laus, & gloria cantatur in pſalterio. Ergò in* CHRISTO *pſalterium, &* CHRISTVS *in pſalterio. Ob id enim noſtri chorodidaſcali oculis ſpiritualibus aſpicientes in hunc pſaltem, qui eſt verus Dauid, typici illius Dauidis, ut carne filius, ſic Mauſlate Dominus, omnem Eccleſiaſtici cantus rationem pſalmodiam appellant, & cantorem pſalmiſtam, vnde, & ordo cantoratus, pſalmiſtatus dicitur. Et quidem vnus illis carminibus, quæ cecinit Dauid, ſi non vnus certè primus, & præcipuus Pſalterij pulſator; paterq; pſallentium, à quo primum vox pſalmi nata eſt, & canticum pſalmi, & Pſalmus cantici; illis inquàm Dauidicis hymnis, vel canticis, quanta ineſt uniuerſæ poeſis gratia, & lepos? quanta carminum omnium poteſtas? Vis? Senſus? quanta magnarum rerum ſublimitas? fœcunditas? admirabilitas? Et ubi unquàm tantus, ac tàm dulcis ſonus? ſiue imus, ſiue ſummus, ſiue medius. Sanè tres ictus ſonorum differentias, gradus, ordines, numeros implent tres illæ Pſalmorum Quinquagenæ, Pœnitentium inquàm, prima qui ex imo pectore trahunt illa ſuſpiria Pſalmi Quinquageſimi.*

Miſerere mei Deus, ſecundum magnam Miſericordiam tuam.

IVSTORVM *altera, qui inter ſpem Miſericordiæ, & diuini Iudicij metum, non nihil vocem attollunt cum Pſalmo Centeſimo.*

Miſericordiam, & Iudicium cantabo tibi.

TERTIA porrò Beatorum, quorum omnis vox, & ſonus deſinit in pſalmum tertio quinquageſimum, qui nimirum inſatiabiliter Deum laudantes, inſatiabiliter quoq; Deum ab omnibus creaturis laudari cupiunt, vndè & clamant cum cælitibus.

Omnis ſpiritus laudet Dominum.

VT omninò appareat, quod eſt Decas in numeris, id eſſe pſalmos in carminibus, nam & pſalterium Decachordum dicitur; quod Pſalmodia ipſa verè ſit plenitudo, conſummatioq;, & finis omnium carminum, omnium poematum magna, quædam penus, diues, & beatum copiæ cornu, ipſa quin potius immenſa copia Poeticæ, Rethoricæ, Muſicæ, Philoſophiæ, Theologiæ, compendiumq;, vt tandem dicam, & ſumma totius legis, & Euangelij, in CHRISTO IESV, in quo omnia (vt Diuus Paulus dixit) recapitulantur. Et quidem Tres Pſalmorum quinquagenæ, ſunt quindecim, hoc eſt, octo & ſeptem decades pſalmorum; quum Ogdoas ſit numerus teſtamenti noui, Eptas veteris; Vt appareat omninò plenam, & perfectam eſſe muſicam ipſius pſalterij, vt cui nihil deſit, & in qua nihil redundent; nam & Paulus Apoſtolus, ut ille ipſe Galathis ſcribit, manſit Hyeroſolimis apud Petrum dies quindecim, quò utriusq; ſcripturæ myſteria iuxta Diuum Hieronymum pleniſſimè doceretur. Sed vbi nam inſiſtimus? Cur minutias haſce numerorum non negligimus? Currendum eſt enim, nam moras res tanta recuſat. Pſalmus primus, à quò, vel ipſe Dauid, uel Eſdras libro pſalmorum initium fecit, ille palàm indicat, nec indicat ſolum, ſed quaſi clauis totius operis aperit, & oſtendit, quanta ſit maieſtas huius diuiniſſimæ Pſalmodiæ: præfatur enim altiſſimè à capite illo deſyderatiſſimo, & per omnia ſæcula cunctis, mundi ſapientibus occultiſſimo, quibus terminis res humanæ finiantur, & iucundiſſimo carmine ingreditur uniuerſæ Philoſophiæ latiſſimos campos, ad inſtruendos mores illius, qui non tàm huic ſæculo, quod præterit, quàm ipſi Vero Deo, qui eſt primus, & ultimus in omni æuo, uelit eſſe beatus. Illic de pietate, de ſapientia, de virtutibus, de præmijs, de animorum immortalitate, de pœnis ſceleratorum omnium, non in hac uita ſolum, ſed in futura, ubi coronabuntur, qui virtutes, & damnabuntur, qui uitia ſectati fuerint; Illic de ipſa Dei gratia, de Beatorum conuentu, & quaſi choro, de Inferorum ſupplicijs; denique (ut uno verbo dicam) de finibus bonorum, & malorum, admirabili copia ſententiarum, figurarum, hoc eſt luminum, & colorum, propheticè, myſticè, parabolicè, poeticè, philoſophatur. Indequè profectò mutuati ſunt quot quot de humana fœlicitate omnibus linguis aliquid rectè ſcripſerunt, uel proſa, uel carmine. Quod ſi ad conſequendam æternam illam, ex qua miſere olim ceciderimus

cidimus

tidimus fœlicitatem, alienus aliquis fortaſſe requirit, myſteria CHRISTI, qui ad rem tantam unus eſt mediator Dei, & hominum; habetis ſecundum pſalmum, vel certè ſecundam partem ipſius primi pſalmi, qui tum vocibus, & verbis, tum arcana ſapientia, & interpretatione, hoc eſt, & in cortice, & in medulla præfert Meſsiam CHRISTVM IESVM, verum Deum, veri Dei vnigenitum filium, ante omnia temporis ſæcula, ſemper natum, qui eſſet futurus Rex, & daturus leges, quas ſequerentur omnes gentes, nimirum incircunciſæ, immundæ, & barbaræ. Nam Hebræi omnes populos, præter Iſraelitas, hoc nomine, ſignificant eſſe impios & barbaros, qui etiam omnem linguam barbaram uocant, præter eam, quæ ſola dicitur lingua ſancta, imò & lingua ſanctitatis, nimirum qua loquutus eſt Deus, qua loquuti ſunt Prophetæ, qua ſcripta eſt lex, & vniuerſa Prophetia. Adde quod eodem pſalmo decantantur, & bella, & triumphi ipſius Meſsiæ CHRISTI IESV, aduerſus gentes, aduerſus Iudæos, & demum introducitur ille ipſe iudex conſtitutus viuorum, & mortuorum, dans iura mundo, cui omnia ſubijciantur, cui omne genuflectatur, cui cælum, & terra pareat, in quem, qui confidunt, beati; à quò, qui recedunt, miſeri ſint. Porrò de CHRISTI myſterijs, de Paſsione, & morte, unde ad nos manauit naturæ noſtræ ſalus, & uita, habetis qui nos illos pſalmos xxj. xxxiiij. Quartum ſupra quinquageſimum, & duos octauos, vnum ſupra ſexageſimum, alterum ſupra centeſimum. Primi initium eſt, Deus Deus meus reſpice in me. Secundi, Iudica Domine nocentes me. Tertij, Exaudi Deus orationem meam, & ne deſpexeris deprecationem meam. Quarti, Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ, uſq; ad animam meam. Quinti, Deus Laudem meam ne tacueris, quia os peccatoru, & os doloſi ſuper me apertum eſt. Iam ſi reſurrectionem quæritis, extat pſalmus cxvij. cuius eſt titulus, Hallelluia, vbi canitur illud carmen. Hæc dies, quàm fecit Dominus exultemus, & lætemur in ea. Lætam autem illam orationem, & triumphum, quandò ſublatus ſuper cælos, ſedit ad dexteram diuinæ Maieſtatis in excelſis, canit Pſalmus nonus, ſupra centeſimum. Dixit Dominus Domino meo ſede à dextris meis, quem pſalmum ſemel obiecit Phariſæis CHRISTVS (ut ſcitis) ex Euangelio Matthæi. Quid uobis, inquit, uidetur de CHRISTO cuius filius eſt? Reſpondentibus enim illis Dauidis urgere cœpit. Quomodo ergò Dauid uocat eum dominum in ſpiritu dicens Dixit Dominus Domino meo &c. Et nemo, inquit, Matthæus poterat illi reſponderе uerbum. Iam ſi CHRISTI laudes audire deſyderamus, & laudes Matris eius, & Apoſtolorum ſimul, per quos fundata eſt Eccleſia Sancta Dei, extat pſalmus xliiij, cui initium eſt. Eructauit cor meum verbum bonum. Ecquàm pulcher illi affixus eſt titulus Canticum amorum? Vnde & Pſalmi numero ternario conſequentes, Regni CHRISTI, quod eſt Eccleſia, canunt fortitudinem, magnitudinem, & fœlicitatem, Euangelium autem, & propagationem, ipſius per

omnes terras cecinit pſalmo xviij, cuius primus verſus eſt, Cæli enarrant gloriam Dei. Ad inuitandum autem omnes gentes ad lætitiam, & exultationem pro tanta, & tàm inſigni humani generis gratia, quod iam Deus ubiquè regnet per CHRISTVM IESVM, & dominetur omnibus, nationibus, compoſuit pſalmos lxxxviij, xcuij, xcv, xcvi, & xcvij, Miſericordias Domini in æternum cantabo. Venite exultemus domino. Cantate domino canticum nouum, cantate domino omnis terra. Dominus regnauit, exultet terra. Cantate domino canticum nouum, quia mirabilia fecit. Neque verò prætereundus eſt pſalmus ille. Laudate Dominum omnes gentes, collaudate eum omnes populi, qui paſſim decantatur in omni loco, & tempore; eo enim futura quaſi facta deſcribitur, & celebratur diſſeminatio Euangelij per omnes terras. Propter quod & Diuus Paulus illum citauit in Illuſtri illa Epiſtola ad Romanos. Legem porrò diuinam mirum quàm eximijs attollit laudibus pſalmo illo tantæ generationis cxviij. Beati immaculati in uia, qui ambulant in lege domini, quàm incredibili artificio diſtinxit per octonos verſus, & per illas uoces, Mandata, Viæ, Iuſtitia, Iudicia, Iuſtificationes, Teſtimonia; ut mirum ſit non eſſe verſum, ne unum quidem, in quo non audiatur aliqua ex illis uocibus. Quantum artificium? Artificium Spiritus Sancti, omnium eſt enim artifex, omnem habens uirtutem, omnia proſpiciens. De antiquis porrò illis, & magnis beneficijs, quæ Deus contulit filijs Iſrael, extat pſalmus ſeptimus ſupra ſeptem Decadas. Attendite popule meus legem meam. Inclinate aurem ueſtram in uerba oris mei; & pſalmus Octauus ſupra nonageſimum. Dominus regnauit, iraſcantur populi; & ille tàm uarius, tàm elegans, tantæ melodiæ, non poeticus ſolum, ſed (ut ſic dicam) poetiſſicus. In exitu Iſrael de Ægypto, Domus Iacob de populo barbaro. Creatio cæli, & terræ, conſeruatioque, & adminiſtratio totius mundi, cantatur pſalmo quarto ſupra centeſimum, cui initium eſt, Benedic anima mea Domino, Domine Deus meus magnificatus es uehementer, in quo ferè legitur coſmopeia Moſe numeris, & carminibus deſcripta, & celebrata. In uniuerſum autem laudes Dei, & nominis eius, potentiæque & bonitatis canuntur pſalmo quarto ſupra centum & quadraginta, cui etiam titulus eſt, Laudatio, initium autem. Exaltabo te Deus meus Rex. Sed & pſalmus numero lineari octauus idem habet argumentum, Domine Deus noſter quàm admirabile eſt nomen &c. Pſalmus autem octauus ſupra centum & triginta, Domine probaſti me, & cognouiſti me, laudat diuinam ſcientiam, & ſapientiam, quòd illi nihil ſit occultum, quòd uideat omnia, quòd ſciat omnia, quòd paria ſint Deo lux & tenebræ, quia uidet lucem, & tenebras, & nihil eſt inuiſibile oculis eius, ne interiora cordis quidem. Subſtantiam porrò, eſſentiamquè ipſius Dei, & perſonas diuinas, quàm luculenter cecinit eo pſalmo, cui eſt initium. Deus miſereatur noſtri, & benedicat nobis, & illo. Exultate Iuſti in domino. In uno enim legitur, Verbo Domini cæli firmati

mati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis uirtus eorum; & in altero illud, quod eſt expræſsiſsimum. Benedicat nos Deus, Deus noſter, benedicat nos Deus, & metuant eum omnes fines terræ. Prouidentiam porrò, de qua olim tantæ diſputationes inter Philoſophos, dum uiderent malis omnia ad uota ſuccedere, bonos contra aduerſitatibus præmi: arbitrarenturquè propterea omnia caſu euenire, quod & Prophetas interdum fatigauit, quis unquàm cecinit altius, copioſius, fælicius, quàm lyricus noſter Dauid pſalmo illo, cui initium eſt. Noli æmulari in malignantibus, & illo. Quàm bonus Iſrael Deus, & illo. Dixit iniuſtus, ut delinquat in ſemetipſo. Demum in materia de peccatis, quibus unis efficitur, ut optatam fælicitatem quam initio deſcripſerat, non præueniamus, ſunt ſeptem illi Pſalmi, qui Pœnitentiales dicuntur, quibus miro ordine petuntur ſeptem dona Spiritus Sancti, nam non ſine illis habetur pœnitentia gratia, ut neque innocentia, neque perſeuerantia. Contra tentationes autem omnes, & ſingulas, unde peccata concipiuntur, naſcuntur, fouenturquè; & augentur, Eſt pſalmus ille, unde & publicè & priuatim auſpicamur de more omnia diuina officia. Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me feſtina. Ita tandem totam diuinorum officiorum materiam, de qua paulò antè proprio ſermone (Si meminiſtis) loquuti ſumus, manifeſtum eſt contineri hac ipſa ſancta hymnodia, pſalmodia. Atquè ideo nemini mirum uideri debet, ſi hac una uoce ψάλλειν, uel ψαλμωδεῖν, exprimatur tota hæc praxis celebrationis diuini Officij. Nam præter lectiones, omnia ſumuntur ex pſalmis, & ipſa etiam materia lectionum non eſt prorſus extra pſalmos. Hymnus quidem Fratres Dei laudem cum cantico ſignificat, ſed Pſalmus, uox eſt, ducta ab inſtrumento, quod pſalterium dicebatur, ut ſonum ſignificet potius quàm cantum. Interdum autem legitur canticum pſalmi; interdum pſalmus; cantici quia aliquandò Pſaltes pſallebat, priuſquàm caneret, aliquandò prius canebat, quàm pſalleret. Dum ergò uox humana ſequeretur pſalterium, dicebatur Canticum pſalmi, dum pſalterium uocem humanam pſalmus Cantici. Puto uos intelligere. Eſt concentus, Eſt Conſonantia. Concentus eſt uocis ad ſonum; Conſonantia eſt ſoni ad cantum. Ex concentu ergò Canticum pſalmi; Ex conſonantia pſalmus Cantici. Iuterdum uerò Dauid nihil canebat, ſed tantum percutiebat pſalterium quod fortaſſe fecit ante archam Domini, ita ut tanquàm ludio haberetur, ob id quandoquè reperitur titulus ſimplex. Pſalmus; Vox autem pſalmodia compoſita eſt ex pſalmo, & oda, quaſi hæc ſacra carmina ſint Odæ. Nam omnes uerſus lyrici, odæ præſertim, quæ Græcis ſunt cantus Deorum, ab oratione ſoluta parum recedunt. Et tales profectò ſunt pſalmi, Et ante Pſalmos talia erant cantica Moſe, Et talis eſt liber Iob. Nequè enim in his metris hebraicis Græcorum & Latinorum more, Syllabarum tempora obſeruantur ulla, tametſi ob quandam ſimilitudinem, & propter rythmum Diuus Hieronymus dixit hos uerſus currere Spondeo, Trocheo, & Dactylo, quod

& de carminibus in lingua Italica compoſitis, dici poſſet, tanto uerborum curſu contexta ſunt.

CANONES.

IN VNIVERSVM ERGO OPTAMVS, VT VERBVM *illud Sapientiſſimi Regis, cuius cor plectrum erat Spiritus Sancti ad pſalendum, & cantandum, Illud inquàm, Quoniam Rex omnis terræ Deus; pſallite ſapienter quiſq; Clericus, ad ſe pertinere putet. Neq; enim illi ſapienter pſallunt, qui lingua tantum pſallunt, & non mente, quorum uoces feriunt cælos, & cogitatio, & intentio repit in terris, qui labijs exultant Deo, animis ſubſultant ſæculo: ſed qui dum diuina pſallunt, nihil aliud, quàm quod pſalunt cogitant ſenſibus cuſtoditi, moribus compoſiti, Deo intenti, ab hoc ſæculo in totum mente abſtracti. Sic canitur, & glorificatur* CHRISTVS, *ſic uritur, & confunditur Iudæus, Phariſæus. Hæreticus; Quid? Sic effugatur Diabolus, nam & pſallente Dauide, Saul leuius habebat, quem uexabat malignus ſpiritus.*

CANTARI *uult publicè diuina Maieſtas ſuas laudes, & efferri in templis altiſſimis uocibus ſua ipſius magnalia; nam in orationibus priuatis etiam ſi labia non moueantur, etiam ſi uix non audiatur, quod de Anna ſcribitur in libro Regum, quæ manifeſta fide, ſed occulta prece loquebatur ad Dominum; nihil deperit Oranti; quandò Deus non longè, eſt ab uno quoquè noſtrum, & audit ſecreta cordis noſtri. Sed in ipſis cantibus Eccleſiaſticis laudari, & Orari uult Deus labiorum noſtrorum cymbalis, benè (ſicut ſcriptum eſt) non malè ſonantibus. Itaquè canant Clerici noſtri, canant; quia ſi illi deſinent, lapides clamabunt, ſed ne mens diuiſa non imperet, quod poſtulat: canant tàm corde, quàm ore, meditentur, ruminent, guſtent, & ſapiant, quæ canunt, hoc eſt enim clamare, & cantare in toto corde, & clamare clamore ualido, quod de* CHRISTO *dixit Apoſtolus. Et quidem Eccleſia per eos canit, ut Deum laudet, non ut illi, uel ſibi inaniter placeant, uel ut populum tanquàm Hipocritæ decipiant. Sanè Deus, cui ſe canere dicunt, ut ſcientiam habet uocis, ſic diſcretor eſt cogitationum cordis, ideoquè dicit de eis, id quod olim de Phariſæis dixerat. Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè eſt à me.*

VNVSQVISQVÈ *ſe ſe choragis accommodet, ut (quod uox chori per ſe ſe indicat) una eademquè uocis non exaltatione, non inundatione, ſed modulatione, cantantes chorum faciant; nam ubi conſonantia non eſt, chorus non eſt.*

SI *qui ad ſtultam quandam, & inanem oſtentationem, inter ſe conuenerint (quod ipſi aliquandò experti ſumus) ut unus pſalmum protrahat alter,*

contrahat

contrahat unus legat, alter cantet, unus quaſi in theatro reſonet, etiam pertranſeuntibus, alter quaſi in cubiculo uix ſibi, & ſocio pronuntiet; ij omnes confundantur publicè, & ſimul eijciantur de choro.

QVI porrò neſcientes quid agant, dum canunt, malè canunt, & dum legunt, perperàm legunt, & omnino legere: & cantare uocaliſſimè uolunt, ex quorum ingratis uocibus, diſſonum quid, & tumultuoſum auditur ſimile Chao, non Choro: admoneantur bis, & ter, futurum eſſe illis multò præclarius, & Deo benedicto longè, longèquè acceptius, ut uel in ſilentio, uel in ſibilo ſpiritus tenuis Deum laudent, quàm ut cum ſcandalo populi, & cum ſuo ipſorum dedecore, mugitibus, indecoriſquè illis, & theatralibus uocibus, cœlum implentes, Deum offendant, qui non eſt Deus diſſentionis, ſed pacis, qui non diſpergit, ſed colligit, deniquè, qui habitare facit unanimes in domo. Quod ſi uel non intellexerint, uel intelligere noluerint, caſtigentur iudicio Reuerendi Vicarij noſtri.

NON ad uoluptatem aurium, ſed præcipuè ad compunctionem cordium, iuxta cantum regularem Eccleſiaſticum, canantur Pſalmi in odæo noſtro; Et eadem lege componantur omnes alij cantus, qui audiendi ſunt in Eccleſia noſtra Cathedrali. Ea uerò ſit muſica, quæ modico flexu uocis uerba ſuauiter, & planè ſonet in audientium animos, ut dum pronuncianti ſimilior eſt, quàm canenti, illi qui audiunt, non tàm moueantur hominum cantu, quàm rebus diuinis, quæ cantantur; idquè iubemus, ut non flutuet animus inter pericula uoluptatis, & experimenta ſalutis. Nam uoluptas cantus ſine omni periculo non eſt in hac mortalium hominum muſica, ſed tantum in gloria Beatorum, ubi homines erunt, ſicut Angeli Dei.

MEMINERINT Cantores, apud pios uiros, paria eſſe criſpare crines, corrugare ueſtes, & frangere uoces. Et quidem omnia uanitas, in populo quidem fortaſſe ferenda, ſed in Clericis, ſeuerè punienda; quanquàm & populus erit admonendus, ne dum blanda uox quæritur, uia recta deſeratur.

IN cantu non præcidant uerba, nequè tranſiliant, non muliebre quidam quaſi balba de nare uoce remiſſa ſonent; ſed uiriliter, ſtrenuequè depromant, attentè, & reuerenter expediant, diſtinctè pronuntient, affetuòsè, iucundequè pſallant, ut non tàm canere, quàm iubilare uideantur, hic eſt enim uerus cantus, iubilus, & iubilus cordis.

DENVNTIAMVS iram Dei, & noſtram omnibus cantoribus, qui in Eccleſia hac noſtra Botuntina, obſcæna, turpia, aut etiam uana, & omninò indigna templis, & choris immiſcere non erubuerint diuinæ Pſalmodiæ.

MONEMVSQVE, & quantum poſſumus obſecramus cantores, per uiſcera Domini noſtri IESV CHRISTI, ut ſciant, & intelligant nihil pertinere ad muſicam Eccleſiaſticam, quod non reddeat pietatem, ſanctitatem, puritatem, & (ut uno uerbo dicam) Chriſtianitatem, quæ ſi quis eam breuiter de

finire

finire uoluerit, nihil aliud dicet, quàm quod ſit pulcherrimus atquè inſignis omnium, ſimul virtutum, & gratiarum chorus.

CANTARE *amantis eſt, Fratres Dilectiſsimi, ad vos Muſici noſtri loquor, vobiſcum ſermo mihi eſt, adeſtote animis, vt adeſtis corporibus. Cantare inquàm amantium eſt, & gaudentium; ergò pudeat cantare Deo, & non amare Deum. Ecquæ cantica putatis, quæ melodia cantantur à beatiſsimis illis animabus, & Angelis Dei, in Regno cœli, in Regno inquàm amoris, vbi non regnat, niſi qui amat, & fœlicius regnat, qui plus amat? Nos fœlices, ſi quandoq. dabitur, ut ſecum cantare mereamur Domino de dulcibus illis, ſuauiſsimis, & mellifluis canticis Sion; Non hic in terra aliena, vbi aduenæ ſumus, & peregrini, ſed illic vbi erimus ciues ſanctorum, & domeſtici Dei; cantabimus pſallentes in cordibus noſtris, gratias agentes ſemper in omnibus, & laudantes Deum, & oſſa quoq. noſtra exultabunt Domino, & dicent. Quis ſimilis tibi? Itaq. delibatio quædam erit futuri ſæculi, & arra æternæ illius fœlicitatis, & voluptatis, ſi meditantes torrentem illum gaudij, quo inebriabit vos Deus in ubertate domus ſuæ; nunc vim vobis inferatis, ut obſeruantes præcepta, & conſilia, perueniatis ad præmia, & parata, & promiſſa. Tunc enim ſine fine cantabitis plenis organis, & chorus perpetuum illud, ad quod omnes ſuſpiramus diuinum Halleluia.*

NON *eſt uobis ſiſtendum in dulcedine cantus, & ſuauitate muſicæ, quam adhibetis in celebratione diuinorum officiorum, ſed procedendum eſt ulterius ad ſeruiendum Deo, & uiuendum ſecundum Deum; nam neq. ipſis ægrotis ſiſtendum eſt in exigua illa dulcedine mellis, quod in ſumptione pharmaci prægustandum datur circumlinito à Medicis poculo; ſed forti animo haurienda eſt medicina, ut conualeſcant. Dulceſcit amaror pharmaci in ore ægrotantis, Dulceſcat, & labor diuini officij in animis ueſtris; Sic miſcetur dulcedo cum auſteritate, auſteritas cum dulcedine. Sic temperatur, & uirtus cum uoluptate, & uoluptas cum uirtute, Carmen ipſi non ignoratis.*

Omne tulit punctum, qui miſcuit utile dulci.

TOEDET *Cantores (ut uerum dicam) dum eandem cantilenam ſemper audimus in choro. Verum eſt enim illud carmen.*

Occidit miſeros crambe repetita magiſtros.

ATQVE *ideò, tàm ſæpè admonuimus uos, ut ad exhilaranda corda noſtra nouos cantus edatis, componatis, cantetis. Ergo occaſionem hinc quoq. ipſi accipientes diſcite, & iuxta pſaltem cantate canticum nouum. Qui mundum*

& qua

& quæ in mundo ſunt, diligit, canit canticum uetus. Nouum canticum eſt dilectio Dei, quæ nos renouat & ſpiritu, & affectu, & mente ipſa in ſe ipſa, nunquam ueteraſcens. Omnes Pſalmi carmina ſunt diuini amoris. Incipite iam amare, tunc enim noua cantabitis, quum cœperitis facere, quod cantatis.

HOC uitium commune eſſe dicitur Cantoribus, ut uino, & uictu, piſcatuq; probo electili uitam colentes, adagium illud mundo dederint, quo ipſa etiam muſica dedecoratur, & infamatur: Muſicè uiuere. Hortamur ergò noſtros Muſicos, ut contrà, ſobriè, & temperatè in cibo, & potu, hoc eſt uerè Muſicè, & canonicè uiuant; præter id enim, quod illis ſemper erit uox clara, & ſuauis, diutius etiam ſani, & incolumes uiuent, & quod diù facere uolunt, diutius facere poterunt. Notior eſt enim quàm, ut hoc loco referatur Xenophilus ille muſicus, qui centum & quinque annos, ſine ullo corporis incommodo uixit, mollis uſus Medicorum artibus, ſed ſola diæta, hoc eſt moderata illa uictus ratione, quam uulgus bonum regimen uocat. Quoties autem Muſeum aſcendunt, ut canant diuinas laudes, orationem præmittant ad Dominum, ut det illis uocem, in ſua ipſorum ora, benè ſonantem; præcipuè uerò, ut ſurſum habeant cor ad Dominum; & illud placeat cordi, quod cantant ore; ne Deus indignatus, dicat illis: Quare cantatis iuſtitias meas, & aſſumitis uerba mea, per ora ueſtra?

SERMO AD SYNODVM, DE DIEBVS FESTIS.

ASCENDIT AVTEM, ET IESVS AD DIEM *feſtum, Ecce adeſt dies feſtus, dies præclarus, ſolennis, ſplendidus, lætus, luculentus, dies, de quo ad uos dicere & licet & decet Fratres. Buccinate in neomenia tuba in inſigni die ſolennitatis ueſtræ. Ecq; Buccinatorum tuba tàm uocalis, quàm Oratio? Oratio inquàm Euangelica, Apoſtolica, Eccleſiaſtica, uerè tuba cornea, facta ex cornu unicornis, ex doctrina* CHRISTI IESV, *qui in Regibus, in Sacerdotibus, in Legiſlatoribus, in Prophetis, in Dijs unus eſt, & ſecundum non habet. Itaquè tempus eſt, ut hac ipſa feſtiuitate, quæ initium eſt tantarum feſtiuitatum, chriſtiana oratione, quæ cur non uocem, non ſpiritum, non modulationem, non ſuauitatem Luſciniæ habet? quò ad poſſumus medeamur negotioſis iſtis, & malè feriatis hominibus, quorum quotidie audimus uoces illas inſanas, uoces impias. Tollamus dies feſtos de faſtis, Quieſcere faciamus dies feſtos Dei à terra. O' ſcelus, O' immane nefas. Omnes feſtiuitates huius ſæculi nequàm, ludi gladiatorij, nundinæ flagitioſiſſimæ, dies regum natalitij, luſtrici, nuptiales, triumphales, panegyres, luſtrationes, agonalia, bacchanalia, lupercalia; quoquè in quibus nihil non uidetur ſceleſtum, nihil non perpetratur obſcænum, tanta cum populorum frequentia, pompa, & ſolennitate celebrantur, ut ſi quid prætermiſſum fuerit, ſcelus exiſtimetur piaculari expiandum uictima. Contra uerò dies feſti, & religioſi ijquè omnium maximè, quibus ſemel in hebdomada iure diuino ſolennitates indictæ ſunt, quos uelut ſacroſanctos Sanctiſſimè colere oportuerat, in quibus diligenter & cuſtodiendis, & obſeruandis magna pars religionis continetur; & plebi, & primis hac ætate noſtra ubiquè habentur neglectui, deſpectui, contemptui. Famoſi ſunt dies Feſti Ethnicorum, Deorum Sacrificia, populi Epulationes publicæ, ludi, & ſpectacula, feriæ, & Ceſſationes. Ecquis referat quàm*

publicè

publicè colerentur luſtrationibus, repreſentationibus, Scenis, locis ſerijs. Nam ne Marcum Antonium quidem, illum dico Triumuirum, dum Cæſar ſederet toga pur purea amictus, & in ſella aurea coronatus, non puduit ſe exhibere lupercum, quod & Cicero notauit. Profectò uerò Eccleſia Sancta (ut hinc incipiamus) cum ex Sacris literis uocet proprijs nominibus diem ſolarem & Saturniam, tanquam dies maximè Sacros, & ſelectos, nempè unam Sabati, & Sabatum; Sabatum propter legem, unam Sabati propter Euangelium; alios tamen dies uno communi nomine uocat Ferias, planè indicans chriſtianis hominibus non illos duos ſo lum, ſed prorſus omnes & ſingulos dies oportere eſſe feriatos, feſtos, fauſtos, lætos, iucundos, Ob id enim conſtituit caput Feriarum unum illum diem, quem dilectus Domini uocauit diem Dominicum, quo ut olim non tàm primo, quàm uno Deus fecit lucem, & quo tanquàm octauo iuſſit de tenebris mortis ſplendeſcere lucem CHRISTVM, *quòd ab eo die, omine quàm fœliciſſimo cœperit omnis noſtra feſtiuitas, omnis noſtra iucunditas, atquè lætitia; nimirum ſpes reſurrectionis, in uitam futuram æternam & immortalem. Verè enim (ut dixit Apoſtolus) niſi* CHRISTVS *ſurrexiſſet a mortuis, miſerabiliores eſſemus omnibus hominibus mundi. Quoniam autem deuicta morte reſurrexit, ipſi quoquè per eum de puluere noſtro tandem nos ſurrecturos & ſecum æternum uicturos eſſe confidimus: unde & non ſemel in hebdomada, ſed per ſingulos dies, per ſingulas horas, ſemper ſine intermiſſione, non inani, ſed certa & ſolida ſpe in Domino gloriamur. Qua uoluptate, iucunditate, feſtiuitate, qua maior aut eſſe aut cogitari poteſt? Nam dum pij uiri intra ſe ipſos per* IESVM CHRISTVM *ſentiunt uitam illam æternam, ſupra omnem uitam, ſupra omne tempus, ſupra omnem mentem, tum maximè beatos ſe eſſe putantes exultant, geſtiunt, lætantur, gaudent, continuam feſtiuitatem agunt; uelut delibantes partem illius diei feſti, qui quum aduenerit, tunc erit perpetuus Sabatiſmus populo Dei. Verè perpetuus habens quidem mane, & meridiem, ſed non habens ueſperam, nimirum cuius lumen non eſt Sol, nequè Luna, ſed Agnus ille Sole & Luna ſplendidior, unde omnis lux, omnis dies, omne lumen lucis & diei. Et quidem uiris ſpiritalibus omnes dies ferè ſunt æquales, feſti, fauſti, quibus per omnem uitam diuinorum beneficiorum memoriam agunt nunquàm intermorituram. Porrò illis, qui ſæculo magis uacant, quàm Deo, qui facilè obliuiſcuntur ipſius Dei, & diuinorum beneficiorum, quorum gratia (O infœlices) uiuit miſerum, & afflictum mortalium genus, Sancta Eccleſia, quæ commune debitum non acerbè exigit, ſed communi fragilitati multa facilè remittit, & condonat, magno iudicio, pieq; admodum, & ſanctè iuxta morem aliarum gentium, quarum nulla erat, tàm profana, quæ non uno quoq; anno codicillos faſtorum deſcriptos, & numeratos haberet; conſtituit, & præſcripſit dies quoſdam paucos, in quibus ſingulis annis conueniendum ſit uniuerſo populo, & cum ſolenni*

pompa

pompa in templo celebranda officia, myſteria, ſacrificandumq́ & litandum ipſi Deo, quos propterea feſtos ab otioq́ & ceſſatione in latina lingua feriatos & ferias vocat. His enim indicuntur feriæ à iurgijs & litibus, à ludis, ab operibus, & laboribus ſeruorum, à negotijs profanis, & prorſus à mundo; ut omnes utriuſquè ſexus CHRISTI *fideles liberi, & ſoluti à curis ſæculi, quæ vel ſcelus ſunt, vel vix implentur ſine ſcelere, alacres animo, & expediti; uacare poſſint quoq́ pro ſua ipſius uocatione diuinis theorijs. Ecquæ vera feſtiuitas, quod uerum gaudium haberi poteſt extra Deum, Fratres mei Dilectiſſimi? Illa ſola ſunt feſtiua gaudia, illi ſoli puri amores, illi ſoli ſuaues guſtus, quos nobis afferunt contemplationes, & meditationes rerum diuinarum. Quid? Imò uerò tàm diù uiuimus, quàm diù ipſius Dei meminimus. Nomen habes, quod uiuas mi Frater, ſed verè mortuus es, ſi Dei non recordaris, & quomodo uiuis, ſine uita? Ille eſt uita, Quàm dulce eſt viuere? Quàm amarum mori? Ergò ſi uiuere cupitis, Guſtate Guſtate, & uidebitis, quam ſuauis eſt Dominus. Hinc illud Apoſtolicum. Si tamen guſtatis, quàm ſuauis eſt Dominus: Illi qui de ſapientia ſæculi in immenſum gloriantur, iudicantes inter diem, & diem, ſed Domino (ut Pauli Apoſtoli uerbo utar) non ſapientes diem, hoc eſt non referentes dies in Deum, ſed in planetas, in ſtellas, velut pulcherrimo illo, & iucundiſſimo aſpectu rerum cœleſtium, faſcinati cæca ſuperſtitione, non dies ſolum, ſed menſes quoq́ dicabant ſuis ipſorum Dijs, ſex Dijs maſculis, & ſex fœminis; Pudet meminiſſe tantæ profanitatis in loco tam ſacro: ſed quid faciam ad tantam ſuperſtitionem conuincendam? Ianuarium itaq́ Iunoni, Neptuno Februarium, Martium Mineruæ, Aprilem Veneri, Apollini Maium, Iunium Mercurio, Ioui Iulium, Auguſtum Cereri, Vulcano Septembrem, Octobrem Marti, Dianæ Nouembrem, & Decembrem Veſtæ dicauerunt. Quin & iuxta monumenta Romanæ uetuſtatis planetarum, quoq́ in cælo ſitum & ordinem indignè peruertentes Aſtronomi, Aſtrologos uerius dixeris, conſtituebant planetas dominos horarum atq́ idcò & negotiorum, quæ ſtatis horis mira ſuperſtitione celebranda, etiam à poetis canebantur. Inde illis occupatiſſima uanitate, & curioſitate ſpectantibus, diuinantibus, augurantibus, ariolantibus, oriebantur dies feſti, & nefaſti, albi, & atri, triſtes & læti: Et quidem dum ſibi metuerent, ore præfari ſolebant, tanquàm ex ſignis, ſed uerè apud eos & ſignis & cauſis, ijsq́ prorſus certis atq́ immutabilibus; quod ad euertendam Religionem, ut ipſi non ignoratis fortiſſima eſt machina. Illud autem, vsq́ adeò perſuaſum habebant, ut ſupra cælos nihil eſſe crederent, & ne cogitarent quidem: Nam & ipſum Deum ſubeſſe horis, cælo, & aſtris, & dicebant, & docebant; quorum erat illud pronunciatum palàm impium, atq́ nefarium. Si quis Deo ſupplicauerit ea hora, qua Luna Ioui cum capitis Draconis coniuncta fuerit, eum quicquid petierit impetraturum. O impietatem impietatum omnium*

nium

nium maximam. Procul, procul augures, procul aruſpices, procul genethliaci omnes, qui cœlo ludunt, qui ſupputant dies, & annos, ut annuntient uentura nobis. An uerò non uidetis, quàm verbis alienas ditant aures, ut ſuas auro locupletent domos? Impij, ſceleſti, nefarij, auari, idolis ſeruientes. Itaq; nos militiam cœli non colimus, neq; ſuas ipſorum intelligentias, à quibus cœli ipſi & aſtra mouentur, & reguntur, utrunq; enim comprahenditur à diuinis uatibus nomine militiæ cœleſtis, ſed corde puro & integro adoramus unum verum & viuum Deum, & Dominum Noſtrum IESVM CHRISTVM, *cui allegati ſunt cœli, cui obnoxij ſunt Planetæ, cui militat uniuerſus orbis, cui paret Sol, & Luna, cui natura tota famulatur, cui fata obediunt, apud quem nullus eſt caſus, nulla fortuna, qui cuncta arbitrio ſuo regit, qui ſingula moderatur, qui ſolus eſt uerè Dominus omnium, qui neq; mutari, neq; expugnari poteſt, qui ubi comprahendere & caſtigare uoluerit, præuenit ueloces, fallit prudentes, ſubuertit fortes, deponit ſublimes, & dat cor pauidum ferocibus. Eia, Fratres, hunc ſolum Deum timete, hunc ſolum amate, qui, ut vult, & læta triſtia, & fauſta reddit infeſta. Quid Chriſtiano cum ariolo? cum planetario? cum ſuperſtitioſo? Certè ut de nobis loquamur ipſi uix patienter audimus haſce uoces, Dies planetarios, Diem Lunæ, Diem Martis, Mercurij, Iouis, Veneris, Saturni, Solis. Vtinam uerò fieri poſſet, poſtquàm* CHRISTO *auſpice (hac uoce nunc mihi loqui liceat) euanuerunt ex orbe omnes hi Dij gentium, Sol, Luna, Venus, Mars, Mercurius, Saturnus, Iuppiter; ſic aliquandò tandem hæc ipſa quoq; dierum nomina aboleantur, & nihil ſuperſit amplius reliquiarum Ethnicæ gentis in populo Chriſtiano; ſed ubiq; numeralia nomina audiantur, legantur, ſcribantur, quibus Deus indigitauit dies, nimirum dies unus, dies ſecundus, dies tertius, dies quartus, dies quintus, dies ſextus, dies ſeptimus; ut abſq; ullo dierum delectu annuntiemus iuxta Prophetam de die in diem ſalutare eius,* CHRISTVM *inquàm, qui eſt dies de die, & dies in diem, lux de luce, & lux in lucem, hoc eſt uerbum de Patre in Spiritum Sanctum. Id enim decet nos, qui in* CHRISTVM *credimus filij lucis, filij diei, huius lucis, huius diei, lucis æternæ, diei æternæ,* CHRISTI IESV, *quem Pater Abraham tantoperè uidere deſyderauit, & ut uidit exultauit;* CHRISTI *qui ſemper natus nullo unquàm exitio occaſurus, triumphator Mortis & Inferni, ſemper uiuens, & regnans, conterensq; Sathanam ſub pedibus noſtris, nunquàm non illuceſcit in cordibus fidelium. Habuit, Fratres, & ante nos humanum genus ſuos dies feſtos, ſuas luces ſolennes, & feſtiua gaudia, atq; ſpectacula. An non fuit magna feſtiuitas creatio illa Mundi, Generatio cœli, & terræ, Illa aquarum diuiſio, congregatio, pulcherrima illa telluris facies, uiriditas plantarum, arborum, herbarum, Multitudo illa animalium, uolucrum, reptilium, Iubar illud immenſum Solis, Lunæ, Aſtrorum, Chorea illa ſignorum cœleſtium, motus illi,*

*tàm rati, tàm certi, tàm regulares. Verè dies feſtus ortus, ex nocte, ex nihi-
lo in gratiam humani generis. Et quidem quid eſt dies, niſi lux, & quid eſt
nox, niſi tenebræ. Sic enim Moſes vocauit Deus lucem, diem, & tenebras no-
ctem. Sed quàm maior, quàm ſolennior fuit feſtiuitas non creationis, ſed re-
creationis, & reparationis huius mundi, poſt tantas tenebras peccatorum, poſt
noctem inquàm illam horrendam, qua ipſum quoq; cælum, & terra infœliciſſi-
mè obruebantur. Nox præceſſit, dies autem appropinquauit, clamat Apoſto-
lus. Erit autem, & tertius dies feſtus, quem expectamus, de quo ſcriptum
eſt, Melior eſt dies una in atrijs tuis ſuper millia. O quæ dies, O quæ feſtiui-
tas, uerè una, uerè ſingularis, dies, cuius comparatione omnes hi noſtri dies
ſunt noctes, ſunt tenebræ, Nam hic ambulamus ſemper per fidem, & non per
ſpeciem; Fides autem ænigma habet, & omninò non caret tenebris, ſed tamen lux
in tenebris lucet, ut propterea & caligo lucida, & nox illuminans appellari poſ-
ſit. Quid ſi dicam & omnia hæc, quæ nobis in diebus iſtis, tàm multa, & tàm
magna uidentur, uerè eſſe nihil comparata ad illam rerum firmitatem, ſtabili-
tatem, æternitatem, quam dabit dies feſtus cæleſtis gloriæ? Verè enim huc re-
ſpexit Salomon, quum induens Concionatoris perſonam non ſemel exclamauit,
Vanitas uanitatum, & omnia Vanitas. Itaq; ille dies uerè erit dies feſtus, erit
ſolennitas magna, erit lætitia ſempiterna, quæ omnium finis, nullum omninò
habebit finem. Et quidem primo illo die dedicata fuit natura, ſecundo fuit
fundata Eccleſia, tertio ſanctificabitur & Eccleſia & Natura ipſa tota, quò
tanquàm Sabbato delicato erit enim magnus ille dies Sabbati, & ſingula, &
omnia liberabuntur (ut inquit Apoſtolus) à ſeruitute corruptionis in libertatem
gloriæ filiorum Dei. Sed iam a tanta Theologiæ ſublimitate deſcendendum eſt,
& redeundum unde diſceſſiſſe uidemur, hoc eſt ad dies feſtos Eccleſiæ. Pauci illi
dies, quos feſtos habet Eccleſia Sancta Dei non ſunt per ſe ſe meliores, aut fæ-
liciores ſupra cæteros; ſed eo ipſo Eccleſiæ Sanctæ delectu meliores, & celebriores
fiunt cæteris, dum ex congregatione fidelium, ex mutuo aſpectu, ex dulcedine
ſancta ipſius Religionis, & cultus, ex lectione, & auditione uerbi Dei, ex re-
cordatione beneficiorum eius, ex communicatione fractionis panis, & Deo ma-
gnificè gratias agimus, & nos etiam lætiores, atq; iucundiores efficimur per Do-
minum noſtrum IESVM CHRISTVM, qui nobis, quum de eo loquimur
iungitur comes, & facit, vt cor noſtrum ſit ardens in nobis, eo legente, & in-
terpretante ſcripturas per ora concionatorum, per celebrationes Miſſarum, per
Lectiones, & cantus diuinorum officiorum; Ita non ex ſuperſtitione obſerua-
mus, ſed ad Religionem eligimus dies, non fauſtos, vel infauſtos, ex cælorum
aſpectibus, ſed venerandos, & obſeruandos ex myſterijs, quæ ſancto inſpirata
ſpiritu Eccleſia ſpectanda, contemplanda proponit CHRISTI fidelibus. Et
in ueteri quidem teſtamento figuræ illæ & umbræ dierum ſacrorum atquè ſolen-*

nium,

nium, delibationes quædam erant ueræ feſtiuitatis, quam aduehebat uentura illa dies à patribus tandium deſyderata & expectata. At uerò ubi uenit plenitudo temporis illa ipſa CHRISTI ueritas, fuit plena feſtiuitas; feſtiua cælo, feſtiua terræ, feſtiua Angelis, feſtiua hominibus; uerè (ut D. Paulus dixit) Dies ſalutis, verè dies gratiæ, verè dies fœlicitatis noſtræ. Solennitates porrò, quas ipſi celebramus anniuerſariæ ſunt, quaſi reliquiæ omnium feſtiuitatum, ſicut ſcriptum eſt. Et reliquiæ cogitationum diem feſtum agent tibi, neq́ reliquiæ ſolum, ſed & renouationes, quibus quod factum eſt, adhuc fieri uidetur, ne per ingrati animi crimen, noſtram memoriam, noſtram contemplationem, noſtrum ſtudium, amorem, deſyderium, omninò prætereat, quod re ipſa in mundo præterijt. Et quidem dies Dominicus in animis noſtris renouat memoriam creationis mundi, tanquàm dies primus, in quo dixit Deus, Fiat lux & facta eſt Lux: excitat autem ad deſyderium ultimæ ætatis reſurrectionis mortuorum, & æternæ uitæ, tanquàm dies octauus; quum enim circulus temporis ſeptem ætatum ſpatio compleatur, octaua dies meritò Symbolum eſt æternitatis, ut propterea tot Pſalmi legantur, quorum titulus eſt pro octaua. Et deniq́ tanquàm dies Domini, de quo Ioannes dilectus dixit. Fui in ſpiritu in Dominica die; excitat memoriam, intelligentiamq́ ſimul & reuerentiam reparationis, cuius iure, & meritò à Deo Patre, factus eſt Dominus noſter IESVS CHRISTVS. Quod ſi creatio appoſitè tribuitur Patri, Redemptio autem Filio, & Glorificatio Spiritui Sancto, relinquitur ut dies Dominicus verè ſit illa feſtiuitas, in qua & tres perſonæ diuinæ, & tria illa præcipua, atq́ omnium præclariſſima facinora, quibus agnita eſt mundo Sanctiſſima Trinitas, tanquàm in die ſolenniſſima, & omnium dierum, quaſi Epitomate, colantur, & celebrentur. Vtinam uerò & ipſi ex illis tribus diebus, tres alios in nobis ipſis dies illuminemus; Diem Fidei, Diem Spei, Diem Charitatis. Iſti ſunt inuiſibiles dies myſtici, quos obſeruare debemus Religione perpetua, de quibus, & ſcriptum eſt. Viam trium dierum ibimus, & ſacrificabimus Deo noſtro. Sed age iam finiamus.

VT ergò perpetua memoria habeatur eorum dierum, quos feſtos haberi ſtatuimus in Eccleſia noſtra Botuntina, Eccè diarium ſubſcripſimus, quod Græcè ipſi ἐφημερίδα diceretis, notauimusq́ per totum annum diſtinctè, & ſeorsùm dies ſingulos, quos Clerici in diuinis officijs ſolennes ducere, & quibus Laici, aut in Ciuitate ſolum, aut etiam in agris, à ſeruilibus operibus abſtinere, & Deo ſoli vacare debent.

CALENDARIVM ECCLESIÆ BOTVNTINAE.

IN PRIMIS OMNES DIES DOMINICI, ABSQVE ulla exceptione ab omnibus qui CHRISTI fideles haberi uolunt, colantur religioſiſſimè, tamquàm iure diuino, & non humano ſolum præ cæteris diebus ſelecti, ſacri, & ſancti.

PRIMA verò, & præcipua dies Dominica, quæ caput eſt cæterarum omnium, in quibus nulla alia particularia myſteria recoluntur, ſit ſemper omnibus annis illa qua Eccleſia celebrat feſtum, Sanctiſſimæ Trinitatis, quia ille ipſe vnus, & verus Deus eſt ipſa Sanctiſſima Trinitas, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, Ideoquè à ſummo mane ad ſolis occaſum religione perpetua ubiquè celebretur tanquàm. α. & ω. totius diuini cultus.

SINGVLAE feſtiuitates Domini Noſtri IESV CHRISTI, per quem ab ipſa Sanctiſſima Trinitate petimus, & impetramus omnes gratias; ſicut ab ipſo Sole per medium Chryſtalli lapidem in ſubiectam eſcam cæleſtes, mutuamus ignes.

NATIVITAS inprimis, cum tribus ſequentibus diebus.

SANCTI STEPHANI, qui primus uidit IESVM CHRISTVM à dextris virtutis Dei.

SANCTI IOANNIS, qui vltimus ſcripſit Euangelium CHRISTI, aduerſus omnes Antichriſtos.

SANCTORVM Innocentium, qui non loquendo, ſed moriendo confeſſi ſunt ueritatem CHRISTI.

CIRCVNCISIO, qua excuſſo iugo legis, quod ne patres quidem noſtri ferre poterant, euangelizatum eſt dulce illud nomen IESVS, cuius fælici omine annus nouus conſecratus eſt Chriſtianæ religioni.

EPIPHANIA, qua ad fidem, & ſalutem gentium noua ſtella apparuit, & perduxit orientales reges, ut CHRISTVM IESVM ſtellam matutinam, ſplendorem gloriæ Dei Patris, lucem lucis, Solem Solis adorarent Thure pio, Auro Regio, Myrrha Sepulchrali.

RESVRRECTIO cum tribus præcedentibus ſaltem

Pasſionis, }
Mortis, } diebus.
Sepulturæ }

Et duobus ſequentibus, qui ad triumphum ſpectant, & ad gloriam Reſurgentis, vt ex eis conſurgat numerus plenitudinis, & perfectionis ſymbolum apertiſſimum tantæ gloriæ CHRISTI IESV, *qui mortuus propter peccata noſtra, reſurrexit propter iuſtificationem noſtram, in quo eſt tota ſpes, & tota lætitia humani generis: quia Deus dedit nobis uictoriam aduerſus Sathanam, peccatum, & mortem, per* IESVM CHRISTVM *Dominum Noſtrum.*

ASCENSIO *eiuſdem ſuper omnes cœlos, unde in morem triumphantis dedit dona hominibus.*

PENTHECOSTES, *numerus inquàm Iubilei cum duobus diebus ſequentibus perennis nimirum memoria illapſus Spiritus Sancti in Apoſtolorum, & uniuerſæ Eccleſiæ fidelia corda. Inde enim iubilare cœpit, & perpetuam lætitiam agere totus Chriſtianus orbis.*

FESTVM *Sanctiſſimi Corporis* CHRISTI; *quo piè, & religioſè inter Catholicos orbis Chriſtiani populos præcelſum illud, & uenerabili diuinæ Euchariſtiæ Sacramentum honorificè, & cum proceſſionum ſolennium pompa ab ipſis Hierarchis per uias, & loca publica circunfertur. Et ipſi populi* CHRISTIANI *ſingulari, ac rara quadam ſignificatione amoris, & honoris, teſtantur animos gratos, & memores tantæ illius pietatis, quam vniuerſo humano generi exhibuit communis omnium Dominus, & Redemptor* CHRISTVS IESVS, *dum memoriam faciens omnium ſuorum mirabilium ſe ſe, & ſacrificium obtulit Deo Patri, ſecundum ordinem Melchiſedech, & inuiſibili modo eſcam dedit timentibus ſe.*

Inuentio. } Sanctæ Crucis.
Exaltatio. }

Illa vbiquè ſit feriata: hæc in Eccleſia, & in foro.

TRANSFIGVRATIO *ſuæ ipſius Diuinitatis, inuictum argumentum ex teſtimonio Sanctiſſimæ Trinitatis, Legis, Prophetarum, Apoſtolorum, atquè adeò ex lætitia, & exultatione ipſius montis Tabor ubiquè ſolennis habenda eſſet: ſed quoniam ſecunda Dominica Quadrageſimæ id ipſum Euangelium per omnes Eccleſias cum ingenti populorum concurſu, & legitur, & prædicatur; numeratur inter illos dies, quos ſoli Clerici in diuinis officiis ducunt feſtos; niſi uenerit in die Dominico.*

SEX *Feſtiuitates Beatiſſimæ Virginis Mariæ, glorioſæ Matris eiuſdem Domini noſtri* IESV CHRISTI.

Conceptio.	Viſitatio.
Natiuitas.	Aſſumptio,
Annunciatio.	Et Miraculum niuium.

Quo velut hieroglyphico in vrbe, & in orbe deſignata eſt ſumma illa Mariæ Virginis puritas, quas ſub Deo maior nequit intelligi, & excitatus fuit, excitaturque in dies populus Christianus ad deſyderandum, & orandum, vt illius præcibus, & meritis aduerſus calores, quibus urimur carnalis concupiſcentiæ non nihil refrigerari, & ablutis peccatis noſtris, quæ animas æthiopibus nigriores efficiunt, niuali innocentiæ candore dealbari ualeamus, mox ædificandi in templum Dei, & in tabernaculum Spiritus Sancti.

D V AE *Feſtiuitates Principis militiæ cæleſtium ſpirituum, uel Angelorum.*

Apparitio. } Michaelis Archangeli,
Dedicatio. }

qui ad Sypontum è monte illo præcelſo Prouinciæ huic noſtræ, imò uerò toti Italiæ, atq; adeò Romæ, & uniuerſo christiano orbi terra mariquè excubat, & continuas vigilias agit. H AEC *ubiquè colatur, illa ſaltem in templo, & in foro.*

NATIVITAS IOANNIS BAPTISTAE, *cuius encomia celebrauit non homo, ſed Deus,* CHRISTVS IESVS *inquàm, qui dixit: Inter natos mulierum non ſurrexit maior Ioanne Baptiſta; cuius diem ipſi etiam Turcæ in ſua ipſorum ſuperſtitione colunt, tanquàm noui cuiuſdam Angeli potiuſquàm hominis.*

FESTIVITAS *omnium* SANCTORVM, *velut compendium tantarum ſolennitatum celeberrima habeatur; ut uno illo die ſuppleatur pro omnibus, poſtquàm quotidie deficimus in ſingulis.*

FESTIVITATES APOSTOLORVM.

Petri, & Pauli,

Quos tanquàm duo luminaria, magna in firmamento Eccleſiæ poſuit CHRISTVS IESVS; *& vniuerſus orbis terræ miratur, ac ſuſpicit tanquàm duo fulmina Belli; quòd Chriſtiana Religio aduerſus omnes ſectas, & ſuperſtitiones pro uero Deo fortiter ſuſceperit, & glorioſè conſummauit.*

Andreæ.	Matthæi.
Philippi, & Iacobi.	Simonis, & Thadæi.
Iacobi.	Matthiæ.
Bartholomei.	

Quæ ſeptem feſtiuitates ſuo iure publicos honores merentur ab omnibus Chriſtianis, quibus & doctrinam prædicationibus, & ſpem futuræ vitæ, tanti Athletæ Dei ſuo ipſorum fuſo ſanguine pepererunt, per CHRISTVM IESVM *Dominum noſtrum.*

HARVM

HARVM Affines ſunt Feſtiuitates.

Beati Marci. } Euangeliſtæ,
Beati Lucæ. }

Quorum laus eſt per omnes Eccleſias, qui inter duos Apoſtolos Matthæum, & Ioannem Euangeliſtam poſiti, vt Matthæus de CHRISTO *Homine diſſerit, & Ioannes de* CHRISTO *Deo, ſic Marcus de* CHRISTO *Rege, Lucas de* CHRISTO *Sacerdote texit hiſtoriam; vterq́ locum tenens medium, quod Rex ſit maior Homine, & Sacerdos præ cunctis hominibus ſit maxime vicinus Deo.*

HIS proxima eſt ſolennitate & lætitia.

Conuerſio Beati Pauli Apoſtoli.

Qui tàm ingenti miraculo per CHRISTVM IESVM *excæcatus eſt, vt totum orbem illuminaret, proſtratus ad terram, vt multitudinem gentium ad cælos erigeret, deniquè victus, & domitus, vt pro Deo vero domaret, ſubijceret nationes, populos, regna; vnde tot prælia vicit, tot triumphos tulit, tot trophea erexit. Qui velut leo quidam in greges vulpium, canum, luporum, hæreticorum inquàm, philoſophorum, dæmonum oculis & ore uoraces flammas emittens, omnes inimicos Crucis* CHRISTI *terrebat, ſternebat, fugabat; Vbiquè enim prodibat in aciem, timebatur ab omnibus, irruebat per omnes hoſtium cateruas, tanquàm fulmen aliquod immiſſum cælitus.*

SEQVVNTVR *Feſtiuitates quatuor Doctorum Eccleſiæ.*

Gregorij.	Ambroſii.
Hyeronimi.	Auguſtini.

Hæ omnes ſi non foris, ſaltem intus ſolennes habeantur.

FESTVM *Diui Valentini Martiris, & in Ciuitate, & in agro ſolenne ſit, tanquàm Patroni tutelaris huius Ciuitatis, cuius veneranda reliquia viſitur tabernaculo argenteo auro intecto, Bracchium inquàm Sanctiſſimum elatum in palmam, cuius uirtute per* CHRISTVM IESVM *uirtute toties fugati, & ſtrati inimici, dum hanc pacificam & paciferam Ciuitatem noſtram, armis, & arietibus obſiderent, expugnarent.*

SEQVVNTVR *modò feſta ſolennia Sanctorum Martyrum, Confeſſorum, & Virginum, ordine menſtruo.*

FABIANI, & SEBASTIANI *ubiquè ſolenne.*

IOSEPH *Sponſi Virginis Glorioſæ, ſimiliter tàm in agro quàm in Ciuitate.*

PETRI *martyris, cuius diem iure iurando teſtatus eſt (vt aiunt) publicis*

ſcripturis totus Populus Botuntinus celebrare ſolenniſſimum in Ciuitate, & in agro.

GREGORII in Ciuitate ſaltem.

ANTONII de Padua, cuius dies præ ſingulari quadam deuotione populi Chriſtiani, vbiq; ferè ſolennis ducitur.

VITI, MODESTI, & Creſcentiæ in tota hac regione memoria ſancta eſt, & ſit feſtiuitas, vbiq; ſolennus.

QVIRICI, & IVLITAE, Quorum in hac Ciuitate eſt templum, ad quod ea ipſa die habetur maximus huius populi concurſus MARIAE MAGDALENAE.

ANNAE Matris Glorioſæ Virginis, cuius extat in Ciuitate hac noſtra nobile quoddam uelut priuatum Lararium.

DONATI, cuius feſtum non in agro quidem, ſed intra mœnia Ciuitatis inter ferias numeratur.

LAVRENTII, quod ſolenniſſimè celebrandum eſt modis omnibus.

ROCCHI, cui ſingulari propemodum beneficio ſe deuinctam putat tota hæc Ciuitas, atq; ideò diem eius vbiq; religioſè colit, habetq; templum proprium, Deo in illius ſanctam memoriam dedicatum.

COSMAE & DAMIANI, quorum dies celebratur in Ciuitate, non foris.

FRANCISCI, cuius feſtiuitas oramus, quantum in Domino poſſumus, vt per totam Ciuitatem colatur religioſiſſimè, & in agro ſimiliter; quòd ille ipſe ſeraphicus tantarum familiarum pater, & tantorum gregum archimandrita dignos hoſce noſtros populos iudicauerit, apud quos ſua ipſius ſancta facies haberetur educta ex uiuo.

MARTINI in Ciuitate.

NICOLAI, qui tanquàm Patronus Metropolitanæ noſtræ Ciuitatis Barienſis meritò obtinuit, ut dies ſuus menſe Decembri ſit ſolenniſſimus, & intra mœnia & extra.

CATHERINAE, quæ proximè & ſecundum almam Virginem Deiparam dicitur præ cæteris Virginibus Sponſa CHRISTI.

LVCIAE.

SYLVESTRI, cuius diem, tanquàm cum, quo annus clauditur, & quo imperialis poteſtas Sacerdotali, ut par eſt, autoritati ſubijcitur; ſanctificari iubemus vbiq;.

SVPERSVNT duo noui dies, qui iam ex conſuetudine celebrantur intus & foris. Vnus eſt.

DEDICATIO Eccleſiæ Sanctæ Mariæ apud Diuum Hyeronimum, ubi Monaſterium habent Fratres S. Auguſtini, ordinis Heremitarum. Alter eſt.

COMMEMORATIO miraculi Sanctæ Mariæ ad Conſtantinopolim, quos ipſi pariter celebramus, & ut celebrentur ſtatuimus, atq; præcipimus.

☩ EST & Feſtum Diui Thomæ Aquinatis, cuius Angelicæ doctrinæ, tantopere debet Sancta Romana Eccleſia; præſertim poſt formidabiles huius ſæculi hæreſes, magna parte ex præclariſſimis illius monumentis literarijs à Tridentinis patribus confutatas.. Atq; ideò volumus, vt & in templo noſtro, ſit duplex maius, & in Ciuitate tota ea ſolennitate colatur, qua Doctorum Sanctæ Eccleſiæ tetractys coli ſolet; præſertim quum PIVS Pontifex Maximus huius nominis Quintus, religione & Sanctitate cum antiquis Pontificibus comparandus, centum annos de uera Indulgentia in forma Eccleſiæ conſueta concesſerit omnibus; qui ubiq; terrarum eam diem Sancte celebrauerint.

ECCE tandem, quod diu exoptaſtis habetis indicem feſtiuitatum: Non ſunt dedicatæ Feſtiuitates, ſicut neq; templa, neq; altaria ipſis Sanctis, & loca, & tempora omnia ſunt dicata Deo, qui facit dies, & dies ſanctos, ſicut facit loca, & loca ſancta; ſed tamen memoriam Sanctorum ad Dei laudem & gloriam renouant, ſicut loca, ſic tempora, ut ſit omnis gloria feſtiuitatum ab intus: non mundus, ſed ſanctus, ſed CHRISTVS, ſed Deus; nam & Paulus Apoſtolus non præcepit, vt ipſum imitemur, quaſi ille ſit exemplar, ad quod dirigi, & iuxta quod componi ſtudeamus, ſed Imitatores mei, inquit, eſtote, ſicut & ego CHRISTI: nimirum ne intentio Chriſtianorum, dum dies feſtos celebrant huc & illuc diſpergatur ad hos & illos ſanctos, ſed ut tota tandem intelligatur in ipſum CHRISTVM, cuius ſunt imagines, diſcipuli, exempla, membra, omnes ſancti; quos ille creauit non exiſtentes, uocauit peccantes, formauit credentes, docuit obedientes, adiuuit pugnantes, & coronauit uincentes.

SVNT qui dies feſtos ad conſolationem populi inſtitutos putent, atq; ideò cum perfidis Iudæis ſpiritalis cibi frequentiam, uelut faſtidientes ad corporalia, tanquàm ad pepones, & cucumeres, alliaq; & cæpas Ægypti inhiant, & feſtinant. Qui utinam intelligerent mundanas uoluptates uerè eſſe ſimiles ventroſis peponibus, & inſipido cucumeri: utinam & ſuperent carnis noſtræ fœtores, meritò deſignari per allia, & cæpas, tàm tetri odoris, & ſaporis: Sic enim & nouiſſima prouiderent, ut mundi voluptatibus vterentur, non fruerentur, ne in amaritudinem uerterentur ſuis ipſarum amatoribus, ne extrema gaudij occuparentur à luctu, ſicut uix ſine luctu eduntur allia, & cepæ, cibus propterea indignus nobilibus, & delicatis Viris, dignus plebe ruſticana, inculta, & ſemibarbara. Et quidem ut non poteſt homo duobus teneri amoribus, vt non poteſt ſeruire Deo, & Mammonæ, etiam ſi fuerit ambidexter; ſic fieri non poteſt, vt duas ſimul feſtiuitates celebremus, cum mundo vnam, cum CHRISTO alteram, atq; ideò futurum omnino eſt, ut æterna in cœlis feſtiuitate careant, qui temporali, & mundana carere noluerint. Hinc illud Dauidicum, Renuit conſolari anima mea, Memor fui Dei, & delectatus ſum. Qui enim in mundo deſolatos ſe putant, qui afflictionibus & tribulationibus huius mundi præmun-

tur, qui huius uitæ miſerias perpetuò lugent, qui ſe ipſos, quoq; propter Deum odiunt, quibus deniq; nihil dulce eſt, & ſuaue, ſed præter Deum omnia amareſcunt, illi dignum eſt, ut in cœlis æternum gaudeant, ut fruantur conſolationibus immortalibus, ut Deum ipſum habeant conſolatorem, conſolationem, gloriam, coronam, gaudium, lætitiam, & perennem, quaſi iugis ſacrificij, feſtiuitatem. Itaq; quicquid ſomniet caro & homo carnalis, ſicut templa & altaria in memoriam ſanctorum dicata Deo, ſacra dicuntur, & ſunt, deputata nimirum diuino cultui, & non polluenda profanis uſibus. Ita dies feſti, tanquàm ſacri, & ſcelecti dicati Deo, Angelis, Sanctis diſcernendi ſunt à negotioſis, ut Negotia & negotialia exerceamus diebus communibus. Feſtis autem uitam ducamus non tàm hominibus communem, quàm dignam Sanctis, dignam Angelis, dignam Deo; ut inquàm quòad fieri poteſt viuamus, ſine peccato. Feſtiuitas eſt recreatio ſpiritus, feſtiuitas magna, eſt magna uirtutum gratia, magna morum perfectio, magna uitæ innocentia: Abutitur feſtiuitate, qui nouo ſe inquinat ſcelere.

SEQVVNTVR CANONES.

DIES FESTOS SOLENNITER (VT PAR EST) *illi ſoli celebrant, qui præter neceſſaria vitæ, à curis carnis omninò abſtinent, & non coacti, uel inuiti, metu pœnæ, ſed ſpontanei & uoluntarij, prouocante dulcedine pietatis, & Religionis, Sanctorum memorias cum ſobrietate recolentes, eos ipſos pro uiribus imitari nituntur, qui tanta nobis benè uiuendi exempla reliquerunt. Unde & cum feruore ſpiritus meditantes, quàm glorioſum eſt regnum cœlorum, in quo cum* CHRISTO *regnant omnes Sancti, uniuerſa gaudia, quæ habentur in terris, pro nihilo ducunt, & ad illa ſola ſpectacula ſuſpirant, quæ inter Angelorum choros in præſentia diuini vultus celebrantur in cœlis; ſic guſtato ſpiritu deſipit omnis caro, ſic Benedictio Domini in æternum manet ſuper eos, Sic ipſi Sancti, de illis gaudent, & pro illis orant, ut aliquandò tandem ipſi ſecum introducantur ad illam æternæ fœlicitatis ſemper manentem, & nunquàm tranſeuntem feſtiuitatem.*

SI *qui ſunt (utinam non plurimi ſint) qui de more ducunt dies feſtos, & ſolennes non in exercitijs ſpiritualibus ad Dei gloriam, animarum ſalutem, & ædificationem proximorum; ſed in commeſſationibus, & ebrietatibus, in cubilibus, & impudicitijs; illi tantum abeſt, ut quò ad præceptum de ſanctificandis feſtiuitatibus Chriſtiani dicendi ſint, ut dum ſibi, non Deo ferias agunt, dum ſibi non Deo feſta celebrant, hoc eſt dum carni, non ſpiritui ſeruiunt, ſint om-*

nino

ninò ſimiles Iudæorum, qui ut eſt apud Eſaiam, Labijs quidem in templo, & exterius honorabant Deum, ſed neq; in corde innocentiam, neq; in ore ueritatem, neq; in carne continentiam retinebant: & ad ſaturanda deſyderia carnis abutebantur calendis ſolennitatibus, neomenijs, in quos propterea dicebat Deus, Nauſeo plenus ſum; holocauſta ueſtra, calendas ueſtras, ſolennitates veſtras, odiuit anima mea; ne offeratis ſacrificium fruſtra; Incenſum abhominatio eſt mihi.

VLTRA panem, & vinum aliquid opſoniorum uendere, aut emere diebus feſtis, eſt violare dies feſtos: quia eſt ſeruire ventri, non in neceſsitatibus, ſed in voluptatibus, & concupiſcentijs carnis, quod Deo non magnopere diſplicere non poteſt, quia paulatim ſpiritum extinguit. Nam qui ſpiritui vacant, & ſeruiunt pijs orationibus, deſyderijs, ſuſpirijs, ſua ipſorum corpora tam ſapienter incantare ſolent, vt vel non eſuriant, neque ſitiant, vel ſine ſumptuoſis opſonijs, & exquiſitè conditis bellarijs, pane, & aqua contenti fœlicisſimè uiuant, quibus propterea omnes dies ſunt ſemper feſti, læti, & hilares, ipſa ſobrietate, & temperantia multo melle, & pauco abſynthio ſeruante prudentiam, qua interiori, & exteriori homini contingit perpetua ſanitas, robur inquàm, & longum æuum corpori, ſerenitas, & tranquillitas animæ. Sanè Græci velut definitione ſimul, & encomio deſcribentes temperantiam uocauerunt eam σωφροσυνην quod prudentiam conſeruet in homine, quæ alioquin per intemperantiam perturbationum fumo, & caligine obruta facilè excæcatur, & amittitur prorſus: Eſt enim το σωζω ſeruo, & φρονισις Prudentia.

ITAQVE' Macellarij, Cupedinarij, Omneſquè, & ſinguli huius ſordidæ fecis opifices, ſingulis diebus feſtis ab ea hora, qua in Eccleſia Cathedrali Miſſa Auroræ celebratur uſquè ad occaſum Solis ſuas ipſorum officinas ex toto clauſas teneant, & ad occaſiones ſimilium peccatorum euitandas, ne ſedeant quidem ipſi in earum faucibus.

VEHEMENTER, & ſupra quàm dici posſit illi peccant in dies feſtos, & tanquàm malè morati, & ingrati filij, contumeliam faciunt Deo, patri, authori omnium feſtiuitatum; qui quum epulentur ipſi ſplendidè habentes ante ianuam tot Lazaros qui eupiunt ſaturari de micis, quæ de opipera illorum menſa cadunt, immiſericordes, inhumani, denique & impij, & vident, & ſciunt, eos eſurire, ſitire, languere, perire; Nam hunc præcipuum honorem exigit à nobis Deus in diebus feſtis, vt ex conuiuijs noſtris mittamus illi bonam partem, pauperi in quàm propter Deum. Hoc ſanè eſt quoddam ſacrificij genus, Teſtari opere, quod Deo acceptam ſcimus noſtram abundantiam, & ſimul agere ut pauper die feſto propter Deum leuius ferat ſuam ipſius inopiam, & extremam neceſsitatem.

SED Sanguiſugæ illi Diabolo non eſt una filia ſola: ſunt Duæ. Eſt Gula, & Auaritia, atquè ideò ad refrenandum quoquè in diebus ſaltem feſtis immoderatam illam, quæ nunquàm dicit ſatis, quæ ſemper clamat, Affer, Affer,

nimiam inquàm, & uerè exectandam lucri cupiditatem, Præcipimus, ut nullas omninò merces uendere, emere, permutareue liceat, ſiue in foro, ſiue per uicos, ſiue etiam in priuatis locis, aut domibus: Habeat autem Vicarius noſter deſcriptos aliquos ex illis, qui nec Deum timent, nec homines reuerentur, qui omni religione poſtpoſita, tàm diebus Sacris, quàm profanis, negotiari, uendere, emere, & proxenetas agere ſolent; Vendaces, & Emaces appoſite dixeris. In eorum aliquem qui repertus fuerit in hunc canonem deliquiſſe, ſeueriſſimè animaduertat, ut cæteri timorem habeant.

S i Dies illa Vndecima Aprilis, qua non nuper, ſed olim à pijs, & deuotiſſimis Regibus in gratiam Monaſterij Sancti Leonis, ordinis Oliuetani inſtitutæ ſunt Nundinæ Botuntinæ, fuerit dies Dominica, Præcipimus ut in diem craſtinum: Quod ſi fuerit Dies illa alma, quam fecit Dominus Glorioſæ Reſurrectionis Domini Noſtri IESV CHRISTI; *ut in diem tertium tota Nundinatio differatur.*

T VRPES, & pudendos ludos, fomites otij, inertiæ, ignauiæ, miniſtros infamiæ, lucri, & cupiditatis, ſcelerum omnium, mendaciorum, periuriorum, blaſphemiarumquè parentes perpetuo anathemate, & à nundinis, & à diebus feſtis exules, & relegatos eſſe volumus. Non deſunt ludi Fratres, & Filij, in quibus Chriſtiani viri, cum animorum ſuorum inenerrabili iucunditate, per ſingulos dies feſtos verſari, & exerceri poſſunt, ſi modò velint Contemplationes rerum diuinarum, Speculationes diuinæ ſapientiæ, Meditationes diuini amoris; non enim habet amaritudinem conuerſatio illius, nec tædium conuictus illius. Ecquis ludus? quàm iucundus? quàm charus? in quo duo nobis ad perpetuam uoluptatem ſimulachra proponuntur. Naturæ vnum, Gratiæ alterum. Illud eſt mundus, hoc eſt CHRISTVS: *in quibus delectabar, inquit Salomon, ludens coràm eo per ſingulos dies. Et quidem ſi ex ludo etiam apud alienos, nihil niſi ludus quæritur, & qui aliud quærit à ludo, non tàm ludit, quàm illudit, quia per ſe expetitur ludus, non propter aliud; certè hoc eſt priuilegium rerum diuinarum, vt ſolæ ſibi ſufficiant, vt nullius extra ſe indigeant, ut per ſe ſe nos beatos efficiant, propter quod & tantò magis diuina guſtamus, intelligimus, & ſentimus, quantò magis ab aliis rebus ſequeſtrati, minus diſtrahimur, atquè ideò ingredimur ad nos, & habitamus nobiſcum, iuxta illud. Intrans in domum meam, conquieſcam cum illa: Vnde & liber ſapientiæ præcipit. Præcurre in domum tuam, illuc auocare, illic lude, & age conceptiones tuas.*

A D ludos obſcænos pertinent, imò verò ſunt vniuerſæ obſcænitatis, & turpitudinis caput choreæ, & impudicæ ſaltationes virorum, atquè mulierum, quas propterea, exceptis nuptialibus, ex toto, & in totum, maximè verò nocturnas, prohibitas, & interdictas eſſe volumus diebus feſtis. Sed & cum illis ſimiliter omnis impudentiæ, & laſciuiæ magiſtros Mimos. Illos Mimos qui nullis incinentibus

tibijs,

tibijs, aut vllis vocibus demulcentibus, turpisſima quaquè ſaltare ſoliti ſunt tanta rerum perſpicuitate, tàm ſubtili, tamquè artifici geſtu, vt quod Cynicus ille dixit; adulteria, ſtupra, inceſtus omni pudore depoſito in oculis, & auribus uirorum atquè mulierum manibus, & pedibus loqui videantur. Rogamus autem omnes vtriuſquè ſexus CHRISTI fideles, vt ad memoriam reuocent, incircunciſum illum Regem qui inter Epulas natalitias, ſaltante meretricula, vſquè adeò incaleſcere cœpit, bacchariquè, furere, & inſanire, vt tandem pro ſaltationis præmio, (O nefandum ſcelus) dederit inter conuiuandum, Venerandum illud & ter ſanctum caput Præcurſoris; futurum enim confidimus, vt tanto exemplo commoniti poſthac ferre non posſint tantæ obſcænitatis, & tantæ feritatis horrenda ſpectacula, digna fortaſſe barbaris, indigna certè Chriſtianis. Utinam uerò Concionatores ex ſuggeſtu ubiquè terrarum aliquandò commemorarent prodigioſum illum interitum puellæ ſaltatricis; nequè enim audiri poteſt quin animi pij commoueantur in vehementem quandam admirationem, & ſtuporem iudiciorum Dei. Erat illi meretriculæ media hyeme eundum ad quendam locum, cuius rei gratia traijciendus erat fluuius, is autem glacie concretus, tranſit ergo pedes & pedetentim, nec teneras glacies ſecat aſpera plantas, ſed quum ſe putat exiſſe fluuium rumpitur glacies, & demergitur illa ſtatim capite tenus, inferiores corporis partes laſciuiunt, molliuſquè ſe mouentes ſaltant inter aquas. Caput verò ſceleſtum frigore concretum, & glacie, paulatim à cruſtis glaciei reſectum (Proh Sanctę IESV) in glacie ipſa ſaltationem lethalem exhibet; vt ſuo ipſius tàm miſerando ſpectaculo ad memoriam reuocet immane illud ſpectaculum, quod ipſa præbuerat conuiuio Regis, dum tàm impudicè ſaltaret, & tàm imperioſè iuberet, Volo vt mihi protinus des caput Ioannis Baptiſtæ.

ADMONEMVS autem obiter, & ruſticos noſtros, vt ne diebus communibus quidem ſint vſquè adeò frequentes in dueendis choreis, vt obliuiſcantur operum, & laborum ſuæ ipſorum agricolationis, præſertim cum per eas, & reuelent turpitudines ſuas, & motus quoſdam, & ſaltus impetentes exerceant, quibus maximè corpora delaſſantur. Tanto enim impetu nunc utroquè, nunc alterno pede terram feriunt, vt & ſibi ipſis vincendi cauſa, magnam vim inferant, illum nimirum viciſſe exiſtimantes, qui à morum ciuilitate alienisſimus in oculos ſpectantium, & nobilium præſertim, quàm maximum puluerem excitarit.

ABEST ab omni ratione ludi, & tamen quod maximè dolendum eſt per ſingulos dies feſtos habetur pro ludo, Maledicere, Remaledicere, Certare inquàm maledicentia, ſedere in foro, & figere hunc, & illum maledictis, & in omnes qui tranſeunt congerere maledicta, probraquè, & contumelias; nequè deſunt qui in Curijs notariorum noſtrorum ſoluto riſu, & contortis totius corporis partibus, immoderatam quamdam deridendi formam effingunt, & aliorum mores inepto quodam geſtu per contemptum exprimunt, vt ſtulti propemodum, &

ridiculi

ridiculi ipſi viris bonis, & ſapientibus videantur. Illis omnibus ſignificamus, quod ab eis longè grauius peccatur in dies feſtos, quàm ab illis, qui lapides, & calcem ferunt ad fabricas, quàm ab illis qui oleum, & amurcam vendunt in trapetu.

Eos autem qui maioribus maledicunt, præſertim verò Dominus, ſiue temporalibus, ſiuè ſpiritualibus, qui etiam paulatim hanc obloquendi, detrahendi, & maledicendi licentiam gradum faciunt ad maledicendum Domino, & blaſphemandum nomen Domini, admonemus vt intelligant quàm in vtroquè foro rei ſint, & qui maledicunt ſuperioribus miniſtris Dei, & qui blaſphemant ipſum Deum. Et iubemus Vicario noſtro, atquè etiam Gubernatori Regio, ut huiuſmodi ſceleratos homines contemptores utriuſquè poteſtatis obſeruari faciant, ut oportunè de illis ſupplicium ſumatur, ne alij homines nequàm propoſita ante ſuos ipſorum oculos, illorum effreni audacia, atquè libidine loquendi, cum diſſimulatione regiæ poteſtatis ſpem concipiant, & putent ſe habere peccandi impunitatem, & licentiam ſempiternam.

Qvoniàm autem occaſionem magnam his ſceleribus, & ſimilibus præbet Otium, & Inertia; Idcircò monemus omnes & ſingulos, ut Dies feſtos integros occupent in audiendis prædicationibus, & diuinis officijs, præſertim ueſpertinis, quæ propterea anticipari iuſſimus. Ita fiet, ut dum auribus, & animis Deo uacant, immiſſionibus per Angelos malos uacare non poſſint.

Dies autem profeſtos, quos uetuſto adhuc nomine Vigilias vocant, eò quòd olim in primitiua Eccleſia Christi fideles ad tumulos Sanctorum integras noctes uigilarent; ita ducere debent populi noſtri, vt ſint illis loco præparationum ad celebrandum dies feſtos. Vigiliæ in templis iam ad euitanda ſcelera, quæ patrari conſueuerant prohibitæ ſunt. Loco Vigiliarum, igitur inuitate omnes ad orationes, maximè uerò ſecretas, quæ ſunt velut holocauſta ſpiritus & ſimul ad ieiunia, & naturæ, & Eccleſiæ, nunc luctus, nunc exultationis pro qualitate temporum: ſic enim & carnis concupiſcentiæ refrenantur, & mentes ſurſum eleuantur, ad Dominum, & quaſi quibuſdam ſatisfactionibus redimuntur etiam ipſa peccata; vt propterea expiati, exhilaratiq; & iubilantes in utroquè homine, feſtiuitates non indignè celebrare mereantur.

SERMO

SERMO SYNODALIS, DE PVNCTATORIBVS.

PVNGENS OCVLVM, DEDVCIT LACHRYMAS, *qui pungit cor, profert ſenſum. Dedit illis Deus Spiritum compunctionis. His auditis compuncti ſunt corde. Sic oportebat, Fratres, vt qui hactenus in extendendis tantarum rerum Lineis, meditatione, ſtudio, tempore, & exercitatione, multum diùq; laſsati ſumus; ad finem tandem deſineremus in punctis. Gaudete, propè eſt, ut dicam vobis, Ite in pace. Punctum eſt principium, & finis Lineæ. Videtis puncta? Terminata eſt Linea. Nam & ſermones omnes clauduntur punctis, ſicut diſtinguuntur interpunctis, quæ ſanè omnia, hoc eſt commata, cola, inciſa, membra, clauſulas, periodos in plena, & perfecta Oratione, ut Cicero notauit vnicus ille dicendi artifex, intercluſio animæ, & anguſtia ſpiritus attulerunt. De Punctis igitur, de Punctionibus, deq; Interpunctionibus, propter ipſos Punctatores, ad quos, ut uidetis titulus ſermonem dirigit, eſt mihi hodierna die loquendum. Exiguus titulus, Exigua ſtatua, exigua & imago ſtatuæ, unde & ab exiguo Artifice exculpta eſt. Ecquid tàm exiguum, quàm punctum? nimirum indiuiduum corpus, in quo neq; longitudo, neq; latitudo deprahenditur, quòd ob incomprahenſibilem ſui ipſius breuitatem, ne diuidi quidem poteſt in partes ullas. Et tamen protractum punctum efficit Lineam, ut deinde fiat ſuperficies, & tandem corpus omnium demenſionum vaſtitas, & plenitudo. Quàm breue & quàm magnum punctum? Ne negligite quæſo puncta; ne negligite uos ipſos Punctatores. Philoſophi quid aliud eſſe dicunt terram in uniuerſo, niſi punctum? & tamen uidemus in hoc puncto tot montes, tot uales, arua, agros, ſyluas, ſaltus, paſcua, vineta, pomaria, prata. Dialectici habent puncta argumentorum, quæ mirum, quàm ampla ſunt, quàm longè lateq; patent ad ueritatem aperiendam in omnibus diſciplinis rationalibus, moralibus, naturalibus, mathematicis, Theologicis. Sunt & Religioni*

ſua

ſua ipſius puncta: nam dogmata Fidei, nihil aliud, quàm puncta ſunt, quæ ob id articuli nominantur, hoc eſt indiuiſibiles ueritates, in quibus qui cadit à litera, cadit à toto: nam & antiqui veritatem ſignificabant punctis, mendacia lineis. In his autem punctis quanta rerum diuinarum magnitudo? quanta multitudo? Certè non ignoratis duodenos cophinos fragmentorum, quæ ſuperauerunt in menſa Domini. Indicat porrò in re Theologica puncti uirtutem & magnitudinem Iota illud quod in ομοουσιω inter geminatum ομικρον ſi additur facit hæreticum, ſi adimitur Catholicum: nam ομοιουσιον eſt ſimilis ομοουσιον eiuſdem eſſentiæ. Illud eſt Ariana infidelitas, hæc Catholica fides. Quid? An non & uirtutes morales conſiſtunt in puncto? quod quiſquis tranſgreditur, ſiue excedat, ſiue deficiat, quàm aberrat à medio, tàm recedit à uirtute.

Eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines;
Quos ultra citraque nequit conſiſtere rectum.

SED ENIM hæc omnia ad mentem, & ad mentis operationes, abſtractionesq́ fortaſſe ſpectare dicetis. Veniamus ergò ad res ipſas, ad ipſa corpora. Aſpis ſerpens exiguus, ſed venenoſiſſimus, quum præpugerit, ipſa punctione occidit. Punctiones laterum credo experti eſtis, & ueſicæ calculos. Certè verò magnus ſplendor pungendo offendit uim uidendi. Urticæ aculei dum pungunt, feriunt, & colores clariores compungunt oculos, lachrymareq́ cogunt. Quid? Verba temeraria obloquentium non ne appellantur à Salomone Punctura gladij? Sed & corda noſtra non ne uerbo Dei, tanquàm gladio ancipiti, antequàm conterantur, compunguntur, ut ex eis exeat uirus peccatorum noſtrorum? Inde enim nata eſt vox bona & ſalutifera compunctionis, Unde illud in cubilibus ueſtris compungimini, Et illud è diuerſo. Diſſipati ſunt, nec compuncti. Profectò uerò & ille doloris gladius, de quo dixit Sanctus Symeon ad Mariam θεοτοκον non aliter, quàm pungendo lancinauit, fodicauit, & pertranſiuit cor Virginis. Milites porrò nunc quidem feriunt ceſim, nunc punctim, & maiore quidem periculo pungit Lancea, quàm cedat Enſis. Neq́ verò profectò ſine magna ratione dictum eſt in Euangelio Iohannis, quod Longinus ille Lancea latus aperuit Domini Noſtri IESV CHRISTI, unde poſtmodum ſcriptum eſt, Videbunt in quem transfixerunt; & iterum, Videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt. Sed ut ad alia tranſeamus, quis neſciat eſſe puncta ſignata in cœlo? Iudiciariam Aſtrologiam miſſam faciamus. Non ne Poli puncta ſunt, ijq́ duo, Arcticus ideſt Borealis, & Antarcticus hoc eſt Auſtralis. Sunt & puncta in tempore, in die, in hora, quæ momenta uocant. Hunc diem, hoc punctum temporis, quo loquor; defende ſi potes, inquit Cicero in Philippicis. Et Cæſar, Ita multorum menſium labor hoſtium perfidia, & in tempeſtatis puncto temporis interijt. Neq́

verò

vero abſimile eſt illud, quod de ſceleratis hominibus ſcriptum eſt in libro Iob: Cytharam, & Tympanum tenent, gaudent ad ſonitum Organi, ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt. Lucretius porrò tantus & Poeta, & Philoſophus, uidete quantum tribuit punctis.

Temporis in puncto rerum ſimulachra feruntur.

NEQVE vero probatione indiget apud uiros doctos omnem ſenſationem fieri in puncto. Similiter (ut cum quibuſdam ex ſcholaſticis ſubtilioribus ipſe quoq; barbarè loquar) omnem Intelligificationem. Habetis & in ſacris literis, Verbum Dei, Ad punctum & in modico temporis dereliqui te, & in miſerationibus magnis congregabo te. Ecquid eſt aliud omnis hæc uita noſtra (ut concludamus) quàm breue & exiguum punctum? Propterea enim & de Hypocrita legitur; Etiam ſi per omnem uitam ludat, & illudat ſuos ſpectatores, & adminiſtratores, Gaudium Hypocritæ ad inſtar puncti. Sed ut hodierni Sermonis Titulum, Tituliq; ſubſtantiam, altè, ut oportet, intelligatis, non ad magnitudines hæc noſtra puncta pertinent, ſed ad numeros. Quàm ſublimis, & quàm diuina res eſt numerus? Homo hoc maximè diſtat à belluis (inquit Plato) quòd ſolus homo numerat, nam belluæ non numerant. Hinc illud adagium factum eſt de uiro cordato. Numerare nouit. Sanè indicium eſt mentis, & intelligentiæ computare, ſupputare, numerare inquàm: quia non fit ſine collatione, ſine ratiocinatione, ſine diſcurſu; unde & pro mente, & pro ſapientia interdum accipitur numerus. Hinc tanta laus Arithmeticæ; unde & Muſicæ: nam Muſica conſtat numeris. An vero non meminiſtis Platonem appellaſſe animam numerum ſe ipſum mouentem? Quanquàm, & omnes naturæ rerum, etiam à Peripateticis, dicuntur eſſe tanquàm numeri. Ecquid, tàm admirabile in mundo, quàm quod omnia diſpoſuit Deus in numero? In pondere quidem etiam & in menſura, ſed in numero primum; quandò abſolutior eſt, atq; ideò prior ratio numeri quàm ponderis, & menſuræ. O ſi ſcire poſſemus, quàm magna, admirabiliquè ratione, & proportione numerorum fœderata eſt, & coniuncta anima noſtra noſtro corpori; Hæc proportio quandiù durat, tandiù viuit homo, ea ſoluta, ſolutum eſt vinculum animæ, & corporis, quo ſocietas illa chara conſtabat; & eodem puncto, quo ſoluitur, reuertitur puluis in terram ſuam, & ſpiritus ad Deum, qui dedit illum. Quod qui non intellexerunt, abſq; ulla ratione & temerè, Fatum dixerunt & fatalia uitæ tempora. Hæc ipſa igitur diuerſa ratio, & proportio inter animam, & corpus, & generaliter inter formas, & materias, ad numeros pertinet, quibus ipſæ rerum ſpecies & Eſſentiæ conſtituuntur. Menſuræ etenim ſignificant figuras, & magnitudines, Pondera vires, & qualitates. Haud dubiè quidem, hæc omnia, puncta dici poſſunt, ſed euidentisſimè apparet, quod omninò

ratio numerorum conſiſtit in puncto; quia vnicuiquè numero addita, vel ſublata vnitate, quæ ipſa (vt ſcitis) eſt indiuiſibilis, tanquàm punctum, variatur ratio numeri. Ob id & inter numeros numerus impar, & maior, & melior haberi ſolet: quia longè magis à diuiſione alieni ſunt, atquè ideò ſimiliores ſunt punctis, numeri impares numeris paribus. Et quidem videtis (poſtquàm hodie numerandum nobis eſt) ſi numerus par, & impar miſceantur; conſtitui ex eis non parem, ſed imparem numerum, quaſi numerus impar in coniugio, ſuam ipſius virtutem retineat, par amittat. Quid quòd ſi duo numeri impares in vnum coëant, gignitur ex eis numerus par, at verò pares nunquàm gignunt imparem; ſed oportet parem nubere impari, vt inde naſcatur numerus impar. Ita enim apparet quod ipſius imparitatis ſit tota, paritatis nulla fœcunditas.

QVOD ſi tantæ rei rationem fortaſſè ſcire cupitis, non aliunde eſt, quàm ex ratione puncti, vnitatis inquam; nam vnitas facit imparitatem: dualitas paritatem. Regnat enim ſemper, & abundat, imo redundat ipſum vnum in numeris imparibus, propter quod diuidi haud facilè poſſunt.

CONTRA, numeri pares diuiſioni patent propter ipſam dualitatem, omnis diuiſionis principium, dicam ne atquè ideò etiam omnium malorum fontem? Certè & Deus dicitur ipſum vnum μονάς. Diabolus dicitur Duo δυάς. Principium inquàm uiarum Dei ex libro Iob, viarum inquàm, non viæ: quia Deus viam fecit homini, vnam inquàm viam: at Diabolus ex via, fecit vias; nimirum Deus colligit, Diabolus diſpergit, Deus inquàm colligit ad bonum, quòd eſt ex integra cauſa, atquè ideò vnum: Diabolus diſpergit ad malum, quòd eſt ex ſingulis defectibus, atquè ideò non vnum, ſed plura. Hinc numeri, & puncta: ſanè Deus ſine numero eſt, & indiuiſibilis multò magis quàm quoduis punctum. Credo ergò uos tandem poſt longas haſce excurſiones, quibus ſacrum iter noſtræ viſitationis tanquàm vltima forſan caſtramentatione, Deo volente, concludimus, ſi ad numeros (vt dictum eſt) pertinent puncta, quæ tractamus, ſtatim intellexiſſe quæ ſint punctiones, quæ ratio Punctatorum, & quanti faciendus ſit hodiernus ſermo de punctis, de Punctatoribus, ad quos demum totum iudicium in materia Reformationis referendum eſt, tanquàm ad eos, in quorum fide, & iudicio reponit, & Epiſcopus, & Capitulum, & tota Eccleſia, diſtributiones perſonarum, iurium, temporum, locorum, pecuniarum, atquè adeò ipſam totam iuſtitiam diſtributiuam; nam uindicatiua ad forum Vicarij pertinet, quamquàm & illa in rebus quæ ſiue in Eccleſia, ſiue extra Eccleſiam tangunt cultum Dei, vt dignè exerceatur; magna ex parte indiget fide, & religione teſtimonij Punctatorum. Sunt ergò puncta noſtra Eccleſiaſtica ferè ſimilia punctis ſuffragiorum, quibus vtebatur olim Senatus Populuſquè Romanus. Nam & Thronus Eccleſiæ, quæ mater eſt omnium Eccleſiarum, Romæ ſitus eſt, vnde & tota Eccleſia Catholica, Romana dicitur. Quum ergò à Populo Romano, in Comitijs,

mitiis, de ſententia Concilij eſſet aliquid decernendum, & ſtatuendum, & amiſſa ferè libertate tutum non videretur Iudicibus ſuffragia ferre, aut ſicut ab initio uoce viua, aut, quod deinde in vſum venerat, tabella deſcripta, Tertia hæc ratio excogitata eſt, quæ, vt quidam eleganter dixit, tutior eſt mœticulóſis, & breuior occupatis, hoc eſt, vt ſuffragia ipſa, punctis notarentur; quod & factum eſt. Vnde punctos illos vocabant quos probaſſent, expunctos quos reieciſſent, quorum praces auerſati fuiſſent, quos ſuffragijs, & fauore priuaſſent, Carmen illud rem totam ante oculos ponit.

Omne tulit punctum, qui miſcuit utile dulci.

NAM ſenſus eſt, omnium ſuffragiis laudatum fuiſſe illum poetam qui ſcribendo prodeſſet ſimul & delectaret; eos qui vel iucunda ſolum, vel ſolum vtilia ſcriberet paucorum, non omnium excepiſſe ſuffragia, & calculos, eorum inquàm ſolum, quibus vel vtilitas placet, vel voluptas; nam communiter, & iuuari carmine, & delectari vehementer cupiunt omnes. Iam, vt ad res noſtras diſcendamus, Oportuerat profectò aut uiua uoce, qua ad indicandam hominis uoluntatem, & ſtudium nihil magnificentius, nihil innocentius, aut ſcriptura vicaria vocis, notare clericos qui Deo ſeruiunt, qui non ſeruiunt, ſed more accepto ex populo Romano, compendij gratia introducta eſt hæc conſuetudo ferè in omnes Eccleſias, non ſcribendi aut delendi, ſed pungendi, & expungendi. Pungendi vno vel pluribus punctis, expungendi ſemel, iterumquè & tertio. Cupio in mentem vobis veniat locus ille M. Tulij in Tuſculanis. Quæ flamma eſt, per quam non concurrerint hi, qui hæc olim punctis ſingulis colligebant? Et ille, Recordor quantum hæ quæſtiones in Senatu habitæ punctorum nobis detraxerint. Non dubito autem vobis non eſſe perſpectum locum illum Horatij.

Hic eſt duobus elegantior Plancis;
Suffragiorum puncta non tulit ſeptem.

IPSI modò Punctatores cogitate quantam vobis ineſſe oporteat religionem, & fidem, vt nunquàm malo dolo, ſed ſemper bona fide puncta omnia colligatis, vt nunquàm expungantur qui pungendi, nunquàm pungantur illi, qui expungendi ſunt. Sed tenore perpetuo δικαίως σιζω *ut Græcè dicam, hoc eſt, ſecundum iuſtitiam pungantur pungendi, & expungantur pungendi. Attendite, obſeruate, numerate; neque vos fallat, uel numerus numerans, uel numerus numeratus: quia non hominis exercetis officium, ſed Dei: Iudices eſtis, alta indagine opus eſt. Nolite enim putare rem eſſe minimam quam tractatu. Communis quidem pecunia in minimis rebus habenda eſt Clericis, imò verò ne in rebus quidem, habenda eſt enim pro nihilo illi, qui dicit Pars mea Deus, ſed tamen hæc ipſa pe-*

R cunia

cunia ſacra eſt iam dicata Deo hoc eſt Miniſtris Dei, & ab ipſa Eccleſia quotidie porrigitur Clericis quaſi ordinarium ſtipendium ad ſuſtentationem Chriſtianæ militiæ. Quid? hæc pecunia pauperum quidem eſt quaſi panis quotidianus, aliorum autem, quaſi iucundum Xeniolum, quo tanquàm pueri Dei uelut cruſtulis ineſcantur, inuitanturq́, & trahuntur ad ferenda diurna nocturnaq́ onera ſeruitutis diuinorum officiorum. Et dubium non eſt, quin ex iſtis innocentis pecuniolæ diſtributionibus, & quaſi blanditijs magna ex parte pendeat ſollicitudo, & frequentia diuini cultus in Clericis tenuioris fortunæ; forſan etiam, quod tamen dolendum eſt, in magnis quibuſdam Clericis, quibus eſt domi menſa diues, & opipara. Atq́ ideò tandem non ſolum, tanquàm Fur, ſed & tanquàm Sacrilegus, & omninò tanquàm oſor religionis, & cultus Dei habendus eſt Punctator ille, qui odio, amore, ſpe, mætuue corruptus, in hoc diuini ratiocinij muneꝛe peccare non erubeſcit, ſiue pungendo, ſiue expungendo: quia dum contra fas, & dat & adimit, illud omninò efficitur, vt & illi Clerici rei ſint, qui fruuntur rebus alienis, & illi iuſtè quærantur, qui contra fas priuantur proprijs, & omninò totus Clerus, tàm malo exemplo offendatur & ſcandalizetur, quia toti contra iuſtitiam ſubtrahitur, quod parti datur per Indulgentiam. Quod ſi Punctatores cuiq́ quod ſuum eſt iure diſtribuunt, fit ut & incitetur, quaſi calcaribus multorum diligentia, & negligentia aliquorum corrigatur, & augeatur ſtudium colendi Dei, in toto Clero, dum toti iuſtè accreſcit illud, quod quiſq́ priuatus iuſtè amittit. Vos beati Punctatores ſi & exigendo diuinum ſeruitium, & reddendo diuinum ſtipendium, æqui eritis omnibus, & ſingulis Clericis noſtris; Contra miſeri & infælices ſi iniqui & iniuſti fueritis, vel non exigendo ab omnibus, quod debetur Deo, uel non reddendo aliquibus, quod debetis omnibus ſeruis Dei. Non poſſum me continere, quin ſuper hac re aliquantulum digrediar uobiſcum, Clerici. Ne putate cum noſtris Punctatoribus ſolis eſſe vobis negotium, Aſtat ſuperius Deus Punctator; quem ipſi non uidetis; Ille eſt, qui omnes noſtras negligentias conſyderat, numerat, notat, ſcribit, pungit; utinam noſtra errata pungat, & nos non expungat, & deleat de libro uitæ. Ecquàm appoſitè factum eſt, Dilectiſsimi, ut Punctator pellem in manibus geſtet, vbi pungat, & expungat. An non legiſtis Διὸ αἴξ, Iouis pellem inquàm Capræ Amaltheæ, vbi apud Ethnicos fingitur Iouem deſcribere facta hominum, ne illi unquàm in obliuionem ueniant? Sed cur profana quærimus, vbi ſacra non deſunt? Scribis contra me amaritudines, inquit, Iob, & conſumere me uis peccatis adoleſcentiæ meæ. Et iterum tu quidem omnes greſſus meos dinumeraſti, & ſignaſti, quaſi in ſacculo peccata mea. Heu, Heu. Eſt & alius Punctator, qui eſt intra nos, Conſcientia inquàm noſtra, quæ quotidiè cuiq́ noſtrum, dum in cubili ſumus dicit, Heus Tu, Ecce in ianuis eſt, qui fecit cælum, & terram. Ille eſt creator tuus, Tu creatura ſua, Tu ſeruus, Ille Dominus, Tu figmentum, Ille figulus. To-

tum

tum ergò quod es, illi debes, à quo totum habes, & quomodo illi tàm inutilis ſeruus es? Utinam, utinam in cubilibus noſtris ſaltem compungamur, & quiſq; noſtrum compunctus dicat, Si Deus à me exigat rationem diuinorum officiorum, quid reſpondebo? Quæ ſine numero ſunt, quomodo ipſe numerabo? Peccaui ſuper numerum arenæ Maris, & multiplicatæ ſunt iniquitates meæ, ſuper capillos capitis mei, & non ſum dignus uidere altitudinem cœli: Amplius autem, Domine Deus meus præter negligentias, ſcelera, peccata, delicta quis intelligit? Intellecta porrò, & numerata quis exoluet? Si iniquitates obſeruaueris Domine, Domine quis ſuſtinebit? Et unde mihi uires tantæ? unde tanta facultas? Nihili ad totum nulla eſt proportio, nulla comparatio, nos nihil ſumus, Tu totum es Deus meus, ſi totum quod habeo, quod uiuo, quod ſentio, quod ſum, tradidero in flammas pro peccatis meis ad ſatisfaciendum tibi, tibi irato, tibi iudicanti, tibi rationem exigenti, non ne totum nihil eſt, & totum nihil erit? Ergò propter nomen tuum Domine propitiare peccato meo, multum eſt enim. Hæc dicta ſint, & Punctatoribus, & omnibus, ut omnes ſe ipſos per gratiam Domini Noſtri IESV CHRISTI, & pungant, & compungant, accuſent, iudicent, puniant, damnent: quia ſi nos metipſos iudicaremus, non utiq; iudicaremur. Sanè à Deo uehementer alienum eſt compunctum corde, mortificatus, qui per ſuam ipſius miſericordiam ſanat mortificatos, & medetur compunctis. Compunctus inquàm, Fratres, non ſimpliciter punctis. Duæ enim ſunt Lanceæ, quæ ſimul pungunt, & una ſine altera pungit quidem, ſed non ſat eſt pungi, ubi neceſſe eſt compungi. Pungit timor, pungit amor, ſed qui amore & timore pungitur, ille eſt, qui compungitur; Timor eſt pœna, Amor eſt præmij uitæ æternæ. Et timor quidem pertinet ad legem, Amor ad Euangelium: quia lex terret, Euangelium fouet, In lege ſunt comminationes diuinæ Iuſtitiæ, In Euangelio promiſſiones diuinæ Miſericordiæ. Et illa quidem percutiunt hominem ueterem, hæ alliciunt nouum. Nam & lex dicitur Vetus Teſtamentum, Euangelium uerò nouum. Ecquid prius? quid maius? quid melius? Audite uerbum CHRISTI, Omnis ſcriba, doctus in regno cælorum de theſauro ſuo profert noua & uetera, prius inquàm noua, quàm uetera. Nam ad Sacramentum pietatis, quod in Euangelio reuelatum eſt, pertinet prius emollire, quàm frangere, conſolari, quàm terrere: quia CHRISTVS uenit non mactare, ſed ſaluare. Ergò Amor incipiat percutere conſcientias noſtras, Fratres, amor inquàm Dei, amor CHRISTI, amor uirtutis, amor paradiſi, amor ſalutis noſtræ. Tum duriciem, ſi quæ ſuperfuerit, frangat terror diuinorum Iudiciorum, & in præſenti, & in futuro. Sic puncti, & compuncti, curremus uiam mandatorum Dei, & Sanctæ Matris Eccleſiæ, in celebrandis diuinis officijs. Et utrunquè quidem, hoc eſt diuinum amorem, & timorem poſſet in nobis operari Deus, ſi uellet, ſicut & potuit nos de nihilo creare, quum uoluit. Sed quantun

cunq; in nos iaciat ſaggitas amoris & timoris,vult tamen & nos manum noſtram apponere, vt ſua & noſtra ſimul manu feriamur, pungamur, compungamur, conuulneremur, commoriamur. Ipſe eſt, qui operatur omnia bona in omnibus nobis, ſed non omnia ſine nobis. Huc ſane ſpectat, quod in diuino officio die no ctuq; indefeſſis precibus diuinum auxilium imploramus. Adiuua nos Deus ſalutaris noſter, Deus in adiutorium noſtrum intende, Adiutor meus, & liberator meus es Tu Domine, ne moreris: Si enim nihil facimus, cur Dei adiutorium inuocamus? Ideò ergò oramus, & obſecramus, quia ipſi quidem non nihil facimus, Sed niſi Deus adiuuando cooperetur nihil facimus. Et quomodo per me ipſum (miſer) aliquid boni facere potero, ſine Deo, qui nec dicere poſſum Domine IESV CHRISTE, *niſi in Spiritu Sancto? hoc eſt ergò compungi ex Deo, & ex nobis pungi. Videte Fratres, & Filij Dilectiſſimi, ne hoc unum, ſi fieri poteſt, è memorijs ueſtris in materia punctionum, & punctorum, vllo vnquàm tempore excidat. In libris & ſcripturis omnibus ad interſpirationis notam, ne lectione fatigemur pluſquàm par ſit, facta ſunt puncta, & ſignatæ interpunctiones. Accipite ergò hinc & uos exemplum; Incipite ſpirare, reſpirare, pauſare, quieſcere. Quieſcite agere peruersè, inquit, Spiritus Sanctus, diſcite benefacere: hac ſunt duo puncta, Fratres, quibus animaduerſis facilè caſtigantur non lectiones ſolum, ſed & libri ipſi, quos ſcribimus, & legendo percurrimus uitæ noſtræ. Vos contra, qui iam diu durum uirtutis iter aggreſſi eſtis, cauete à pauſa, ab interſpiratione, à quiete. Currite curſu perpetuo, ne interpellate, ne quieſcite, ne ſubſiſtite, accipite potius calcaria, induite talaria; Perſeuerate inquàm, proficite, creſcite, ſit uobis inuiſa uox illa.*

Siſte gradum, tequè aſpectu ne ſubtrahe noſtro.

QVI gradum ſiſtit facilè etiam retro cedit, facilè deuiat, facilè apoſtatat. Ille eſt beatus, qui ſemper ambulat, qui ſe ipſum pungit, & ſtimulat, ne quieſcere vnquàm poſſit, aut velit. Fiet enim aliquandò vt punctationem, quam vocant firmam, ſignare poſſit; quum peruenerit quò tendit, tunc enim conſtitutus ante faciem Domini inter Choros Angelorum dicet fœlix, & beatus. Iam cantabo tibi gloria mea. Deus meus, Saluator meus, & poſthac non compungar. Placuerunt mihi admodum ſemper verba illa Diui Auguſtini, Fratres, quæ in gratiam veſtram volui hoc loco recenſere: Semper, inquit, ambula, ſemper adde, ne deficias in via, diſpliceat tibi illud quod es, ſi vis peruenire ad id, quod non dum es: nam vbi tibi placuiſti, ibi remanſiſti, & ſi ſufficit dixiſti; perijſti: Et hic ſit iam pungendi finis. Videor enim mihi, hiſce punctiunculis meis, & oculis, & animis veſtris, ſomnum pœnitus ademiſſe. Poſt omnia autem Rogo vos, & pungentes, & puncti, & pungendi, omnes inquàm vos (Clerici, qui ſæpè propter

huiuſmodi

huiuſmodi puncta, & punctiones tumultus excitatis in Eccleſia Sancta Dei, Rogo inquàm, vt pacem habeatis inter vos, nequè pecuniarum ratione ſit vlla inter vos diſſenſio. Hoc ſanè eſt primum punctum, non tàm à communibus Clericis, quàm ab ipſis Punctatoribus ad aliorum utilitatem exigendam, & ipſis punctis, & expunctis ſine dolo reddendum, hoc inquàm vt Fratres Ioſeph onuſtis aſinis non contendant in via, vt ſerui Abraam & Loth pacificè viuant, & inuicem conuerſentur; vt filij Dei, & Fratres CHRISTI, non emulentur inuicem, non zelet alter alterum, niſi propter regnum cælorum. Iniquum enim eſt nimus propter rerum temporalium, vel copiam vel inopiam violare Chriſtianam Charitatem, & pacem.

CANONES.

ITAQVE vt non puncti ſolum, ſed compuncti ſint Clerici noſtri, vt ipſi quoquè ſecuri ſimus, quod ius ſuum vnicuiquè reddatur; vt boni in ſuſpitionem non veniant, vt mali occaſionem non habeant negligendi, aut demum, & contemnendi: Volumus ut præter illum unum Punctatorem, quem ipſum Capitulum ad quadrimeſtre ſpatium eligere conſueuerat, Vicarius nomine noſtro alium creet, & ambo huic muneri incumbant, libroſquè ex punctationibus diſtinctos, conficiant, ſic enim compunctio locum habebit, & iuſtitia diſtributiua quaternis ſubiecta oculis illuſtrior fiet toto Capitulo, & Clero noſtro.

CLERICIS etiam iniuratis, fides adhibenda eſſet, ſed poſtquàm hic mos iurandi, qui omninò à malo eſt, inoleuit, vterquè Punctator iuret in manu Vicarij ſe in hoc munere obeundo, omnem quam poterit fidem, & diligentiam præſtiturum, ne ſua ipſius culpa, aut vniuerſo corpori, aut alicui membro iniuria fiat.

QVOD vt facto implere valeant, præcipimus, vt omnibus horis canonicis interſint, & indulgemus, vt eo tempore non teneantur ad alia onera, ad quæ aliàs tenerentur, fruanturquè ea ipſa libertate, qua in diuini cultus gratiam, dum officia celebrantur, nobis volentibus fruuntur magiſtri Chori.

SINGVLIS diebus, Punctatores poſt ueſperas, præſentent ſuos ipſorum libros: electis à Capitulo, Archidiacono, aut Archipræsbitero, vel duobus ex ijs quos ordinatos vocant; noſter autem, Vicario. Ab ijs ſimul videantur libri, conferanturquè, & indicentur, ad publicam Clericorum conſolationem, & pacem; Si quid diſcrepantiæ vel inter libros, uel inter Punctatores fuerit, quia vnius diei tantum res magna eſſe non poteſt; Vicarius ſtatim ſine vllo ſtrepitu dirimat, atquè conciliet.

VLTIMO die menſis, res tota exactè tractetur, & indicetur, tanquàm

in oculis Dei, qui neque fallere vult, neque falli poteſt. Et ſi quis Punctator, vel Clerum, vel Clericum ſcienter fraudauerit, tantundem de ſuo ſtatim reſtituat; mulcteturque inſuper, vt careat diſtributionibus, menſtruis, annuis, hebdomadarijs, diurnis, non tàm arbitrio, quàm iudicio ipſius Vicarij, cuius in hac parte conſcientiam oneramus.

LICEAT *Vicario noſtro, Punctatorem à Capitulo electum, quicunque is fuerit, ſi deprahenſus ſit in officio notabiliter deliquiſſe, etiam ante completum tempus deponere, & ſubſtituere alium in locum ipſius. Porrò verò quoniam minore ſcandalo, & nota quiſque non admittitur quàm admiſſus reijcitur, Iubemus vt à principio dum res eſt integra, Vicarius ipſe diligenter curet, ut Punctator capitularis is eligatur, qui iudicio ſanioris partis Capituli ſit idoneus, boni nominis, vereque dignus, cui res tanta credi debeat.*

NOS, *ſuper omnia ad ipſius Dei gloriam, animum virtute maſculum in Punctatoribus deſyderamus, qui non obſeruent alicuius uultum, qui ſolum Deum aſpiciant, & vereantur, eſuriantque & ſitiant non tàm panem & vinum, quo paſcantur ipſi, quàm integrum Dei cultum, quo digne laudetur Deus, verè compungatur Clerus, & piè ædificetur populus.*

IN *hac ſpe, ſeuerè præcipimus, ut dum diuina celebrantur, Punctatores quot quot Clericos maiores, & minores, ſiue ſacris, ſiue communibus, indutos ueſtibus, uiderint deambulare per Eccleſiam, aut etiam ſtare, exceptis Priore, & Procuratore Sanctiſſimi Sacramenti, illis protinus auferant omnia illius diei puncta, quæ aliàs illis debita fuiſſent, & reddita.*

Præſcribimus quoque lege inuiolabili, ut ſingulis Dominicis, & cæteris diebus feſtis, ne ipſis quidem Parochis punctum ullum aſſignent in Miſſa maiori, niſi interfuerint Choro in ſede ſua quum ſacerdos prima uice populum ſalutat, completo cantico Angelorum; ſed omninò unumquenque eorum mulctent pœna grani unius, abſque ulla remiſſione, quod ſi aliquis eorum quocunque prætextu abſque licentia receſſerit è Choro ante Eleuationem Sanctiſſimi Sacramenti, duplicetur illi pœna.

IN *Veſperis autem ſiue etiam in matutino officio quicunque diebus ſolemnibus punctum ferre voluerit cuiuſcunque dignitatis ſit, acceleret, & ingrediatur Chorum, antequàm compleatur primus Pſalmus, primi nocturni, & pſalmus primus veſperarum. Diebus porrò Dominicis, & aliis feſtis antequàm illi pſalmi incipiantur, alioquin intelligantur non interfuiſſe, mulctenturque iuxta leges de Diſtributionibus Quotidianis Latas. Aliis porrò diebus, quibus per Claſſes diuina officia celebrari permittimus, nemo intelligatur adfuiſſe ſuo illo ipſo die, qui illis præſcriptus eſt, ſi ipſo initio officij, quod cantu celebratur non adfuerint in loco ſuo, atque ideò & præmio careant, & pœnam referant proprio loco taxatam.*

SERMO

SERMO SYNODALIS, DE CEREMONIIS ECCLESIASTICIS.

DICTVRVS DE CEREMONIIS ECCLESIASTICIS, *rogo, atquè oro vos Seniores, ipſe quoquè ordine & ætate conſenior, vt ne arbitremini me de Cymino, de Menta, dequè Anetho hoc eſt de inanibus rebus, & quæ nihil ad Religionem faciant, loquuturum. Publicus Chriſtianorum cultus, & publica teſtimonia ipſius ueræ pietatis, qua Chriſtiani Deum colentes, & adorantes, obſtupeſcere, & obmuteſcere facerent aliarum gentium ignorantiam, ſi oculis, non ſtrabis nequè luſcioſis uiderent. Sunt Ceremoniæ, & Ritus, quos Eccleſia Sancta introduxit in templa, in altaria, in choros, nimirum flores deuotionis, religionis inſignia, & ornamenta; nequè ornamenta ſolum, ſed & adiumenta, quæ ante oculos fidelium ponunt, imprimuntquè in eorum animis, & ſempiternam diuinorum beneficiorum memoriam, & admirabilem myſteriorum noſtrorum ſanctitatem, & ſuſpiciendam, atquè tremendam Maieſtatem ipſius æterni Dei. Iuſtitia, & mores, genus humanum tanquàm rempublicam vnam reſpiciunt; nam homines inter ſe ſe gubernantur iure, & moribus. At uerò Religio, & ritus communi rectè loquentium, & ſcribentium uſu, tàm ſignificatione, quàm voce ad Deum, & ad Diuina potius referuntur. Sicut ergò iuſtitiam, & ius analogia quadam conſequuntur probati mores, & conſuetudines gentium, quibus honeſtè viuunt, alterum non lædunt, & ius ſuum vnicuiq; tribuunt; ſic religionem, qua Deus piè ſanctèq; colitur ab initio ſemper comitati ſunt, perinde ac corpora umbræ, ſacri quidam Ritus, & Ceremoniæ, quæ pulcherrima quadam ratione, & proportione religioni reſpondent, abiectis more perpetuo; vel*

quòad fieri poteſt correctis ſuperſtitionibus, quæ ſenſim procedente tempore, in illum ipſum Sanctiſsimum Dei cultum, neſcio quo pacto irrepunt, etiam nolentibus nobis. Et in uiris quidem ſpiritalibus, quoniam à ratione non admodum aberrant, neq; à natura rerum, huiuſmodi corporales obſeruantiæ rituum, & ceremoniarum, quaſi redundant ex feruore Fidei, Spei, & Charitatis, quibus religio continetur: At uerò illis, qui carnales ſunt, & animales, qui vix incipiunt progredi in via Religionis, & adhuc memores carnium, peponumq;, & cucumerum Ægypti, manna cæli faſtidiunt, illecebræ ſunt quædam, deliciæq;, & voluptates, quæ ad ipſam Fidem, Spemq;, & Charitatem, vitales, & beatos animarum nodos, ac laqueos, alliciunt, ac demulcent. Neq; enim nouum eſt per ea ipſa, quæ videntur excitari animos, & iuuari ad intelligentiam eorum, quæ ſpiritualia quum ſint, oculis corporalibus videri non poſſunt: nam & hoc ipſum Theologia gentium, vbiq; docet. Et quidem quamquàm Deus, quia ſpiritus eſt, ſpiritu & mente præcipuè colitur ab ijs, qui rectè de Deo ſentiunt; tamen qui non laudet Dauidem Regem illum Sapientiſsimum, qui quum ſe ſe totum Deo tradidiſſet, Deo ſimiliter totus, hoc eſt animo & corpore ſeruiebat, dicens Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum uiuum? Adde & Paulum diuini verbi præconem, qui dicebat; Orabo ſpiritu, nempe uoce oris, ea enim ſpiritus dicitur Orabo & mente. Non eſt nouus cultus externus, Fratres: Non ſunt noua inuenta ceremoniæ, & ritus: Vetus eſt Religio; veteres ſunt & ceremoniæ, nimirum æquæuæ religioni, & pietati. Summus ille CHRISTI Pater, Abraham, ut eos prætereamus, qui fuerunt diluuio ſuperiores, & incipiamus ab eo, quem ſacræ literæ patrem credentium uocant; ſicut ab initio Deum coluit, ſic illi pulcherrimum lucum religioſè plantauit, & dedicauit. Iſaac extendit tabernaculum, Iacob erexit columnam, idq; mane, & perunxit eam oleo. Melchiſedech dum benè præcaretur Abrahæ, primus, audiente exercitu inuocauit Deum עֶלְיוֹן Excelſum, & Creatorem cæli, & terræ, cuius benedictione fortis ille athleta Dei, nouo ritu, leuans manum ad cælum, introduxit hoc nouum nomen Domini, quum antea duo illa tantum in vſu eſſent יהוה, Ineffabile, & אֱלֹהִים, quod Iuſtitiam Iudiciumq; ſignificat. Moſes, ut lex, quam ferebat, in Religionem ueniret, radiceſq; ageret, & propagaretur, Deum ipſum, eo ſuggerente, & docente ad aurem duobus nominibus uocauit, Ille qui eſt, & Deus Abrahaam, Deus Iſaac, Deus Iacob. Primo nomine declarans Deum ſolum eſſe, alia non eſſe; ſed fieri, atq; ideò ab ipſo Deo continuò dependere. Secundo autem animos hominum non interire cum corporibus, ſed ſolutos uiuere æternam uitam; quæ duo fundamenta ſunt, & baſes præcipuè uniuerſæ Religionis. Ecquis ignorat, eundem Moſen toties laudaſſe ter ſanctum Dei numen, illi pias fudiſſe preces, & cum filijs Iſrael carmina ceciniſſe? quem ſecuta Maria ſoror, ipſa quoquè coniuncta pſallentibus, in medio iuuencularum timpaniſtriarum ſi-

cut regius Vates cecinit duxit choros. Prophetæ uix dici poteſt, quàm multis Dei nominibus locupletauerint ſymbolicam Theologiam. Extant & decem illa Sancta nomina, paſſim obuia legentibus ſacras literas, quibus diuinam maieſtatem, de more, & pro ſe ipſis, & pro populo inuocabant, & laudabant. CHRISTVS Dei filius, abſolutæ religionis abſolutiſſimus author, & conſummator, ut ipſi ex eo tandem, omnis conſummationis finem uideremus; manifeſtauit uniuerſo mundo illud ipſum unum, uerum, propriumquè, & naturale Dei nomen, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus; quin & illius breuiſſimum compendium, Sanctiſſimum nomen IESV, in quo tanta miracula facta ſunt, cui omne genu flectitur, de quo ſcriptum eſt, Omnis qui inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit; idquè fecit vt in illo ipſo nomine Deum inuocaremus, laudaremus, glorificaremus. Adde, quod & ille ipſe, ad eruditionem noſtram, æternam vnigeniti gloriam abſcondens, & infirma aſſumptæ mortalitatis oſtentans, officioſè hymnum cum Apoſtolis Deo dixit, in faciem orans procidit, pſalmodias recitauit, ex libris prophetarum in ſynagoga, velut in choro legit; oculos ſubleuauit; manus expandit; Deo gratias egit; ad illum inclinato capite præces fudit, eaſquè ſignato numero, nempè tertio repetens eundem ſermonem; ſed & ſemel, clamauit clamore ualido, etiam cum lachrymis. Quæ omnia non tàm impiè Iudæi, & hæretici in Cham perditionis filio ad hunc uſquè diem rident, & irrident; quàm CHRISTI fideles, in Sem, & Iaphet morigeris Noe filijs, honeſtiſſimo Sacramentorum pallio, piè, deuotequè circuntegunt, incedentes etiam retrorſum, ut qui ne ſimilitudinem quidem carnis peccati, propter nos aſſumptam in hiſce myſterijs deſpicere ſolent, ſed naturalis diuinitatis maieſtatem, & ſublimitatem cæca fide uenerantur, & colunt. Obliuiſcar nè ſanctam illam, & religioſam ceremoniam, quam Lucas Pauli Apoſtoli Comes perpetuus in actis Apoſtolicis tàm diligenter ſcripſit dum περὶ στεφάνου, de Stephano inquàm verè Martirum omnium Corona loqueretur. Quum enim ſaxa in eum iacerent Iudæi (inquit) qui & ipſi ſaxa erant, & ſaxis quibuſlibet duriores, in medio furore lapidantium non eſt oblitus, quod Dominus noſter IESVS CHRISTVS ſuffixus Cruci orauit ad Patrem, ut ignoſceret illis, qui eum crucifixerant: itaquè & ille boni Præceptoris bonus diſcipulus præcatus eſt pro ijs qui eum lapidabant; & uide, inquit, quanta ceremonia, & religione præcatus eſt: Dum pro ſe ipſo præces funderet non flexit genua, & ne genu quidem, intendens enim oculos in cœlum videt gloriam Dei, & IESVM ſtantem à dextris eius, & ait; Domine IESV accipe ſpiritum meum. At oraturus pro homicidis, quò facilius exaudiri mereretur, vt animo ſic corpore ſe ſe demiſit in terram. Poſitus enim genibus dixit, Pater ignoſce illis, & ne ſtatuas illis hoc peccatum. An vero non ceremonia illa fuit quod Petrus, & Ioannes aſcendebant in templum ad horam orationis nonam? Sed deficiet me dies ſingulas, quæ in noſtris ſcripturis leguntur ceremo-

nias fuſa narratione perſequentem. Diuinis igitur hiſce magiſterijs delectata Eccleſia, inſtar Apis vndique flores aggerens, noua ſimul, & vetera libans, omneſquè tantæ uarietatis ſuccos, & ſapores admirabili miſtura confundens in unum ſaporem, & uerè pijs faucibus dulciorem ſuper mel, & fauum, ipſo Spiritu Sancto, ſingula & omnia odoramenta fermentante, & concoquente, ut unum fiat ex omnibus ſicut unus in nobis Sanguis efficitur ex ſingulis, benecoctis alimentis, ad hoc ipſum tàm nobile diuinæ maieſtatis ſeruitium, quo Eccleſiaſtici ordines etiam ſupra quoſquè Reges, & Principes Illuſtriſſimi fiunt, pro tanta rei dignitate, deputauit templa, choros, ſeſſibula, ſignauit diurnas, & nocturnas horas, Hymnos ædidit, inſignes notis etiam muſicis, pſalmos deſcripſit, praces compoſuit, & ex utroquè teſtamento collegit lectiones uarias, quin etiam ad pauſam canentium, & orantium, ne nimia animi, & uocis contentione, tædio affecti, quaſi langueſccrent, numeros & uerſus intercalares, quibus continuata orationis textura iucundè interrumpitur, prudenter introduxit; præſcripſitquè pro lectionum, & cantionum immutationibus, diſtinctionibus, ſeſſiones, accubationes, inclinationes, ſtationes, genuflexiones; vt per omnia ſufficienter imbuti miniſtri Dei ipſis quoquè, & vocibus, ſic motibus & geſtibus; muſici, alter alteri, pariter, & æqualiter per omnia inuicem reſpondeant, nè quis ſolæciſmum faciat, oculo, manu, pede; ſed ſinguli, & omnes, congruè, & decorè nunc diuina beneficia laudibus canant, nunc promiſſa fletibus exigant, & lachrymis, nunc orent pro peccatis, & viuentium, & defunctorum. Semper autem bona omnia præcantes, omnia tandem mala per CHRISTVM IESVM depræcintur, ſub inuocatione Dei Patris, Filij, & Spiritus Sancti; hoc enim vnum nomen, cui ex Niſcena ſynodo in fine pſalmorum perpetua Δοξολογια canitur, eſt vice omnium. Sanè & orationes diriguntur ad Patrem, impetrantur per Filium, & concluduntur in Spiritu Sancto; iuxta illud Pauli Apoſtoli. Ex ipſo, per ipſum, & in ipſo ſunt omnia; hoc eſt ex ipſo Patre, per ipſum Filium, in ipſo Spiritu Sancto. Unde & ab ipſis quoquè Angelis Dei, de quibus ſcriptum eſt, Et non habebant requiem clamantes, & dicentes, Sanctus, Sanctus, Sanctus; hoc ipſum accæpiſſe videtur mater Eccleſia, vt non ad aram ſolum, vbi ſacra fiunt; ſed etiam in corona fratrum, hoc eſt in choro, vbi diuina celebrantur nonnulla, quæ ad laudes, & ad gratiarum actionem ſpectant, & pertinent; iuſſerit irrequieta voce cantari. Quò ad antiphonas porrò, verſus & reſponſoria, quibus chori alternant, non dubium, quin earum vſum accæperit ab Angelis, ſacer ille Ignatius, cui cognomen θεόφορος diſcipulus dilecti Domini; ſed docere potuit, & ipſa natura, quæ prima omnium Deo hymnum cecinit, per orbium cœleſtium perpetuas ſtrophas, & antiſtrophas; quibus ipſi cœli, dum voluuntur, & reuoluuntur, admirabilibus modis Dei gloriam euehunt laudibus.

NON eſt mihi modo diſcurrendum per ſingula; ſed vt ſummatim rem

perſtrin-

perſtringam, huc ſpectant ea, quæ adhibentur in ſacramentis, quæ ante, & quæ poſt Sacramenta, omnia ſanè ſacramentalia dicuntur; huc etiam pertinent alia omnia, quæ tanquàm apoſtolicas praxes, & traditiones perpetuas, partim ex diuinis ſcripturis, partim ex ſacris concilijs generalibus, quorum authoritas ipſis ſcripturis eſt pœnè par, ex ipſa Sancta Romana Eccleſia, inquàm Apoſtolorum Principes, Petrus, & Paulus, cum uita, & ſanguine ſpiritum, & doctrinam CHRISTI *profuderunt; Eccleſiæ omnes diffuſæ per totum orbem terrarum magna religione obſeruant, & tenent.*

- Lotiones,
- Vnctiones,
- Conſecrationes,
- Benedictiones,
- Aſperſiones,
- Inſufflationes,
- Profeſsiones,
- Abrenunciationes.
- Interrogationes,
  - Neophytorum,
  - Pœnitentium,
  - Communicantium.
- Traditio Symboli,
  - Exorciſmi,
  - Catechiſmi.
- Manuum,
  - Impoſitio,
  - Extenſio,
  - Eleuatio.
- Signum Crucis,
  - Picturæ,
  - Imagines.
- Tactus,
  - Conſignationes,
  - Oris,
  - Narium,
  - Oculorum,
  - Aurium.
- Oſcula,
  - Thura,
  - Opobalſama.
- Sales,
  - Cineres,
  - Ignes,
  - Liquores.
- Genuflexiones,
  - Inclinationes,
  - Lectiones,
  - Cantus,
  - Soni.
- Lampades ardentes,
  - Cæræ apum ad altaria,
  - Miniſtri Ceroferarij.
- Sacræ Veſtes, cum fimbrijs,
  - Vaſaq; & Tabernacula.

Verba quoquè Græca, & Hæbraica, admiſta Latinis;
Et uariæ mutationes Officiorum, ſecundum tempora.

NEQVE *verò ignotum eſt, Oratores maximos, & præſtantiſſimos actionibus, non minus loqui, & perſuadere, quàm verbis. Quin & ipſa pronun-*

tiationis

tiationis voce intelligitur, ſimul actio, & moderatio tota ipſius Oratoris.

NON fiunt ſtatim ritus, ſed proceſſu temporis, & gradatim, imitatione, & ſucceſſione conſentientis Eccleſiæ; ideoq́ non nouæ, ſed ueteres tantum, & probatæ conſuetudines ad ritus pertinent, & rituum nomine nuncupantur, quas omnes retineri iubemus, nouas ne receptas quidem. Homo noſter, Fratres Chariſſimi, in quo non eſt ſpiritus Dei, carnalis nimirum uel animalis, quantum uis ſapiens, piusq́, & religioſus ſibi, & alijs quoq́ uideatur, re ipſa, in ijs, quæ Dei ſunt, inſipiens eſt, impiusq́, & irreligioſiſsimus: quid? uanus, inanis, ipſa uanitas, inanitas, inſipientia, ſtultitia: ſic Apoſtolus Animalis homo non percipit, quæ Dei ſunt, ſtultitia eſt enim illi. Unde illud, Inſipiens, tu: & illud, O homo inanis: ſed quid expreſsius oraculo illo; Vniuerſa uanitas omnis homo uiuens. Dominus nouit cogitationes hominum, quoniam vanæ ſunt. Hic eſt, qui ſeparat fidem ab operibus, opera à fide, gratiam à libero arbitrio, liberum arbitrium à gratia; Hic eſt, qui ſoluit IESVM, à Deo, ab Eccleſia, à ſe ipſo. A Deo, dum dicit IESVS non eſt Deus, ut Pater, ſed minor Patre. Ab Eccleſia, dum dicit, IESVS non eſt verus Homo, ſed phantaſticus. A ſe ipſo dum dicit, Non eſt una perſona, ſed duæ. Hic ipſe igitur homo, qui ſpiritum Dei non habet, dum innititur prudentiæ ſuæ, quæ omnino diuina non eſt, (quanquàm ne exibiletur protinus, diuina uideri uult,) ſibi ipſi fingit, & commentatur neſcio quos Dei cultus, ceremonias, ſuperſtitiones, in quibus, quum ſibi maximè placeat, ipſi quoq́ Deo maximè placere arbitratur: ò uerè homo inanis. Ecquantum diſtat iudicium Dei à iudicio hominis? nimium verè dixit CHRISTVS IESVS. Quod altum eſt hominibus, abhominatio eſt apud Deum. In imagine pertranſit homo; Scripſit Pſaltes, hoc eſt, non ſequitur rem, ſed imaginem, non corpus, ſed umbram, non ueritatem, ſed figmenta, ſed ſomnia. Unde, & Socrates, Ethnicorum ſapientiſſimus; Eo, inquit, cultu colendi ſunt Dij, quo ipſi ſe coli præceperunt. Quod ſi numerum plurium, in vnius numerum mutaſſet, ſi inquàm pro Dijs, Deum dixiſſet, quid poterat dici ſapientius? religioſius? ſanctius? Et uanitates quidem erant omnes illæ apud gallogræcos, quos Diuus Paulus coarguit, humano ingenio, forſan; non ſine ſathanico, excogitatæ expiationes, luſtrationes, augurales, aruſpicinæ, obſeruationes dierum, horarum, illæ etiam apud Hæbreos ſuperſtitiones thalmodiſticæ, quibus (ut mihi videtur) ſimiles ferè ſunt nugæ illæ, & ludi, quibus noſtro tempore Caretani homines ludunt, & illudunt, imponentes ſimpliciori plebeculæ per varias technas, ſub prætextu religionis: Enimuerò Ceremoniæ Eccleſiaſticæ, quæ non uoluntate humana, ſed ex ſpiritu Dei; quo ipſa Eccleſia, quaſi animatur, & viuit, introductæ ſunt in Sacramenta CHRISTI, in ſacrificia Chriſtianorum, in officia Clericorum, monachorum, atq́ adeò in omnem cultum publicum, quo Chriſtiani diſcernuntur à cæteris gentibus; quo-

modo

modo vanitas eſſe poſſunt? niſi & ipſa quoq́ tota religio vana ſit, & vera ſit illa blaſphemia, Vanus eſt, qui ſeruit Deo? Certè verò docent ſacræ literæ, & omninò iura omnia, diuina & humana, quod quum toti pendeamus ex Deo, qui & creauit animas noſtras, & plaſmauit corpora noſtra, & redemit nos totos, & quotidie dat & conſeruat res noſtras, debemus propterea ipſi toti cum omnibus rebus, quæ inſunt, quæ adſunt, & quæ circunſtant nos famulari, ac ſeruire Deo. Hæc igitur eſt vis; hæc eſt ratio, hic eſt ſcopus Ceremoniarum, non geſticulatio corporis, contorquere caput, collum, bracchia, pedes (exercitatio hæc corporalis ad modicum, ad ſanitatem, inquàm fortaſsè vtilis eſt) Sed ceremoniarum gloria omnis eſt ab intus, verè ab intus. Vultis audire, quomodo eſt ab intus? Ecce corde credimus ad iuſtitiam, ore confitemur ad ſalutem, Diligimus proximos noſtros, amicos, & inimicos, Dimittimus Debitoribus noſtris, Dolemus quòd peccauimus, Confitemur peccata Sacerdoti, Quòad poſſumus ſatisfacimus, Ieiunamus Oramus; hæc eſt ſubſtantia pietatis. Quod autem quia credimus, quia confitemur, quia diligimus, quia dimittimus, quia dolemus, quia ſatisfacimus, quia ieiunamus, quia oramus, extollamus vocem cantemus in choro, genuaflectamus, procidamus in faciem, manus duplices eleuemus ad cælos, extendamus in forma Crucis, pectora tundamus, cinere conſpergamur capita; quòd viſitemus baſilicas, quòd circumeamus altaria, quòd templa erigamus, & ornèmus; hæc & his ſimilia ad externam pietatem ſpectant, ad ceremonias, ad ritus, ad fœtus inquàm, apertos, & ad expreſſos characteres internæ Religionis (CHRISTI IESV. *O' quàm bellè hic locum habet uerbum illud Euangelicum, Illa oportet facere, & hæc non omittere, quia niſi articulus occurrat, ubi aut ceremoniæ, aut ſubſtantialia omittenda ſint, utrunq́ ſimul neceſſarium eſt in cultu Dei, quamquàm illud magis, hoc uerò minus, illud prius, hoc poſterius, illud per ſe, hoc propter illud: atquè ideò vbi neceſſe ſit propter ceremonias omittere quod ad ſubſtantiam facit religionis, memores ſumus verbi Domini, Miſericordiam volo non ſacrificium; nequè enim inter illos ſumus aut eſſe volumus quos arguit* CHRISTVS *excolantes culicem, camelum autem glutientes. Sed iudicium iſtud eſt Epiſcoporum Fratres, non populi, non veſtrum, atquè ideò nemo hoc prætextu negligat ceremonias, nemo ſe iudicem conſtituat in cauſa religionis, rituum, ceremoniarum. Ecquis non videat quàm bellè dixit quidam; Poemata, inquit, ſunt picturæ loquentes, & ceremoniæ ſunt muta quædam eloquentia ipſius interioris religionis, Verè enim ita eſt, nam in ritibus, & ceremonijs fides primum ſe ſe exerit, tum flamma exoritur, qua liqueſcunt corda in diuinos amores, in deſyderia, in ſuſpiria; ſic alitur, & fouetur in animis pijs ſpes æternorum bonorum. Adde uerò quod per ceremonias populus continetur in officio, & dicernuntur deuoti ab indeuotis: Clerici adimplent ſua ipſorum munera, ad quæ uocati ſunt, & quæ dum initiarentur quiſquè in ſuo*

ordine

ordine promiſit conſecratori; Epiſcopi demum permouentur ut & Clericis, & po pulo, unicuiquè ſecundum propriam uirtutem, & menſuram; aperiant & uerbo rum, & actionum, integumenta, umbras, figuras, amictus; non in totum quidem ne myſteria denudata uileſcant; ſed, magna ex parte, ut qui credunt, intelligant, ut qui quærunt inueniant, & panem accipiant, qui eſuriunt; quod & ipſi hodie pro munere noſtro abundè facimus. Et puto uos omnes iàm intelligere, quantum ſatis eſt, probatas ceremonias ad Theologiam ſymbolicam pertinere, cuius quanta vis eſt in ſacris literis nemo ignorat, atquè ideò tantum abeſt, vt ſine peccato contemni poſſint, vt etiam à CHRISTI *fidelibus magno cum fructu teneantur, obſeruentur, cuſtodiantur.*

SEQVVNTVR CANONES.

AD VETERES *& probatos ritus pertinet, vt Mulier velato capite, Vir contra nudato capite ingrediatur Eccleſiam.*

VT CHRISTI *fideles communicent in fractione panis una Sabbati potiuſquàm ſecunda Sabbati, quam tertia Sabbati, quàm Sabbato.*

VT *Ieiunemus potius quarta feria, & ſexta; quàm tertia, & quinta.*

VT *antequàm ad menſam ſedeamus, benedicamus, quæ nobis apponuntur; & ſurgentes è menſa gratias agamus Deo per* CHRISTVM IESVM.

VT *quicquid agamus in principio cuiuſquè operis, inuocemus nomen Domini, & ſignati ſigno Crucis omnia in nomine Dei faciamus.*

VT *in officiis diuinis, Clerici minores perpetuo ſtent pedibus, ſacri ſedeant, dum Pſalmi omnes vel lectione vel cantu recitantur.*

VT *ad matutinum, dum auditur vox illa qua Eccleſia vtitur, tanquàm tuba, vel organo ad inuitandum populum; Venite exultemus Domino, omnes protinus ſi ſedent, ſtrenuè ſurgant, & contendant cum auibus cæli ad laudandum creatorem, & dum ille pſalmus cantatur uel legitur, omnes ſtent pedibus, quòad vſquè finiatur.*

VLTIMVS *quoquè ille Pſalmus, quo hora Completorij clauditur.*

Eccè nunc Benedicite Dominum &c.

hanc religionem exigit, vt abſque exceptione omnes conſurgant, & ſtent.

VT *quum in fine Pſalmorum dicitur.*

Gloria Patri, & Filio &c.

ſimiliter autem toties quoties hæc ipſa δοξολογια *vel legitur uel canitur, antiquus*

ritus

ritus Religionis eſt, aſſurgant omnes, ſed ſine ſtrepitu, & caput aperiant.

ITEM *quum nominatur Sanctiſſimum illud nomen,* IESVS.

ET *ſuauiſſimum illud,* MARIA.

QVVM *Hebdomadarius legit, vel canit capitulum ad quaſcunq; horas.*

QVVM *incipiuntur in Choro, Mane, Meridie, Veſpere tria illa Cantica.* ZACHARIAE, VIRGINIS, SIMEONIS,

Benedictus Dominus Deus Iſrael.
Magnificat anima mea Dominum.
Nunc dimittis ſeruum tuum Domine.

Et ſtare debent omnes vſq; ad finem detecto capite.

SIMILITER *quoq; ſurgendum eſt, & aperiendum caput, quum legitur ad finem Miſſæ, vel aliàs quomodolibet Euangelium Ioannis.*

In Principio erat uerbum.

ET *quum in diuinis officijs dicitur.*

In nomine Patris & Filij &c.
Sit nomen Domini Benedictum.
Adiutorium noſtrum in nomine Domini.

RITVS *autem eſt deuotiſſimus, atq; ideò omnium, maximè obſeruatione digniſſimus, quod Chriſtiani omnes in Eccleſia, utrunq; genu, demiſſiſſima mente flectant, quum audiunt.*

Verbum Caro factum eſt.
Deus homo factus eſt.
Te ergò quæſumus famulis tuis ſubueni &c.
O' Salutaris Hoſtia, quæ cœli pandis hoſtium &c.
O' Crux aue ſpes unica.
Tantum ergò Sacramentum ueneremur cernui.
Nos quoquè, qui Sancto tuo redempti ſanguine ſumus.

ET *quum inchoantur hymni illi.*

CHRISTE Redemptor omnium.
IESV noſtra redemptio.
IESV Corona celſior.
IESV Redemptor omnium.

Veni

Veni Sancte Spiritus.
O' lux beata Trinitas.
Aue Maris ſtella.
O' Glorioſa Domina.

DENIQVE *quum clauduntur officia laudationibus, & oratione ad Virginem.*

Salue Regina.
Aue Regina cœlorum.
Alma Redemptoris Mater.

LAVDEM *verò illam.*

Regina cœli lætare Halleluia, &c.

A PASCHA *ad Pentecoſtem, non genuflexi, ſed ſtantes Clerici in Choro canunt; Idq́ vt muto eloquio ſignificent gloriam* CHRISTI *reſurgentis.*

DE THVRIFICATIONE, DEQVE OSCVLO PACIS, ET EVANGELII.

IN CEREMONIIS ECCLESIASTICIS CHORI *noſtri, ad tollendas prorſus diſcurſiones, & vagationes, quæ procul abſunt ab omni gratia & elegantia rituum, & ceremoniarum, Iubemus, vt præſente Epiſcopo, omnes, & ſinguli, qui illi aſſiſtunt quò ad honorem ſacri Thuris, tàm ad ueſperas, quàm ad Miſſam præferantur omnibus alijs canonicis, ipſis etiam dignitatibus exiſtentibus in proprijs ſtallis procul à ſede Epiſcopali.*

EVNDEM *ritum obſeruari uolumus in oſculo pacis, quod ad Miſſam publicam dari ſolet ſuo ordine.*

SACERDOS *autem qui celebrat ſiue Miſſam maiorem, ſiue officium ueſpertinum, quoniam antiquiſſimo ritu thurificatur, ut par eſt, etiam priuſquàm ipſe Epiſcopus, thurificato per eum altari, antequàm indè recedat, iturus ad ſedem ſuam ſtet in ſiniſtro cornu altaris (ne terga uertere uideatur Sanctiſſimo Sacramento) & præſente Epiſcopo illi bis ducatur Thuribulum; nam Epiſcopo ſolis ter ducendum erit.*

PRIMVS *autem ex choragis ille erit, qui cum pluuiali, ſi erit feſtum ſolenne, incenſabit ipſum celebrantem.*

VOLVMVS autem ut per oſculum Sanctum in Domino Pax detur omnibus, & ſingulis clericis maioribus, & minoribus, more Romano.

DETVR autem omninò prius Reuerendo Vicario, ſi Epiſcopus ſit abſens, quàm Gubernatori Ciuitatis, quicunquè ille fuerit; at uero Epiſcopo præſente, detur utriquè ſimul.

ATQVE ideò, habeantur duo inſtrumenta Pacis, quæ in ipſis initijs Miſſæ, collocentur in altari, & ſuo tempore per duos choragos, modeſtè, & grauiter deferantur oſculanda.

EVANGELII porrò liber, in Miſſa publica nulli oſculandus detur, qui Eccleſiaſtica non ſit præditus poteſtate.

EXCELLENTISSIMVM, & Illuſtriſſimum Proregem excipere neceſſe non eſt, quia gladium habet ad defenſionem Euangelij. Ideo ergo illi traditur Euangelium oſculandum, ut in Euangelio intelligat, repræſentari CHRISTVM, Fidem CHRISTI, Eccleſiam CHRISTI; atq́ ideò ſæpè recordetur, nihil illi debere eſſe charius, quàm ſacrum illum librum, quem cum tanta ceremoniarum pompa, aperto capite iunctis manibus, & genuflexus exoſculatur, pro quo etiam fundendus eſt illi ſanguis, more Catholicorum Principum, Regumq́, & Cæſarum.

IDEM intelligimus de magnis Dominis, & Conſiliariis etiam Regiis, quos completa Miſſa Magiſter Ceremoniarum admonebit ne ſint frigidi, aut tepidi in defendenda Eccleſia, cuius iura nimirum in Euangelio contenta, & ſignificata in ſignum amoris, & honoris oſculati ſunt. Oſculum enim eſt ſymbolum amoris, & reuerentiæ, ut alibi dictum eſt.

TOTIVS DOCTRINÆ CEREMONIALIS EPILOGVS.

SCIENTIA CEREMONIARVM, QVAE OMNINO *ad myſtagogiam pertinet, non eſt ut Logica, neq́ ut Grammatica, quæ dum docent, uerbis tantum utuntur, & non operibus; neq́ uerò eſt, ut ars textoria, aut cementaria, munus quarum è diuerſo eſt facere, & non dicere: ſed ſimilis eſt aliqua ex parte arti, uel ſcientiæ Medicorum, quæ ad ſanandos ægros, & uerbis facilè, & pharmacis utitur; quamquàm hoc eſt principale, illud ſecundarium, & quaſi per accidens: porrò ſimilior eſt arti Oratoriæ, in qua utrunquè per ſe intenditur; nam actio Oratoris coniungit uerbis geſtus, & uerba geſtus. Eſt autem quàmſimillima arti citharizandi, in qua qui excellunt, dum ſimul cantant, & pulſant, numerant Syllabas, & ponderant ictus; ut temperantes ſonos uerbis, & uerba ſonis, reddant muſicam dulciſſimam, ſuauiſſimam, undequaquè libratam, & ſibi per omnia pleniſſimè reſpondentem.*

QVONIAM autem ceremoniæ, facilè in primis elabuntur ex memoria, & nunquàm vſquè adeò ritè docentur verbo, vt per omnia addiſcantur niſi longo vſu, & obſeruatione; Iccircò præcipimus vt quiſquè Clericus, in Choro, quàm diligentiſſimè attendat actiones, iuſſaquè, & nutus Magiſtri ceremoniarum, & illi in omnibus ſe ſe conformare nitatur.

QVVM domi eſt Clericus, & clauſo cubiculi oſtio ſolus orat ad Dominum, liberum illi eſt, vt eum fert deuotio, pietas, & pietatis affectus, nunc cum Moſe & Aaron extollere manus, nunc cum Salomone flectere genua, interdum cum CHRISTO *procidere in terram, aliquandò ſedere ad pedes Domini cum Maria Magdalena, percutere pectus, & oculos inclinare ad terram cum Publicano, leuare caput, & defigere oculos in cælum cum Apoſtolis, exclamare voce magna cum Centurione, loqui in ſilentio cum Anna Samuelis matre, aſpergere ſe cineribus, & induere cilicium cum Niniuitis, Lachrymis rigare lectum cum Dauide Rege, extendere bracchia in modum Crucis ad imitationem Crucifixi: Vnuſquiſq; in ſuo ſenſu abundet in nomine Domini; ſed in Choro quiſquè inclinet caput cum inclinantibus, flectat genua cum flectentibus, ſtet cum ſtantibus, & cum ſedentibus ſedeat; deniquè in ijs quæ exterius aguntur, nullus omninò ſit ſingularis: Non ſit alicui magiſtra propria deuotio, ſed conſuetudo communis. Interius quidem etiam in choro quiſq; nitatur, vt alter alterum deuotione emuletur, ſuperet in rugitibus, in ſuſpirijs, in humilitate; Sed exterius ſint pares, imò verò non pares; optamus enim vt non videantur plures, ſed vnus ſolus.*

INTELLIGANT autem omnes CHRISTI *fideles ex apoſtolica regula Doctoris gentium, Chriſtiano viro, non ſolum attendendum eſſe ipſi pietati, ſed etiam doctrinæ, quæ eſt ſecundum pietatem; alioquin ſuperbus eſt, & nihil ſciens. Pietas eſt ipſe Dei cultus, doctrina ſecundum pietatem verſatur aliqua ſua ex parte in ritibus, & ceremonijs, quæ ædificant pias fidelium mentes, quas cuſtodit, & tenet ſancta mater Eccleſia.*

ET quidem ipſe CHRISTVS IESVS, *antequàm initium daret ſuæ ipſius Religioni, & inciperet congregare diſcipulos, qui eum ſequerentur, & doctrinam ipſius auſcultarent, baptizatus eſt in flumine, adhibitis tot, & tantis ceremoniis, quæ in ipſo Euangelio referuntur. Nam uox æterni Patris, eaq; de nube audita eſt, & ſuper aquas; Viſusquè eſt Spiritus Sanctus non deſcendens ſolum, ſed manens, non in ſpecie ignis, ſed columbæ, non ſuper humeros, ſed ſuper caput eius.*

AD extremum verò, documentum magnum eſſe debet nobis omnibus, quod ſicut ipſe CHRISTVS IESVS *ſedit ſuper aſellum non nudum, ſed ornatum Apoſtolicis ueſtibus; ita Chriſtiano viro incumbendum eſt ſuper doctrinam pietatis, & religionis Chriſtianæ, decoratam Eccleſiaſticis ritibus, & ceremonijs, in Miſſa præſertim, in diuinis officiis, in adminiſtrationequè, & uſu ſacramentorum, in quibus ſumma continetur diuini cultus.*

SERMO SYNODALIS, DE PVBLICIS, ET SOLENNIBVS BENEDICTIONIBVS; DEQVE IPSA BENEDICENDI AVTHORITATE, ET IVRISDICTIONE.

AVRORA EST, DIMITTE ME. NON DIMITTAM *te, niſi benedixeris mihi. Ioachim Summus* PONTIFEX *de Hyeruſalem venit in Bethuliam cum vniuerſis Praesbyteris ſuis, vt videret Iudith. Quae quum exiſſet ad illum, benedixerunt eam omnes vna voce, & clamauit omnis populus Fiat, Fiat.*

SITIENTES *venite ad aquas, Venite, Properate, accipite aquam uitae gratis. Ecce enim ſalutares, & ſuauè olentes, non fontes quidem, ſed deriuationes, deductiones, diſtillationesq́ aquarum cœleſtium hodierna die aperimus vobis, Fratres Dilectiſſimi. Utinam ad irrigandas arentes animas noſtrarum plebium ex ſtillicidijs riuos, & ex riuis flumina faciamus. Fons fontium Deus eſt, & fons de fonte* CHRISTVS IESVS; *Sed & Spiritus Sanctus eſt fons, quamquàm omnes fons vnus, ſicut & Lux una, Vita una, Deus unus. O' fons uitae, O' uena inexhauſta aquarum uiuentium, quando ueniemus, & apparebimus ante faciem tuam, ut inebriemur ab hubertate domus tuae, ea aqua, eo uino, eo melle, eo nectare, quo nihil dulcius, nihil ſuauius, nihil amabilius? Fontes ſunt myſtici, & ebullitiones arcanae ipſa ſacramenta, de quibus illud eſt, apud Prophetam. Haurietis aquas cum gaudio de fontibus Saluatoris; ipſa quoq́ gratia, quae ex venis Sacramentorum hauritur dulciſſi-*

mo fontis nomine, & appellatione gaudet; ſic enim ore ſuo ſancto & benedicto dixit CHRISTVS IESVS. *Fiet in eo fons aquæ uiuæ ſalientis in æternam vitam. Quin & Virgo illa Sanctiſſima Dei Mater, fons & ſcaturigo dicitur, de quo per allegoriam illud eſt. Fons paruus creuit in fluuium magnum, & in aquas plurimas redundauit. Sed propter filios noſtros derelictus omnibus pene fontibus, ad quos vos mitto, ut metretas, & hydrias ueſtras impleatis aqua hodierno ſermone, ipſos tantum riuulos ſectabor. Benedictiones inquàm, quas ipſi Conſacerdotes aperta & extenſa manu effundimus ſuper ſitientes glebas terræ noſtræ benedicentes hominibus pro Deo, de quo ſcriptum eſt; Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione, & iterum, Aperiente te manum tuam omnia implebuntur bonitate. Et quidem Moſes ipſe quoq; Sacerdos ſicut ſcriptum eſt, Moſes & Aaron in Sacerdotibus eius; in Cantico quod morti proximus, tanquàm Cycnus ceciniſſe viſus eſt, verba illa tantarum benedictionum plena, ob id cœleſtes rores, & pluuias appellauit; quòd rore & pluuia uteretur Deus ad benedicendum ueteri illi populo in abundantia frugum terræ, uini quoq; & olei: ſiquidem quoties rebellabant Deo, & ſeruiebant idolis, ut maledictionem pro benedictione referrent, cælum retinebat pluuiam, & Terra non dabat fructum ſuum: Unde illud, Sit cælum, quod ſuper te eſt æneum, & terra, quam calcas ferrea. Neq; verò profectò à Summis etiam Regibus tantoperè expeterentur benedictiones Sacerdotales, quibus & corda, & corpora religioſè ſubmittunt, niſi in illis, tanquàm in imbribus è cælo cadentibus, piæ fidelium mentes, copiam, abundantiam, uim, & gratiam diuinæ benedictionis agnoſcerent, ac ſentirent. Benedicit Deus Homini, Fratres, Benedicit Homo Deo, & benedicit homini Homo. Deus benedicit homini, quia benefacit hominibus; nam dicere Dei facere eſt. Et quis vnquàm hominum benedicere poſſet Deo, ſi non prius benedixiſſet Homini Deus. Tum autem benedicit Homo Deo, quandò laudat Deum, & tum maximè laudat Deum, quandò benè uiuit propter Deum; nam quid prodeſt, quod lingua benedicat, ſi uita maledicit? Porrò Sacerdos non homo priuatus, ſed publicus & communis, qui ex hominibus aſſumitur, & pro hominibus conſtituitur in ijs, quæ ad Deum ſunt, benedicit Deo, quandò & pro ſe, & pro populo offert Deo uitulos labiorum ſuorum, laudans, adorans, orans, petens, præcans, depræcans, ſacrans, ſacrificans, alternans quidem in templo voces, & ſonos, ſed in ſpiritu tenore perpetuo eructans iubilationes, & pro tantis beneficijs & publicis & priuatis Deo Benedicto die & nocte gratias agens. Quum autem ſolemniter, & publicè benedicit populo, tum ſuper eorum capita extendit conſecratam dexteram, & in uno illo diuino nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti ternis uicibus eos ſignat vitali ſigno Crucis, protectionem nimirum uirtutis diuinæ ſignificans, & conteſtans, quòd ſub umbra manus Dei Omnipotentis, neq; Sol mundanæ fœlicitatis, per diem; neq; Luna aduerſitatis*

temporalis

temporalis eos lædere poterit per noctem, deindè verò, quod muniti potentiſſimo illo Crucis ſigno, erunt terrori dæmonibus, & omni Sathanicæ poteſtati. Benedicunt quidem intra priuatos parietes, etiam Laici Laicis, & qui ſanctioru vitæ exiſtimantur ijs, qui communem uitam viuunt; quippè qui tanquàm Deo chari illis benè præcantur, benè cupiunt, atq; etiam ſuis ipſorum meritis, dum pro eis ad Deum orant, per diuinam & ineffabilem Miſericordiam, diuerſa gratiarum munera illis impetrare ſolent. Sed quàm longè præcellit priuati Viri, priuatam benedictionem, benedictio publica publici miniſtri CHRISTI IESV, *Cuius eſt illa vox. Si quid donaui, in perſona* CHRISTI *donaui. Et illa, Sic nos exiſtimet homo, vt miniſtros* CHRISTI: *Non enim ſuis fretus meritis, aut iuſtificationibus orat tantum Sacerdos, ſed confidens de Miſericordia Dei, per infinitum illud meritum* CHRISTI IESV, *qui tanquàm verax & fidelis officio diſpenſationis Sacerdotibus creditæ, nunquàm non fauet authoritate Sacerdotali, quaſi imperat, vt benè ſit illis omnibus, quibus pro Deo tenſis & expanſis manibus benedictiones impendit ſuas. Nota vobis eſſe puto uerba, quibus Sacerdotes ex præcepto Moſe, benedicebant populo. Benedicat tibi Dominus, & cuſtodiat te, oſtendat Dominus faciem ſuam ſuper te, & det tibi pacem. Quæ ſanè verba, Ecquàm potentia? Ecquàm efficacia? D. Clemens Romanus Apoſtolorum ſymmiſtes in octo illis libris, quos conſtitutiones Apoſtolicas appellat, expreſſè dicit fuiſſe etiam in vſu apud noſtræ Eccleſiæ Epiſcopos. Eſt & illa benedictio, quæ legitur in pſalmis, Benedicat tibi Dominus ex Sion, ut uideas filios filiorum tuorum. Vxor tua ſicut uitis abundans. Ecce ſic benedicetur homo, qui timet Dominum: qua vtuntur Epiſcopi, peracto myſterio Chryſmatis Confirmationis. Illa verò ſolennis eſt, & publica ex eodem D. Clemente, qua Epiſcopus ſuper populum orat, & dicit. Saluum fac populum tuum Domine, & benedic hæreditati tuæ, quam poſſediſti, & acquiſiuiſti pratioſo ſanguine* CHRISTI *tui, & uocaſti regale Sacerdotium, & gentem Sanctam. Ita eſt Fratres, Ita eſt. Benedictio quæ non eſt laus, quæ non eſt omen, quæ non eſt præcatio, ſed authoritas, ſed imperium, non eſt actio laica, ſed Eccleſiaſtica, ſed ſacra, ſed Hierarchica, & ipſum benedicendi Ius eſt uerè Hierarchicum, non Sacerdotale inquàm, ſed Epiſcopale: nam in ipſo Epiſcopo conſummatur apex Eccleſiaſticæ Hierarchiæ. Epiſcopus benedicit Reges, non benedicitur à Regibus, benedicit populum, non benedicitur à populo. Habetis altiſſimam illam Pauli Apoſtoli doctrinam, qua Hæbræis oſtendit* CHRISTVM *fuiſſe ſummum Sacerdotem. Neq; enim fortius argumentum habuiſſe viſus eſt, quàm quod in magno illo Sacerdote Melchiſedech, qui illius typus erat; benedixit Abrahæ, & ab eo accepit decimas: ſine contradictione, inquit, quod minus eſt à maiore benedicitur. Abraham Sacerdos erat, quem & Moſes uocat* πρεσβυτερον, *ſi ergò Melchiſedech ei benedixit, fuit illi* αρχιπρεσβυτερος, *atquè ideò*

CHRISTVS *eſt ipſo etiam Aarone maior, ex quo Leui ſumpſit originem, qui & in Abraham decimatus eſt, & benedictus; ut ſi ille eſt ἱερεὺς* CHRISTVS *ſit ἀρχιερεύς. Intelligitis? Hæc res multò altior eſt, quàm ad ius, quod poſitiuum uocant, tota pertineat: pertinet in primis ad ius diuinum, unde omnia iura dependent, & cui omnia iura humana cedunt. Nam & hinc originem habet dignitas Sacerdotum ſuper plebem, & ſuprema Romani Pontificis authoritas ſuper Reges, & Principes. Qui enim ſanctificat, & benedicit, maior eſt eo, qui benedicitur, & ſanctificatur; quanquàm qui ſanctificat, & qui ſanctificatur ex uno ſunt omnes, ex* CHRISTO *inquàm, qui eſt fons ſanctificationis, unde omnis ſanctificatio, & eorum qui ſanctificant, & eorum qui ſanctificantur; Vt propterea nemo mirari debeat, ſi præ cæteris hominibus, Regibus, Cæſaribus, Oratoribus ipſi Sacerdotes inuitantur à tribus illis pueris inter medias flammas, ad benedicendum Domino, tanquàm maiores omnibus hominibus, quibus propterea omnes homines caput aperiunt, & genua inclinant. Sacerdos enim (ut dicebam) cum publicè & ſolenniter benedicit populo, tanquàm Dei miniſter, ut hominibus quaſi Deus; nam non benedicit ſolum, ſed benedicendo etiam benefacit; ob id coniungit ora & manus, apertè ſignificans benedictiones Sacerdotales non eſſe uerba tantum, ſed eſſe munera, eſſe beneficentias, munificentias, magnificentias. Huc quoq; haud dubiè ſpectat, quod D. Paulus collectas ipſas, quæ quotidie fiebant, & munera, quæ à Sacerdotibus per ſuas ipſorum Parochias mittebantur pauperibus, & captiuis* CHRISTI IESV *uocat εὐλογίας Benedictiones, quaſi fructus Benedictionum: Illæ ſunt pluuia, hæc ueluti terræ naſcentia. Profectò uerò non ineptè ipſi uerbo benedicendi, quum unius uocis eſt (nam cum diuiditur in duas, aliud ſignificat, & aliter regit) attribuitur in lingua latina uterq; caſus & dandi, & accuſandi; Dicimus enim benedico tibi, & benedico te, & maledico tibi, & maledico te, Et utrunq; quidem eſt enuntiantis, ſed primum optantis potius, & benè, aut malè ominantis. Ad Sacerdotem porrò, quum refertur, qui pro Deo interdum etiam maledicit, (quod Sacrificium Zelotipiæ indicat apud Moſen) uim quandam profectò maiorem habet, hoc eſt, non tàm ominis, quàm numinis, numinis nimirum aut propitij, aut irati; unde & benedicti, & maledicti, hoc eſt benè fortunati, & malè fortunati euadimus. Vtor hac uoce fortunæ propter uos, apud quos adhuc uigent hæ profanæ Græcorum reliquiæ τύχι ἀγαθῇ καὶ ἀγαθὸν δαιμόνιον; tametſi non ignoro pium eſſe apud uos Chriſtianæ noſtræ Religionis ſenſum; Diuinam gratiam eſſe bonam fortunam ueſtram, & nullam prorſus aliam uobis uideri malam fortunam, quàm indignationem & iram Dei, quæ ſola beatos & florentes mundo homines, miſeros uno momento reddit & infœlices. Nimium enim uerum eſt oraculum illud, Maledicent, & tu benedices, Benedicent, & tu maledices: Propter quod pius, & Sapientiſſimus Rex cecinit ad Dominum, In*

manibus

manibus tuis ſortes meæ. Neque verò ſine magno myſterio meminit manuum; Alluſit enim ad Moſaicam hiſtoriam; quòd quum Ioſeph ad dexteram Patris col locaſſet Manaſſen, Ephraim verò ad ſiniſtram, Prudentiſſimus ille Senex Patriarcharum tertius, hoc ipſo etiam numero uenerabilis,& Deo charus; muta tis de induſtria manibus, ſiniſtram extendit in dextrum, & dexteram in ſiniſtrum, apertè ſignificans figura manuum fœliciore & cumulatiore gratia benedicendum eſſe à Domino Ephraim, quàm Manaſſen, quò & generaliter didicit uniuerſus orbis ſæpè contingere, ut quod altum eſt hominibus, ſit abhominatio apud Deum: nam & abiectus fuit Saul,quo nemo maior erat in Iſrael,& electus Dauid puer, & qui thoracem & galeam ferre uix poterat; Sed & Barſabas cognominabatur iuſtus, & tamen cecidit ſors ſuper Matthiam. Illud porrò ſingulariter adnotandum eſt, quod ea quæ tunc primum inter homines uiſa eſt,commutatis manibus figura Crucis, ea inquàm cœpit eſſe ſignum, & uirtus benedictionis in populo Dei;unde & à Prophetis audimus CHRISTVM Crucifixum tota die dicentem. Expandi manus meas ad populum non credentem,ſed contradicentem mihi. Et profectò ueriſimile eſt Dominum Noſtrum IESVM CHRISTVM, dum ſuper cælos aſcenderet, non ſine Cruce, imò uerò per ſignum Crucis, ſicut Angelum illum filios Iſrael per ſignum Thau conſignaſſe, & benedixiſſe Apoſtolos ſuos. Eleuatis enim manibus benedixit eis, inquit Lucas, & ferebatur in cælum. Et quomodo eleuauit CHRISTVS manus niſi ut eleuabat Moſes in pugna contra Amalech? Ea porrò manuum eleuatio, & extenſio non ne amabile, & uenerabile Crucis ſignum præferre, & figurare uidebatur? quando Aaron,& Hur duo illi primores Iudaicæ gentis hinc inde ſuſtentabant manus illas nimirum apertè extenſas, & in altum ſuſpenſas, ut fideles eſſent, & firmæ conſiſterent, neq; in præiudicium diuini honoris, aut pondere preſſæ, aut laſſitudine defectæ conciderent. Et profectò æquum fuit ut Moſes, tanquàm in interiore homine crucifixus, exterius quoquè præſeferret Crucem, ipſius CHRISTI, Crucifixi; atquè adeò Crucis improperia maiores diuitias arbitrabatur innumerabilibus illis Ægyptiorum Theſauris,cui propterea per ipſam Crucem non potabilis ſolum, ſed dulcis factus eſt tantus ille in deſerto aquarum amator. Quid hic haretis? Quid dubitatis? ne ſuperuacanea ſit benedictio Sacerdotum? quando ab initio benedixit Deus uniuerſo hominum generi,dum creatis maſculo & fœmina ait eis. Creſcite, multiplicamini, replete terram? Et hanc fœcunditatis uim,& in perpetuas generationes propagandæ ſpeciei naturalem poteſtatem, Benedictionem, uel partem Benedictionis uocat Moſes. Veriſſima ſunt hæc omnia Fratres, ſedenim prima hæc rerum benedictio, ad naturæ tantum bonitatem refertur, qua unaquæquè res, & in ſe ipſa & collata ad uniuerſum, & relata ad Deum bona eſt, proprijs diſtincta numeris,proprijs ſignata menſuris, proprijs conſtituta ponderibus; hæc enim eſt ratio bonitatis creatæ. Porrò ſi docente lingua

illa cæli Paulo Apoſtolo, Terra ſuper ſe uenientem ſæpè bibens imbrem, & germinans herbam optimam illis, à quibus colitur, benedictionem accipit à Deo; non ne palàm apparet peculiarem hanc & gratuitam Terræ benedictionem, eſſe aliam à communi illa, de qua in ſua ipſius Geneſi dixit Moſes. Terram accœpiſſe uirtutem ſeminalem, ut germinaret uirtutem herbam, & lignum pomiferum iuxta genus ſuum? Extat & illa γνώμη apud eundem Diuum Paulum, Omnis creatura Dei bona eſt, & nihil reijciendum quod cum gratiarum actione percipitur; Sanctificatur enim per uerbum Dei & orationem. Vnde manifeſtum euadit communem eſcam, qua Iuſti & iniuſti ueſcuntur eſſe quidem bonam, & à Deo ipſa naturali rerum origine benedictam, ſed tamen ampliori adhuc benedictione benedicendam, ſanctificandamquè, ut ſit proprio quodam Dei fauentis auxilio ſalutaris cibus ſeruorum Dei, qui dum orant Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie, non illud petunt, ut habeant quod manducent; nam habere quod manduces, commune eſt iuſtis & peccatoribus, & ſæpè abundantius habent iuſtis peccatores. Vnde illud, Mei penè moti ſunt pedes, penè effuſi ſunt greſſus mei; ſed hoc unum in uotis habent, ut de manu Dei accipiant quod manducant, ut Deo dante ſanctum & benedictum ſit quod accipiunt, ideoquè ſua ipſorum corpuſcula reficiant quò huius uitæ labores ad Dei honorem, & ſuarum animarum ſalutem perferre poſſint: hoc non eſt commune peccatoribus, eſt proprium iuſtis, & id quum iuſti aſſequuntur, tum ſuas ipſorum menſas, & eſcas benedictas putant à Domino; quia nequè corpora ita impinguantur, ut recalcitrent, nequè ita emacientur ut deficiant. Profectò uerò ex ipſo pane (quando nomine panis hebraica lingua omnem hominum eſcam ſignificare ſolet) ipſe quoquè Moſes indicat aliam eſſe benedictionem ciborum præter eam bonitatem, quæ in ipſa eorum natura, & ſubſtantia uiget intrinſecus. Legimus enim in Exodo dixiſſe Deum, Non adorabis Deos alienos, nequè coles eos, ſerujetis Domino Deo ueſtro, ut benedicam panibus ueſtris. Inde forſan in benedictione Aſſer dixit Iacob Aſſer pinguis panis eius; niſi tamen ad myſterium illud Sacroſanctum Dominici panis ſpectabat benedictio illa, ad panem inquàm uiuum, & ſuperſubſtantialem, non tàm Dominicum, quàm Dominum, omne delectamentum in ſe habentem, & ſuauitatem omnis ſaporis; qui eſurientes replet bonis, & faſtidioſos diuites dimittit inanes. Vt omnino perſpicuum ſit, iuxta traditiones patrum noſtrorum, in ipſa Eccleſia Sancta Dei eſſe cibos laicos, & communes, & ipſos quidem bonos, & mundos, huc enim pertingit illud, Non quod intrat in os coinquinat hominem, & illud, Omninò munda mundis; tametſi alia quadam ratione Paulus prohibuit, ne idolothitis ueſcamur. Eſſe & panes à Sacerdotibus benedictos, præſertim pro catechumenis in ſimilitudinem ferè illorum panum, quibus ne Dauid quidem ueſci potuit, niſi teſtatus ſe eſſe mundum à mulieribus. Deniquè uerò habemus panem Sanctum non benedictum quidem, ſed panem benedictionis, panem

conſe-

conſecrationis, panem ſalutis, quo nimirum ipſi dum ueſcimur, benedicimur, ſanctificamur, conſecramur, & ſaluamur. De panibus benedictis præter panes catechumenorum extant priſca teſtimonia, ſed illud unum ſufficiat. Panem unum, quem unanimitatis indicio miſimus charitati tuæ rogamus, ut accipiendo benedicas; Hæc in Epiſtolis Paulini Epiſcopi Holani leguntur. Et omninò manifeſtum eſt ex noſtris Hiſtorijs hanc ipſam fuiſſe ueterem Chriſtianorum diſciplinam, ut ne diſcumberent quidem ad menſam, tantum abeſt ut ederent aut biberent, niſi prius ſanctificatis uerbo & oratione menſa, aqua, ſale, pane, atquè omnibus epulis; & ne ſimiliter conuiuia clauderent, niſi peractis Deo, qui conuiuantes pauiſſet, religioſis gratiarum actionibus. Et quidem Saluator Noſter Dominus IESVS CHRISTVS *nunquàm alicui panem porrexit ſine benedictione, nunquàm comediſſe legitur ſine gratiarum actione, & in ultima illa cœna tantis plena Sacramentis, poſt refectionem hymnum cum Apoſtolis cecinit, & hymno dicto exierunt. Paulatim porrò mos pius inoleuit, ut omnes etiam nouæ fruges, & fructus offerantur Sacerdoti benedicendæ, antequàm à populo deguſtentur; Sed & ipſis quoquè agris antequàm tollantur è ſolo; Quin & ipſi agri, & domus noſtræ, & tota tellus, & omninò omnia, quæ ad nos quomodolibet pertinent uetuſtiſſima conſuetudine à Sacerdotibus temporibus ſuis oportunè nimium ſolenni benedictione benedicuntur, ne ab aereis poteſtatibus, quæ nobis nihil boni non inuident, quæ nobis nihil mali non cupiunt, quæ noſtris damnis ſupraquàm dici poſſit delectantur; quæuis incommoda, aut detrimenta accipiant. Sunt & aliæ benedictiones uetuſtiſſimæ, quæ uniuerſali Sanctæ Eccleſiæ ritu adhibentur fontibus baptiſmalibus, cineribus, ſurculis palmarum, cereolis, idquè ſtatis temporibus, quæ & ipſa ſacra dicuntur. Et quidem per haſce benedictiones & Sanctificationes, aut uis quædam imprimitur rebus, quæ in illis tanquàm lumen in ſtellis fixa permaneat, aut certè dum res benedictæ aſſumuntur in uſum, uirtus diuina extrinſecus illabitur, quaſi repentina quædam coruſcatio cœli, ut per eas mirabilia fiant. Do tibi optionem, quod maius elige, utroq; modo perſpicua eſt uirtus benedictionum ſacerdotalium. Et quidem ſi* CHRISTVS *eſt qui benedicit, quomodo ipſi & res noſtræ non ſunt benedictæ? Benedictionem dabit legiſlator (inquit Pſaltes) ibunt, de uirtute in uirtutem, uidebitur Deus Deorum in Sion.* CHRISTVS *uerè ille eſt Fratres, qui Sacerdote baptizante baptizat, qui Sacerdote abſoluente abſoluit, qui Sacerdote confirmante confirmat, qui Sacerdote conſecrante conſecrat; & ſe ipſum etiam dat in cibum fidelibus. Sic ergò ille ipſe* CHRISTVS *eſt, qui Sacerdote benedicente, & ore ſuo, & manu ſua benedicit, benefacit; ut propterea uerè ipſi benedicti ſimus, & diuinis repleti beneficijs; ſicut iuſtificati, abſoluti, baptizati, confirmati. Ne timete, ubi non eſt timor, plebs Sancta Dei, ne timete inquàm; quia olim dixit Dominus, Maledicam benedictionibus ueſtris: hoc enim Malachiæ oraculum eò ſpectabat, ut intelligerent Iu-*

dæi,

dei, & Sacerdotes præſertim Iudæorum, abolendas eſſe omnes ceremonias ueteris legis, & ſacrificia, & oblationes & benedictiones. Sed Sacerdotium Euangelicum propter magnum illum Sacerdotem ſecundum ordinem Melchiſedech CHRISTVM IESVM, qui in apice Sacerdotij conſtitutus tanquàm ſummus Hierarcha facit & perficit quæcunquè ad munera Sacerdotalia pertinent, tantæ apud Deum eſt authoritatis, & exiſtimationis exauditus (ut inquit Apoſtolus) pro ſua ipſius reuerentia, ut cui ille benedixerit, uerè ſit benedictus, & cui maledixerit, maledictionibus repleatur. Hic hic attollite mentes & animos Fratres: CHRISTVS IESVS ob id factus eſt pro nobis maledictus, vt Deus in illo ipſo nos benediceret in omni benedictione ſpirituali in cæleſtibus. Ecquid dicam? Benedicit Deus, Benedicit CHRISTVS, benedicit & Sacerdos pro CHRISTO, pro Deo. Ecce Abraham fidei pater, & typus Credentium inſigni benedictione olim benedictus à Domino, quum promiſit ei ſemen in mille generationes, quum exultauit, ut uideret diem CHRISTI; ille enim eſt ſemen, in quo benedicendus erat benedictione ſolenni, & publica; benedictus eſt in ſacrificio illo incruento, quod Melchiſedech obtulit, dum ille reuerteretur à cæde Regum. Quanta eſt uirtus benedictionis Sacerdotalis? quanta gratia Sacerdotum? Nam illis Sanctificantibus, & benedicentibus, Deus ipſe per CHRISTVM IESVM aſſiſtit & cumulatiores reddit benedictiones, & Sanctificationes. An uerò non & uobis in mentem uenit, quod & filios Iſrael, quibus ille tàm ſæpè benedixerat, uoluit tamen à profana gentis Sacerdote & Propheta, ab illo inquàm ariolo incircunciſo, cui nomen Balaam; uoluit, inquàm, benedici in ſuis ipſorum territorijs? Inſtabat Balach, nequè maledicas, nequè benedicas; at Deo iubente, munere Sacerdotali perſungens Balaam benedixit. Dicite iam, Dicite omnes, Oſanna benedictus qui venit in nomine Domini, Dicite, repetite, ingeminate, alternate, Benedic anima mea Domino, Benedic anima mea Domino; hoc enim carmine Dauid Rex, & inchoauit, & concluſit pſalmum & numero uenerandum, & ſententijs plenum, & poetica ratione pulcherrimum, planèq́ docuit, quod in omnibus operibus noſtris ab ipſa diuina benedictione ſit auſpicandum, & illis peractis ſit ſimiliter ad diuinam benedictionem, veluti circulo, redeundum; vt benedictio incipiat, benedictio finiat, & inter principium & finem ſemper benedictio regnet. Quàm dignum notatione eſt, Fratres mei, & quàm habendum ſemper in directione cordis, hoc eſt in directo oculorum noſtrorum, quod ne diabolo quidem auſus eſt maledicere Michael Archangelus, aut in eum inferre blaſphemiam, quum alioquin ſit omni execratione, & maledictione digniſſimus; Sed quum de corpore Miſi altercaretur, hoc vnum verbum dixit, Increpet Dominus in te Sathan: Exemplum enim dedit, vt Chriſtiani homines deſueſcant maledicere, aſſueſcant benedicere. Et vèrò ipſe quoq́ diabolus, quum in conſpectu Dei ſtaret, & interrogaretur de ſeruo ſuo

Iob,

Iob, à uerbo maledictionis abſtinuit, & pro maledictione, benedictionem uaſer, & callidus ironicôs uſurpauit. Extende, inquit, paululum manum tuam, & tange cuncta, quæ poſſidet, niſi in faciem benedixerit tibi. Inter uos autem (Deum immortalem) quàm multi ſunt, tàm proni, & faciles ad maledicendum, ad execrandum, ad blaſphemandum, ut ne ipſi quidem diuino numini pareant, neq́ illis, qui Deo Maximo coniuncti ſunt, qui uirtute, qui gloria, qui honoribus antecellunt, qui poteſtate præſident, qui dominio, & authoritate funguntur ſuper cæteros. Itaq́ omnibus tandem Chriſtianis dictum eſt, Benedicite & nolite maledicere; nam & Diuus Paulus teſtabatur, Maledicimur, & Benedicimus, nimirum imitator CHRISTI, *qui dum malediceretur, ne comminabatur quidem.*

SED *agè, iàm de Benedictionum Sacerdotalium publico eoq́ ſolenni miniſterio accuratè loquamur. Equidem ex ui, uel uirtute ipſius ordinis Sacerdotalis, qui ut reſpiciat corpus* CHRISTI *myſticum, primum & ante omnia reſpicit corpus uerum in ſacrificio illo, cuius typus fuit Melchiſedech, poteſt quiſq́ Sacerdos eſſe capax miniſterij huius poteſtatis, ut publicè, & ſolenniter benedicat, aut etiam maledicat: ſed quemadmodum non omnibus Sacerdotibus (præter Parochos, qui & ipſi Paſtores ſunt) permittitur, ut ligent & ſoluant, imò neq́ vt audiant confeſſiones pœnitentium; ſic neq́ paſſim & indiſtinctè committit Hierarcha, ut omnes & ſinguli Sacerdotes (illis exceptis, qui curam habent animarum) ſolenniter & publicè benedicant, aut maledicant populo Dei. Poteſtas enim hæc (ut præfati ſumus) eſt uerè Hierarchica, non minus quàm poteſtas excommunicandi, interdicendi, abſoluendiq́ ab excommunicatione, & interdicto. Nemo, quum ſic diſtinctè loquimur, putet propterea duas eſſe poteſtates, & duas præeminentias benedicendi, & maledicendi; nam & ligandi, & ſoluendi, ſimiliter una eſt poteſtas ſola, ut propterea qui maledicere non poteſt, ne benedicere quidem poſſit; & qui iure benedicere poteſt, iure poſſit & maledicere. Conſtat autem profectò, quod in domo ſolus paterfamiliâs authoritate & poteſtate patria, qua inter homines nulla venerabilior, nulla temperatior; filijs ſuis interdum benedicit, interdum maledicit; Quam poteſtatem proptereà veritus Iacob, dilectus Domini, quum ignoraret oraculum illud, Maior ſeruiet minori; dixit ad Robeccam matrem, Timeo ne pater putet me uoluiſſe illi illudere, & inducat ſuper me maledictionem pro benedictione. Itaq́ quoniam id quod eſt paterfamiliâs in domo, id eſt Hierarcha in Eccleſia; Hierarcha ſolus benedicit, & maledicit iure ſuo, quod quidem ius, tanquàm ad fontem & originem reducitur, ad ordinem Sacerdotij* CHRISTI IESV, *qui caput & apex diuini Sacerdotij, uerus ipſe Melchiſedech, nos (ut ſupra dicebam) natura maledictos, oblatione myſtici panis, & uini, hoc eſt corporis & ſanguinis ſui; benedixit, ſanctificauit, & qui primum eramus filij Adæ, filij diffiden-*

tiæ,

tiæ, atq̄ adeò iræ Dei, ſecit filios Abrahæ, credentes, fideles, & deniq̄ dignos, qui ſecundum ſpem hæredes ſimus æternarum promiſsionum. Ob id decimas quoq̄ ab ipſo Abraham ſummus ille Sacerdos accœpit; nam & hoc ipſum ius accipiendi decimas ſpiritale eſt, non ad meritum quidem, vel ad ſanctitatem; ſed ad ipſum Sacratiſsimum ordinem Hierarchicum ſpectans. Hierarcha ſiquidem iure ordinis decimas accipit, tanquàm miniſter Dei, & benedictionem impendit, tanquàm ex Deo. Porrò quàmuis & actio, & poteſtas vtrunq̄ inquàm ſit ipſius Hierarchæ munus; tamen non eadem eſt ratio in utroq̄: ſanè ipſa actio ſimplici Sacerdoti committi poteſt, at uerò poteſtas, & ius committi non poteſt. Datur enim non per commiſsionem, ſed per conſecrationem, eamq̄ ſimiliter Hierarchicam, ut qui à Hierarcha in Hierarcham conſecratus non eſt, benedicere quidem per commiſsionem interdum, at ius benedicendi nunquàm habere valeat. Et actio quidem, quæ commiſsionis uirtute exercetur, temporalis eſt, at poteſtas, quæ per conſecrationem datur, eſt æterna. Unde in ſempiternum Hierarcha, tanquàm Sacerdotium habens perpetuum, qui etiam alios Sacerdotes facit, & ſpiritali generatione Sacerdotum CHRISTI *propagat, in ſempiternum inquàm iure ſuo benedicere, & maledicere poteſt, ſicut & conſecrare templa, altaria, ueſtes, uaſa, ungere Reges, & dedicare Virgines, & Sanctimoniales ſuo ipſarum ſponſo* CHRISTO IESV. *Omnes enim & ſingulæ hæ actiones Hierarchicæ ſunt, & à poteſtate Hierarchica exeunt, quemadmodum prædicare, iudicare, interpretari, confirmare, ordinare Clericos, & uiſitare populos, in quibus, niſi prohibeatur, quid non poteſt Epiſcopus? Ille igitur tandem ſolus (ut concludam) poteſtatem habet ſacrandi, ſanctificandi, benedicendi, omnia ſacranda, omnia ſanctificanda, omnia benedicenda. Quanto iure? quanta ratione dicit, in Presbyterio non inſletur Frater aduerſus Fratrem, ut non inſurgant filij aduerſus patrem. Hinc & de iure, & de more ne in ipſa quidem Miſſa, cuius officium claudit benedictio celebrantis, præſente Epiſcopo, Sacerdos, niſi poteſtatem illi faciat Epiſcopus, populo non benedicit; quin & in illo ipſo benedictionis actu extendit quidem manum ſuper populum, ſed oculo, & manu pertranſit Epiſcopum, ne uideatur illi benedicere, à quo ipſe benedictionem expectare debet: nam ſine contradictione (ut repetam Apoſtolicam ſententiam, quæ cunctis* CHRISTI *fidelibus, axiomatis loco eſſe debet, iure diuino, & humano) minor non benedicit maiorem, neq̄ in præſentia maioris; niſi maior præceperit.*

SEQVVNTVR CANONES.

QVONIAM IGITVR QVEMADMODVM EX DIGNITATE *eius, qui benedicitur, innoteſcit quantus ſit ille, qui benedicit; iuxta illud Apoſtolicum. Intuemini quantus ſit Melchiſedech, cui & decimas de ſpolijs dedit Abraham Patriarcha; ſic ex dignitate quoq; illius qui benedicit, manifeſtum eſt illuſtrari illos, & honorari, qui benedicuntur, & ſacrificantur: nam ad Samaritanorum gloriam facit, quòd vniuerſa Eccleſia miſerit ad eos Petrum & Ioannem, quorum miniſterio per impoſitionem manuum acceperunt Spiritum Sanctum. Idcircò ne tantæ huic Ciuitati noſtræ indecorum eſſe videatur, & indignum, ſi abſente Epiſcopo, cuius manibus benedici glorioſum putat, non ab eo ſaltem, qui quò ad ſpiritualia adminiſtranda ipſo iure maximus ſit, benedicatur, ſtatuimus, præcipimus, iubemus, vt nullus ſiue Præsbyter, ſiue Canonicus, ſiue etiam Dignitas ſolenniter & publicè huiuſmodi benedictiones facere præſumat, ſine licentia ipſius Archipræsbyteri.*

E T *quidem ſicut, quò ad poteſtatem Iuriſdictionis proximè & ſecundum Epiſcopum ſemper, & ubiquè primas habuerunt Archidiaconi; ſic quò ad poteſtatem ordinis, omnia iura clamant, eam in Archipræsbyteris uigere, & relucere: Idcircò dignum & iuſtum eſt, ut abſente Epiſcopo, nullus qui officio, & dignitate ſit Archipræsbytero minor, publicas, & ſolennes impendat benedictiones, niſi legitimè abſquè dolo, & fallacijs oſtendat ſibi ab Epiſcopo commiſſum eſſe, ut huiuſmodi benedicendi munus excerceat.*

NVLLVM *in re tanta locum habet permiſſio, quæ omninò non eſt niſi malorum, nullum diſſimulatio, aut conniuentia ſiue Epiſcopi, ſiue Archipræsbyteri, quæ in nulla re ius aliquod dare poteſt, nullum item inueterata conſuetudo, quæ cum ſit expræſſè contra ius, abuſio poteſtatis, & corruptela potius, dicenda eſt; ſola ſpecialis commiſſio operari poteſt, ut poſtquàm iura tribuunt uni Archipræsbytero munus benedicendi, alius quiſpiam benedicere populo publicè & ſoleniter poſſit.*

NON *poteſt Epiſcopus committere ſimplici Sacerdoti munus benedicendi, niſi ad tempus, longiſſimum porrò tempus eſt, quòad ipſe Epiſcopus uiuit; nam ut mulier Viro, ſic Eccleſia alligata eſt Epiſcopo, quàm diu uiuit. Et ut mortuo viro, ſoluta eſt mulier à lege viri; ſic mortuo Epiſcopo ſoluta eſt Eccleſia à lege illius Epiſcopi, præſertim ſi ſit contra, uel præter ius. Itaquè omninò poſt mortem Epiſcopi, uel redeundum eſt ad iura, quæ Archipræsbyterum honorant hoc munere, uel à ſucceſſore Epiſcopi, erit presbytero illi qui benedicere prætendit,*

dit, impetranda noua commiſſio; aliòquin quicunquè ille ſit, mittit falcem in meſſem alienam, atquè ideò & diuino & humano iure reus erit.

Et uox quidem Præsbyterij quum gradum, & ordinem non quùm annorum ſenectutem ſignificet, nota eſt ſpiritualis dignitatis in ijs, quæ ad Deum ſunt. Eſt enim Præsbyter, iuxta etymon latinæ linguæ, præbens populo iter; unde in actis Apoſtolicus D. Paulus quos primum præsbyteros appellat, honorat deinde nomine Epiſcoporum. Et ex ipſo etiam nomine conſtat Archipræsbyterum, eſſe caput præsbyterij. Itaquè ad illum ſpectat (niſi aliter iubeat Epiſcopus) ea omnia facere, quibus maximè in conſpectu populi ab ipſo Deo honoratur præsbyterium. Inter hac autem quis dubitet magnum locum habere ſolennes Benedictiones, ſuper fontes, ſuper agros, ſuper cineres, ſuper cereos, ſuper fructus, maximè uerò ſuper ipſum populum?

Vt proptereà non poteſtas quidem, ſed actio benedicendi, omnia benedicenda tribuenda ſit ante omnes ipſi Archipræsbytero, ut in ijs, quæ ad Deum ſunt pro Hierarcha ſit Archipræsbyter, quaſi manus Dei. Unde & in ipſa Eccleſia Cathedrali eſt ipſo iure Parochus pro ipſo Epiſcopo, ſicut quò ad temporalia quæquè Archidiaconus eſt oculus; unde & in more eſt, ut dicatur Vicarius iuris ipſius Epiſcopi. Nam & ipſe Theſaurarius eſt quaſi archa Epiſcopi, & Eccleſiæ; illius enim eſt cuſtodire omnia uaſa pro Eccleſia, & pro Epiſcopo, unde & Græcis appoſitè dicitur σκευοφυλαξ.

Sic Scriptura Sacra non peruertitur, ſic iura Canonica non uiolantur, ſic munera non confunduntur, ſic rationi non contradicitur, ſic mala conſuetudo tollitur, ſic Eccleſia non decoloratur, ſic uiget ordo, ſic regnat ratio, ſic confirmatur Religio, ſic locum habet Æquitas, Iuſtitia, Sanctitas, & Rituum, Ceremoniarum, Sacrorum dignitas, maieſtas.

SERMO

SERMO SYNODALIS, DE LITANIIS, ET PROCESSIONIBVS.

AQVA FRIGIDA ANIMAE SITIENTI, *nuntius bonus de Terra longinqua. Hæc dies boni nuntij eſt Dilectiſsimi in* CHRISTO *Fratres: ſi tacuerimus uſquè manè, ſceleris arguemur ingrati; nota eſt enim uox illa* CHRISTI IESV *in ingratos. Decem mundati ſunt, nouem ubi ſunt? non eſt inuentus niſi hic alienigena, qui rediret & daret gloriam Deo. Itaquè quæ nos hodie plus ſolito diligentes faciunt, & ſummo mane ſollicitos tenent Litaniæ, & Proceſsiones ipſius noſtræ religionis chriſtianæ, ſunt Sacra ſolennia, quæ maiorum noſtrorum ſcientia authoritaſquè indixit; in quibus ipſi eorum veſtigia ſequentes, congregati omnes tanquam Vir vnus, & gratias agere cupimus Deo per* CHRISTVM IESVM, *& cum ingenti hac pompa itineris, ambulantes bini, & bini, in ſignum vnitatis Spiritus, & geminæ charitatis, fide frati, ſimul pro ſociali Chriſtianorum Principum fœdere, de quo magnam hactenus ſpem concœpiſſe uidetur Chriſtianus Orbis, ad diuinæ miſericordiæ tronum confugimus; in quæſtus, & lachrymas ruimus, pacem expoſcimus, preces effundimus, deſyderia deſyderiis nectimus, uota ſuſcipimus pariter, & ſoluimus. Det nobis Deus, per* CHRISTVM IESVM, *vt quemadmodum ex animo ſacrificamus, ſic & aliquandò litemus. Sanè uobis linguæ græcè, & latinæ ſtudioſis notus eſt locus ille Liuij (nequè enim puto hoc loco dicetis quod redoleat ſuam Patauinitatem). Per dies aliquot hoſtiæ maiores ſine litatione cæſæ, diuquè non impetrata pax Deum; Sacrificare ergò eſt ueniam & propitiationem petere; at litare, unde litania deducitur uerbale nomen, eſt quaſi luitare, ſoluere, ſatisfacere, impetrare, iuxta Virgilij carmen.*

Tu modò

Tu modò poſce Deos ueniam, ſacriſquè litatis
Indulge hoſpitio.

QVOD autem ad proceſsionis uocem & ordinem ſpectat, hoc eſt. In utraquè Theologia, & quæ contemplatur, & quæ agit, ſolenne eſt nomen Proceſsionum. Contemplatiua enim in ſuo ipſius apice unitam, & diſtinctam diuinarum perſonarum Trinitatem loquens duas illas Filij à Patre, & Spiritus Sancti ab utroquè ſimul origines Proceſsiones appellat græcè προόδους Iuxta illud. Ego à Patre proceſsi & ueni, & illud. Spiritus qui à Patre procedit. Et quidem ſicut ſcriptum eſt Generationem uerbi quis enarrabit? Sic etſi non eſt ſcriptum, eſt tamen uerum Proceſsionem Spiritus Sancti, quæ ut diſtincta à generatione filij Proceſsionis nomen ſibi reliquum, fecit tàm ſublimem, & ſecretam eſſe, ut à nullo mortalium poſsit enarrari, ſed ne intelligi quidem. Theologia porrò Actiua nihil habet, uel amabilius, uel terribilius, quàm duas illas proceſsiones, quæ tantoperè à Dei amantibus expectantur; & formidantur à præuaricatoribus, de quibus in Euangelio legimus, Procedent qui bona egerunt in reſurrectionem uitæ, qui uerò mala in reſurrectionem Iudicij. Quæſò uos dum ipſi Proceſsiones loquimur mentes ueſtras non ſubeat cogitatio tàm ſublimium Proceſsionum. Sanè primas illas æternas, & ipſi Deo æquæuas religioſo ſilentio ueneramur: nouiſsimas quæ celebrabuntur ante Tribunal Dei pijs ad dexteram, impijs ad ſiniſtram procedentibus, inſinuaſſe ſat fuerit. Utinam uerò ipſi in cornu uel acie dextera procedentes ab auditione mala non timeamus, ab illa inquàm auditione, dum Iudex iratus loquetur inimicis ſuis in porta, hoc eſt palàm ſpectantibus, & audientibus cælo, & terra, Angeliſquè, & hominibus, & dicet, Ite maledicti. Proceſsiones ergò de quibus agimus ad ea quæ ſacra dicuntur, ſpectant, inſtitutaquè ſunt ad ipſius Dei honorificentiam uelut pompa, & apparatus quidam exterior Religionis, quo, tanquàm Symbolo edocti ad interioris hominis profectum mirabiliter inuitamur, ut procedentes de uirute in uirtutem uideamus tandem Deum in Sion, hoc eſt in cæleſti illa Hieruſalem, quæ eſt mater noſtra, & occurramus tanquàm uirgines prudentes ſponſo noſtro CHRISTO IESV, & illius cupitis amplexibus perfruamur. Inter ſacra Fratres, poſt dedicationem, & reconciliationem templi, ſanè illa Baptiſmati, hæc Pœnitentiæ reſpondet in CHRISTI fidelibus, qui templa uiua ſunt CHRISTI IESV. Primum omninò locum tenent Proceſsiones, nam uix dedicato, & reconciliato templo, Proceſsiones fieri ſolent, quæ & de templis exeunt, & ad templa reuertuntur; Omninò uerò ſine Proceſsionibus neque dedicantur, neque reconciliantur templa. Diuinum Officium in quo Dei laudes reſonant, ſecundum locum tenet. Accedit exterior ornatus Sacerdotum Deum laudantium, quem conſequitur templorum apparatus; tum ſonitus campanæ, quo inuitantur CHRISTI fideles, ut ad templa conueniant: Aqua

benedicta

benedictæ aſperſio, ritus eſt communis, dum templum ingrediuntur fideles. Porrò ultimum, ad quod hæc omnia reſeruntur, eſt ipſa celebratio Miſſæ, celebratio inquàm exterior: Nam Miſſa, ſi id quod intus eſt ſpectemus, non numeratur inter Sacra, ſed eſt Sacramentum Sacramentorum, & Sacrificium Sacrificiorum omnium maximum, ipſiquè æterno Deo quàm acceptiſſimum, nempè IESVS CHRISTVS *Dei & hominis filius. Sanè Sacra propriè pertinent ſolum ad colendum Deum exterius, Sacrificium eſt ad placandam iram Dei, Sacramentum autem ad Sacrificandum interius hominem. Ob id ergò in Proceſſionibus omnis ordinis Sacerdotes & Clerici intus & foris Illuſtres Sacris ueſtibus, quiſquè ſuo loco & gradu magnificè procedunt, uelut ſponſi de ſuis ipſorum thalamis exeuntes cum hymnis, & canticis, non ad tribunal quidem iuſtitiæ, ſed ad thronum miſericordiæ Dei, uel laudibus acturi de receptis beneficijs gratias, uel omninò præcibus & ſupplicationibus noua beneficia impetraturi, imò uerò utrunquè acturi per* IESVM CHRISTVM *Dominum noſtrum: nam uix eſt oratio aliqua in Eccleſia, quæ non incipiat à gratiarum actione, & commemoratione ueterum beneficiorum Dei, & ſimiliter omnis gratiarum actio deſinere conſueuit in orationem & ſupplicationem; Illud ſanè proteſtatio eſt humilitatis; hoc confidentiæ; Tandem igitur quod foris apparet in hoc proceſſionum uelut ſpectaculo imago eſt, quod intus latet eſt res & ueritas, atquè ideò ut uidetis ſemper Proceſſiones ipſa Miſſæ celebratione clauduntur & perficiuntur: nam ut Sacrorum omnium maximum Miſſa eſt, ſic finis deſyderiorum eſt ipſius Miſſæ ſubſtantia, ipſa Sacrorum uirtus, Sacrificiorumquè omnium ſumma* CHRISTVS IESVS; *ad quem etiam propterea antequàm aliquem Sanctorum, uel Sanctarum orando aggrediamur, de more præces fundimus: Nam dum paramus nos ad procedendum in ſignum fidei noſtræ, & ut in omnibus demus gloriam Deo, ante omnia per nos ipſos oramus* IESVM CHRISTVM, *Imò uerò totam Sanctam Trinitatem, Patrem, Filiumquè, & Spiritum Sanctum; Tum uelut conſcij infirmitatis noſtræ percutientes quidem primum pectora noſtra, & recognoſcentes peccatum noſtrum, quod tanquàm nubes prohibet, ne orationes noſtræ penetrare poſſint ad cælos, admirabilis Eccleſiæ Sanctæ magiſterio edocti, quæ nunquàm non meminit oraculi illius. Ite ad ſeruum meum Iob, Offerte holocauſtum, ipſe orabit pro uobis; commendamus nos orationibus Sanctorum, quos Deo benedicto charos eſſe confidimus. Quid? Audentiores facti tantis exemplis, quæ de uirtute, & efficacia orationum ſeruorum Dei pro peccatoribus in utroquè teſtamento leguntur præſertim uerò de Socru Symonis, quam in peccatricis animæ Smybolum, magnis æſtuantem febribus ad Apoſtolorum præces liberauit Saluator ingenti miraculo; in ipſum Deum totam illam magnam, & penè innumerabilem Sanctorum turbam, oportunè importunequè concitamus, orantes omnes Sanctorum ordines, ut ſinguli pro nobis orent, omnes porrò quaſi agminie fa-*

cto pro nobis intercedant, hoc eſt opponant ſe ſe, quaſi muros inter nos & Deum, quò ab ira Dei ſuis ipſorum meritis ſalui eſſe poſsimus. Denique autem diſcurſione facta ad omnes Sanctos & Sanctas qui innituntur ſcalæ pro nobis ad ipſum CHRISTVM *ſedentem in throno, ad Deum inquàm & ad Agnum; nam utriuſquè eſt una ſedes, cum deuotione & lachrymis recurrimus orantes, uouentes ſupplicantes, uelut expiati, atquè ideò non præſumentes quidem, ſed tamen impetrare ſperantes, ut qui ſcimus quoniam aduocatus noſter eſt, quoniam patronus noſter eſt, quoniam pater noſter eſt, & tanquàm aduocatus promittit ueniam, tanquàm patronus gratiam, tanquam pater & gloriam; nequè uerò fallit quum promittit, quia ueritas eſt, nequè non poteſt dare quod promiſit, quia uirtus eſt, nequè demum non uult, qui pro nobis mori uoluit. Hæc ſatis ſint Fratres, quia longum nobis eſt faciedum iter. Placuit autem hoc ipſo initio & erudire populum, & excitare doctiores, ut iucundè cogitent quicquid in hoc apparatu exterius agitur quò ad uirtutes eſſe debere in nobis, dum hic uiuimus, quò ad gloriam autem futuram eſſe in æterna uita, quæ nobis ſperanda promittitur, dum præcedente uitali ſigno uexilli Crucis introducemur in cœleſtem illam domum non manu factam, non ſolum ſine macula, & ſine ruga; ſed decorati omnibus gratijs, atquè ſplendoribus diuinorum luminum, quæ & auri, & argenti, & ueſtium, & gemmarum, & omnium ornamentorum miris uarietatibus, quibus tota Proceſsio lucet, appoſitiſsimè ſignificantur. Quæ de more ſtatis temporibus celebrantur Proceſsiones, & diebus Dominicis, & in Paſchate, & in die Palmarum, & in Aſcenſione, & in die Purificationis beatæ Virginis, quæ tres ultimæ principales ſunt omnium verbis & factis, piè recolunt, imò uerò repræſentant ſalutis noſtræ ueneranda, quæ & in hiſtoria peracta ſunt, & per allegoriam ſunt peragenda myſteria. Sedenim ſicut neceſsitas ſe ſe offert Epiſcopus populorum Pater & Tutor, pro rerum, locorumq́, & temporum conditione nouas & uarias Proceſsiones, rogationes, & ſupplicationes indicit cum cereis cum vexillis, cum crucibus, per templa, per clauſtra, per vicos, per urbes, per ſata, per agros. In quibus propterea, & omnibus & ſingulis optamus nihil eſſe præproperum, nihil præpoſterum, nihil indecorum: deſyderamus corda humilia, ſancta deſyderia, pias preces, animos contritos, ceremonias deuotas, cantus ſolennes; ſed cauſæ & tempori reſpondentes, idquè vt ædificemus Sanctam plebem Dei, & in primis, ut placeamus Deo, ſiue laudantes, ſiue orantes Deum.*

SEQVVN-

SEQVVNTVR CANONES.

TINTINNABVLA ERGO' IN PRIMIS, ET SQVILLAE *omnes, non ſolum Eccleſiæ noſtra, ſed omnium Eccleſiarum, etiam regularium, perpetuò ſonent & perſonent, donec ad Eccleſiam noſtram Proceſſio tota reuertatur: non ob id ſolum ut ad deuotionem excitetur plebs Sancta Dei, ſed ut myſtici illi Philiſtei, ſpiritus inquàm apoſtatici, dum ſentiunt diuinis laudibus reboare cælum & terram, ueluti territi à facie filiorum Iſrael, non ſecundum carnem, ſed ſecundum ſpiritum pauidi, & pallidi fugiant clamantes, & gementes, veh nobis, veh nobis, Non fuit tanta exultatio heri, & nudius tertius.*

PRAEFICIAT *Vicarius tres Prasbyteros, qui inter ſe ſe diuidant totum corpus Proceſſionis, ſicquè omnia, quæ ad illam ſpectant luſtrent ſæpiſſimè, currant, uolent, uerbuquè & factis agant, quòad poſſunt, ut res tanta, in qua maximè ſpectatur pompa Religionis, & uniuerſi Cleri, ea qua decet pietate ac diligentia ad cultum Dei, & ſpiritualem conſolationem plebis Sanctæ, peragatur à principio uſquè ad finem.*

CVRA *ſit Præfecti ſacrorum, & ſimul Magiſtrorum Chori, vt Clerici grandiores, Subdiaconiq́, Diaconi, Præsbyteri, Canoniciq́, & Dignitates bini, & bini ſuo ordine, & quàmmodeſtiſſimè exeant è choro, & eum ſimiliter ordinem atq́ modeſtiam ſeruent in Proceſſionibus & ſtationibus, nulla habita ratione lateris dextri, vel ſiniſtri in choro, ſed præcedentibus ſemper iunioribus, & ſequentibus ijs, qui promotione ſunt anteriores. Videatur tamen inter omnia procedentium paria maior à dextris, & minor à ſiniſtris.*

OMNIA *Caſtra diuini huius exercitus præeant duo Clerici induti dalmaticis, vnus Diaconus, & alter Subdiaconus; hic ferat uas magnum plenum aquæ ſanctæ; ille habeat in manibus faſciculum Hyſôpi, accipiensq́ inde aquam manu dextera aſpergat in modum Crucis hinc, & inde, atq́ etiam per medium omnes uias, & domos, unde tranſitura eſt tota acies bellatorum Dei, ipſosq́ etiam quos obuiauerint, ſiue uiros, ſiue mulieres. Nimirum ad effugandam undiq́ omnem poteſtatem inimici, ad comprimendos ſpiritus peſtilentes, ad auram ſacrandam, ad uincendas omnes inſidias, & terrores; deniq́ ad expiandas etiam à minutis culpis fidelium animas.*

HOC *ipſum Clericorum par ſequatur ſtatim in ſignum militiæ Domini Vexillum Crucis; neq́ verò ſine lumine; ſed uel à latere comitantibus, uel præcedentibus quatuor acolythis, qui ueſtiti ſuperpelliceis quatuor cereos ſeu (ut aiunt) intortitia ad gloriam vexilli noſtri perpetuò accenſa ferant; Illeq́ qui dignus ha-*

bitus eſt, ut ſit vexillifer Crucis, habeat ſimiliter ueſtem talarem, & ſuperpelliceum, ſeruetq́; in omnibus decorum tanti Vexilliferi.

CLERICOS *puerulos, qui in magno ſunt numero, poſtquàm primi ſunt poſt Crucem, & totum corpus proceſſionis, tanquàm in bello tyrones, antecedunt, comitetur ſtatim magiſter, qui eos in officio contineat uirga, & diſciplina, ut bini ſemper incedant, ut ordinem ſeruent, ne in uia inaniter ſubſiſtant, ne petulantibus uerbis, aut factis cuipiam moleſti ſint; ſcriptum eſt enim, Stultitia colligata eſt in corde pueri, ſed diſciplina fugabit illam.*

DIGNITATES *& Canonici præter ſuperpellicea, cum ſuis almutijs, Parochiq́; cum ſuis Caputijs, quiſq́; pro gradu quem in Eccleſia noſtra habet, per totam proceſſionem ornati ſint, dignosq́; ſe ſe exhibeant & procedendo, & ſtando talibus, ac tantis ornamentis.*

SI *fieri poteſt, vbi ſolenne ſacrum celebrandum erit, illic & breuis concio habeatur, quæ cauſam proceſſionis explicet, uiuaciſſimèq́; ponat ante oculos plebis communem neceſſitatem hominum, & diuinæ bonitatis, ac beneficentiæ exhuberantiam: hæ enim ſunt duæ rationes, quibus maximè urgemur ad orandum, & ſupplicandum Deo benedicto, indigentia inquàm noſtra, & liberalitas ſua.*

RELIQVA *fiant ſecundum ritum, qui deſcriptus eſt in libro Sacerdotali.*

ILLI *porrò Sacerdotes, Leuitæ, Clericiq́; omnes, quos hora ipſius proceſſionis in templo noſtro, celebrare, & miniſtrare contigerit reuertenti proceſſioni obuiare teneantur ſaltem in platea, alioquin ipſi quoq́; cum cæteris omnibus, qui proceſſioni non interfuerint, nullum omnino punctum diſtributionum ferant, etiam ſi præſentes fuerint omnibus horis Canonicis, atque etiam Miſſæ maiori illius diei.*

IN *nulla unquàm proceſſione ſiue læta, ſiue lugubri quantumuis ſolenni & pompoſa deferre liceat, niſi ſemel Sacratiſſimum Corpus Domini noſtri* IESV CHRISTI; *hoc eſt Feria illa quinta, poſt Sanctiſſimæ Trinitatis feſtum, qua vbiq́; terrarum Eccleſia Sancta Dei ad* CHRISTI *fidelium conſolationem diuinam Euchariſtiam circunferre honorificentiſſimè ſolet.*

EA *autem die, ut cum omni pietate, ſic cum omni pompa, lætitiaq́; & gaudio Proceſſio celebretur, quæ pijs iniciat amoris, & deuotionis aculeos, impijs autem ſit incendium perpetuum confuſionis & doloris.*

PORRO *Epiſcopo abſente, Archidiaconus, & Archipræsbyter proprijs manibus, Ille eundo, Hic redeundo circumferat Sanctiſſimum Sacramentum Domini Noſtri* IESV CHRISTI. *Itionis terminus ſit templum Beatiſſimæ Virginis ad D. Hyeronimum; Reditionis, Benedictio populi in cathedrali Eccleſia.*

BENEDICTIONEM *de more impendat Archipræsbyter, cuius eſt in re ſuo.*

IN

IN PROCESSIONIBVS, QVÆ PRO SOCIALI *fœdere Summorum Principum indictæ celebrataq; ſunt,poſt communes Letanias,quæ ſcriptæ ſunt in libro Rituali: Sic orabat Epiſcopus, & Clerus Bitontinus in veſtibus ſacris.*

PRIMA DIE IN ECCLESIA CATHEDRALI.

Date magnificentiam Deo noſtro.
Reſp. Dei enim perfecta ſunt opera.
Verſ. Hæc dies, quam fecit Dominus.
Reſp. Exultemus & lætemur in ea.
Verſ. Congregati ſunt Principes noſtri, tanquàm Vir unus.
Reſp. Vt prælientur prælia Domini,aduerſus inimicos Crucis.
Verſ. Benedicamus Domino.
Reſp. Deo gratias.
Verſ. Fides coniunxit fœdus.
Reſp. Adaugeat fœdus fidem.
Verſ. Illi in curribus & in equis.
Reſp. Nos autem in nomine Dei noſtri inuocabimus.
Verſ. Paueant omnes habitantes terram à Solis ortu ad occaſum.
Reſp. Quia magnus Deus noſter ſuper omnes Deos.
Verſ. Non nobis Domine, non nobis.
Reſp. Sed nomini tuo da gloriam.
Verſ. Domine exaudi orationem meam.
Reſp. Et clamor meus ad te ueniat.
Verſ. Dominus vobiſcum.
Reſp. Et cum ſpiritu tuo. Oremus.

DEVS *mundi rector, & conditor, cuius æquiſſima diſpenſatione, per alternas belli, & pacis uices, totius ſæculorum ordo ad finem ſuum, lentè feſtinat; cuius Imperio, & nutu mutantur tempora, alterantur elementa; transferuntur Regna,cuius paterna pietate, & clementia adminiſtrantur res hominum, & populorum, & Regum, quorum corda, & animi in manu tua ſunt,ut uaſa in manu figuli; Domine Deus, orationem hanc noſtram, cum gratiarum actione, ſuſcipe quæſumus, & præſta; ut per Sanctam iſtam, ſemper deſideratam, diu quæſitam, nunc demum incredibili tua benignitatis*

 munere

munere inter ſummos Chriſtiani orbis Principes, ſociali fœdere iunctam amicitiam, pro qua tibi, & nos, & filij, & nepotes noſtri gratias agimus, uota ſoluimus, dona libamus, per omnes regiones Orientis, ubi unigenitus Filius tuus Dominus noſter IESVS CHRISTVS, *pro humani generis ſalute, tot & tanta dixit, fecit, ſuſtinuit, & per omnem Occidentem, ubi ipſi quotidie præ dolore occidimus, & extinguimur; audiamus, & uideamus Sanctificari nomen tuum, propagari gloriam tuam, & augeri numerum fidelium Electorum tuorum. Per Eundem* CHRISTVM *Dominum Noſtrum. Amen.*

SECVNDA DIE IN ECCLESIA SANCTÆ MARIAE DE VIRGINIBVS.

APpropinquet oratio mea in conſpectu tuo Domine.

Reſp. Ne pereat hic populus tuus magnus, quem redemiſti.

Verſ. Ne reſpicias peccata mea.

Reſp. Sed fidem Eccleſiæ Sanctæ tuæ.

Verſ. Vſque quò Domine obliuiſceris nos, & auertis faciem tuam à nobis?

Reſp. Tempus miſerendi Domine, quia uenit tempus.

Verſ. Non in iuſtificationibus noſtris proſternimus ante faciem tuam præces noſtras.

Reſp. Sed in miſerationibus tuis multis, & magnis.

Verſ. Peccauimus, iniuſtè egimus, iniquitatem fecimus.

Reſp. Propter temetipſum, parce confitentibus; quia pius es.

Verſ. Protector noſter aſpice Deus.

Reſp. Et reſpice in faciem CHRISTI tui.

Verſ. Domine exaudi orationem meam.

Reſp. Et clamor meus ad te ueniat.

Verſ. Dominus uobiſcum.

Reſp. Et cum ſpiritu tuo. Oremus.

PATER miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, qui ex te ipſo ſemper habes unde parcas, ex nobis interdum accipis ut punias; pietatem tuam rogamus, obſecramus, noli ſic attendere peccata noſtra, ut obliuiſcaris miſerationes tuas. Sint aures tuæ ad præces, quas effundimus, ſint oculi tui ad calamitates, quas patimur: Peccauimus ſuper nume-

rum

rum arenæ maris, ſed totis animis peccaſſe dolemus, & de hoc ipſo peccatorum dolore uehementer gaudemus; utinam doleremus quantum dolere & debemus, & concupiſcimus; ſed ſuppleat miſericordia tua, quia filij tui ſumus, & de pane tuo & de calice tuo, ad menſam tuam edimus, & potamus. Placare Domine, & propitius eſto peccatis noſtris, quia pius es. Sit ultus tuus ſuper nouum iſtum Sennacheribbum, & nobiſcum peccatorem, & tui Sanctiſsimi nominis perſecutorem, noſtrum omnium propter te, proter Fidem tuam, propter Crucem tuam coniuratum cum omnibus barbaris nationibus hoſtem perpetuum, hac noſtra ætate, terra & mari formidandum. Non glorietur nouus iſte Golias in virtute ſua. Deus, non claudat ora canentium tibi non dicat ubi eſt CHRISTVS *eorum? Veniat & ſaluet populum ſuum. Ipſi uincere non cupimus Domine Deus, uincat in nobis, & per nos* CHRISTVS IESVS *Filius tuus, regnet, imperet, per totum orbem terrarum; ſubijciat ſibi omnes nationes, cui dediſti in præmium humilitatis & paſſionis ſuæ, ut in ſuo nomine flectatur omne genu. Qui tecum uiuit & regnat &c.*

TERTIA DIE IN ECCLESIA DIVI PETRI.

Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis.
Reſp. A templo ſancto tuo, quod eſt in Hieruſalem.
Verſ. Veniant ad te qui detrahebant tibi.
Reſp. Et adorent ueſtigia pedum tuorum.
Verſ. Da quod iubes, & iube quod uis Omnipotens & Clementiſsime Deus.
Reſp. Vt ex ipſa pugna uictoriam, & ex uictoria conſequamur perpetuam pacem.
Verſ. Excita manus Principum noſtrorum ad prælium.
Reſp. Edoce ſuos ipſorum digitos ad bellum.
Verſ. Effunde iram tuam ſuper gentes, quæ te non nouerunt.
Reſp. Non nouerunt, & oderunt te gratis.
Verſ. Compelle intrare in domum tuam.
Reſp. Vel ad nihilum redige inimicos noſtros.
Verſ. Domine Deus exercituum pugna pro nobis contra filios Agar.
Reſp. Reſpice ad Abraham Patrem noſtrum, & ad Sarram, quæ nos peperit.
Verſ. Eſto dux noſter in terra, & in mari.
Reſp. Qui fundaſti terram ſuper maria, & circundediſti mari terminos terræ.

Verſ. Pugnamus pto fide tua, pto legibus tuis, pro Imperio ſancto tuo.

Reſp. Ergò exutge Deus, & iudica cauſam tuam.

Verſ. Domine exaudi orationem meam.

Reſp. Et clamor meus ad te ueniat.

Vetſ. Dominus uobiſcum.

Reſp. Et cum ſpiritu tuo. Otemus.

DEVS refugium noſtrum; & uirtus, Deus fortitudo noſtra & laus noſtra, qui per omnes generationes, in tantis mirabilibus excitaſti tibi nomen magnum in uniuerſa terra, liberatis filijs tuis per mare, per ignes deuictis Regibus, omnium gentium in manu forti & brachio excelſo. Inclina quæſumus illos tuos miſericordes oculos ad miſerum, & afflictum populum tuum, ſuper quem inuocatum eſt nomen unigeniti Filij tui Domini noſtri IESV CHRISTI: *Extende in auxilium eius dexteram tuam, ut Agarenæ gentes, quæ iam diù terra & mari inuadunt fines noſtros, prædantur animas noſtras, profanant templa noſtra, imò uerò tua Domine Deus, & reliquias Sanctorum tuorum conculcant pedibus, tanquàm canes & ſues; poſtquàm in dies magis ac magis abutuntur benignitate & patientia tua; nunc tandem in ſpiritu furoris, & indignationis tuæ deuorentur, ſicut ſtipula ante faciem uenti; & cognoſcere incipiant omnes gentes, quia tu ſolus es uerus Deus, & nos populus ille tuus, quem prætioſo tuo Sanguine redemiſti. Per Dominum noſtrum* IESVM CHRISTVM *Filium tuum &c.*

IN PROCESSIONIBVS PRO NAVALIS BELLI VICTORIA, AD ECHINADES.

PRIMA DIE IN ECCLESIA CATHEDRALI.

GLoria in Excelſis Deo.

Reſp. Et pax in tetra ſeruis Dei.

Vetſ. Re pleatur os noſttum laude.

Reſp. Vt cantemus tota die magnitudinem tuam.

Verſ. Victricem manum tuam exaltet uniuetſa Eccleſia.

Reſp. Quæ ſubmetſit inimicos ſuos in medio mari.

Verſ. Gloriabantut aduerſus CHRISTVM Sanctum tuum.

Reſp. Et tu demerſiſti eos, quaſi plumbum in aquis uehementibus.

Verſ. A' Domino factum eſt iſtud.

Reſp. Et

Reſp. Et eſt mirabile in oculis noſtris.
Verſ. Gratias agimus tibi Domine IESV CHRISTE.
Reſp. Propter magnam gloriam tuam.
Verſ. Glorificate Deum quantum poteſtis.
Reſp. Maior eſt enim omni laude.
Verſ. Dominum poſthac formidabunt aduerſarij eius.
Reſp. Et ſuper ipſos in cœlis tonabit.
Verſ. Domine exaudi orationem meam.
Reſp. Et clamor meus ad te ueniat.
Verſ. Dominus uobiſcum.
Reſp. Et cum ſpiritu tuo. Oremus.

DEVS, cui Sancta animalia, & Sancti ſeniores per IESVM CHRISTVM *Filium tuum indeſeſſis uocibus gratias agunt, & benedicunt; Nos de magnis periculis liberati magnificè gratias tibi agere deberemus: Sed quia puluis ſumus, & cinis, maieſtatem tuam ſupplices depracamur, ut humilatem noſtram attendas, infirmitatem excuſes; quantula ſunt hæc duo minuta, quæ pro gratiarum actione, tibi offerimus, Corpus & Animam, benignus excipiens, da, ut te gratis animis perpetuò diligere, & pro tàm inſigni Victoria, corde, ore, & opere laudare mereamur. Per eundem* CHRISTVM *Dominum noſtrum. Amen.*

SECVNDA DIE IN ECCLESIA SANCTÆ MARIAE DE VIRGINIBVS.

CAntemus Domino carmen uictoriale.
Reſp. Glorioſè enim honorificatus eſt, hoc menſe Sacerdotali.
Verſ. Archipiratas uniuerſi orbis proiecit in mare.
Reſp. Vt funditus intereant nigræ & infœlices illæ animæ.
Verſ. Mirabiles elationes maris.
Reſp. Sed mirabilior in altis Dominus.
Verſ. In hora belli uentus flabat, Sol lucebat.
Reſp. Vexillum Crucis obumbrauit Solem & cohibuit uentum.
Verſ. Viciſti Domine, uiciſti.
Reſp. Et uiciſti in momento, in ictu oculi.
Verſ. Tu dominaris poteſtati maris.
Reſp. Motum autem fluctuum eius tu mitigas.

Verſ. Sic

Verſ. Sic humiliaſti Selymum illum fœdifragum, barbarum ſuperbum.
Reſp. Et in brachio uirtutis tuæ diſperſiſti inimicos tuos.
Verſ. Tibi ſoli gratias Domine Deus, tibi ſoli.
Reſp. Per IESVM CHRISTVM Dominum noſtrum.
Verſ. Domine exaudi orationem meam.
Reſp. Et clamor meus ad te ueniat.
Verſ. Dominus uobiſcum.
Reſp. Et cum ſpiritu tuo. Oremus.

DEVS, qui in tanta huius claßici belli apud Naupactum Victoria in conſpectu Regum uniuerſæ terræ terribiliter magnificatus es, liberans dilectos tuos, tanquàm Pater miſericordiarum, & funditus perdens coniuratiſſimos tui Sancti nominis hoſtes, tanquàm Deus ultionum: uota quæ olim ſuſcepimus propitius reſpice, & quæ prò tantis beneficijs maieſtati tuæ æternum debemus, ex infinito illo theſauro pratioſiſſimi Sanguinis unigeniti Filij tui Domini noſtri IESV CHRISTI, quem pro nobis in cruce fudit, tibi ipſi id quod pro tua pietate ſemper ſoles, benignus exolue. Per eundem CHRISTVM *Dominum noſtrum. Amen.*

TERTIA DIE IN ECCLESIA DIVI PETRI.

Paratum cor noſtrum Deus.
Reſp. Paratum cor noſtrum.
Verſ. Vt cantemus gloriam tuam.
Reſp. Tota die magnitudinem tuam.
Verſ. Deus quis ſimilis tibi?
Reſp. Non eſt ſimilis tui Domine in Dijs gentium.
Verſ. Tu es Deus, qui facis mirabilia magna ſolus.
Reſp. Qui liberaſti à potente pauperem, cui non erat adiutor.
Verſ. Niſi quia Dominus adiuuit nos.
Reſp. Dicat Epirus, Dicat Naupactus.
Verſ. Quum exurgeret impetus Turcharum in nos.
Reſp. Fortè uiuos deglutiſſent nos.
Verſ. Sed arcus fortium ſuperatus eſt.
Reſp. Et infirmi accincti ſunt robore.
Verſ. Domine non ſecundum peccata noſtra feciſti nobis.
Reſp. Neque ſecundum iniquitates noſtras, retribuiſti nobis.

Verſ. Sit nomen tuum Domine benedictum.
Reſp. Ex hoc nunc & uſquè in ſœculum.
Verſ. In ſœcula ſœculorum laudabimus te.
Reſp. Quia liberaſti nos à rugientibus præparatis ad eſcam.
Verſ. Dextera tua fecit uirtutem in bello Epirotico.
Reſp. Dextera tua liberauit nos de populo barbaro.
Verſ. IESVS CHRISTVS retribuit tibi filia Babylonis miſera.
Reſp. Retributionem, quam retribuiſti nobis.
Verſ. Domine exaudi orationem meam.
Reſp. Et clamor meus ad te ueniat.
Verſ. Dominus uobiſcum.
Reſp. Et cum ſpiritu tuo. Oremus.

OMNIPOTENS ſempiterne Deus, qui de excelſo Sancto tuo propter miſeriam inopum, & gemitum pauperum, potenter exurgens, uindicaſti omnes iniurias noſtras; reddens inimicis noſtris ſeptuplum in ſinum eorum; & in illo penè ſinu maris, in quo iam dudum domueras Ægyptios coniuratos hoſtes Cæſaris Auguſti tui, qui naſcente Filio tuo, non ſine numine iuſſit, ut deſcriberetur Vniuerſus Orbis; heri & nudius tertius, uelut antiqua miracula renouans; confregiſti uires Turcharum, qui ad internitionem perſequebantur populum, quem tibi unxiſti, & redemiſti; Applica, cor noſtrum ad amorem tui Sancti nominis, & infunde in nobis ſpiritum timoris tui: quia tunc pro tantis beneficijs uerè tibi grati erimus, quum Maieſtati tuæ fideliter in timore pariter & amore ſeruiemus. Per Dominum &c.

IN PROCESSIONIBVS, AD NATALITIVM diem Filij Sereniſſimi, & Inuictiſſimi Regis PHILIPPI.

GRatias agimus Domino Deo noſtro.
Reſp. Dignum & iuſtum eſt.
Verſ. Eia iuuenes, & Virgines, ſenes cum iuuenibus.
Reſp. Laudate nomen Domini.
Verſ. Laudate nomen Domini cum cantico.
Reſp. Cum cantico, plauſu, & uòciferatione.
Verſ. Quia nuncius bonus uenit de terra longinqua.
Reſp. Aqua frigida animæ ſitienti.
Verſ. Dedit Deus maſculam prolem Regi noſtro Clementiſsimo.
Reſp. Sic benedicitur Rex, qui timet Dominum.

Verſ. Rex in æternum uiuat.
Reſp. Viuat, Viuat.
Verſ. Et ſit Regina ſicut uitis abundans.
Reſp. Vt ambo uideant filios filiorum ſuorum.
Verſ. Gaudeamus in Domino ſemper.
Reſp. Semper gaudeamus.
Verſ. Oſanna, Oſanna.
Reſo. Salua obſecro.
Verſ. Deus uitam ad multos annos Regi da.
Reſp. Et benedictionem Filio Regis.
Verſ. Domine exaudi orationem meam.
Reſp. Et clamor meus ad te ueniat.
Verſ. Dominus uobiſcum.
Reſp. Et cum ſpiritu tuo. Oremus.

DEVS virtus Regum, & ſalus Regnorum, qui Dauidi Regi tuo dediſti Salomonem, qui & ſeminis & regni eſſet futurus hæres, eumquè ſapientiæ paciſq; ineffabili munere ſublimaſti; reſpice quæſumus ad praces humilitatis noſtræ, & ſuper puerum, quem Regi noſtro PHILIPPO *ad tantorum Regnorum ſecuritatem, fœlicitatemq; dediſti benedictionum tuarum dona multiplica; ut protectus potentia dexteræ tuæ, ſicut natus eſt caro ex carne, ita renaſcatur ſpiritus ex ſpiritu, & habeat nomen ſcriptum in cœlis qui non dum habet nomen in terris. Tibi uiuat, tibi regnet, tibi in omnibus complaceat, & per tramitem iuſtitiæ in tantis Regnis, quorum ſuo tempore gubernacula ſuſcipiet inoffenſo gradu ſemper incedat; Imitetur in cunctis Regem* PHILIPPVM *patrem, & auum* CAROLVM QVINTVM; *quos tu tantis gratijs decoraſti. Sit amabilis populis tuis, terribilis Turcis & Mauris, bella pro te ad tui Sanctiſſimi nominis gloriam lætus ſuſcipiat. Pacem tibi militantibus, & triumphum de tuis hoſtibus ſub glorioſo tuæ Crucis vexillo terra mariquè reportet; ut cum Regibus atauis, quorum benedicto ſemine prognatus eſt, tandem in cœlis tibi conregnare mereatur, te præſtante.*

Per Dominum noſtrum IESVM CHRISTVM *filium tuum &c.*

SERMO SYNODALIS, DE RATIONIBVS SVMPTVARIIS CAPITVLI, ET DE IPSA TOTA MENSAE CAPITVLARIS AECONOMIA.

DVM PARABOLAS DE MORE, ARCANAQVE', & enigmata diuinæ ſapientiæ loqueretur Saluator Noſter CHRISTVS IESVS, ore ſuo Sancto, & benedicto laudauit ſemel uillicum iniquitatis Dilectiſſimi Fratres, quòd aſtutus & uafer, quia prodigè uixerat, aliena diſſipauerat, ſua effuderat, uocatus ad reddendam ſuæ ipſius æconomiæ rationem dextero illo ingenio (quod nemo ueſtrum non meminit) ueſtem prudentiæ ſuper indutus, ſibi & rebus ſuis conſulens, heri potentis altum ſupercilium ſefelliſſet. Nos neque uafri, neque afri ſumus, neminem fallere cupimus, diuitias non profundimus, male partas non habemus φιλοχρήματοι, non ſumus, ut neque πολυχρήματοι unquàm fuimus. Sed ne rebus Eccleſiæ atquè adeò CHRISTI, qui eſt ſponſus eius, uelut imprudentes, atquè forſan etiam infideles, & male frugi æconomi eſſe uideamur; Eccè utrinquè hoc eſt, pro reditu, & pro ſumptu calculos ponimus, Calculatores pro uobis, gaudete Clerici, hodie facti ſumus. Rationes nummariæ, codices rationarij, rationales ipſi ueſtri, ueſtræ gazæ, ueſtræ pecuniæ, datæ, & acceptæ, materia & campus erunt hodierni ſermonis noſtri. Sed enim Rogo uos ante omnia, Oro, obſecro, occaſionem hinc accipite conſiderandi, meditandi, intelligendi, ità ſemper nobis omnibus eſſe uiuendum coràm Deo, & coràm hominibus, ut rationem totius uitæ noſtræ aliquandò nobis eſſe reddendam arbitremur, exiſtimemus, certò certius credamus. Unicuiquè noſtrum Fratres di-

cetur

cetur in illa die reuelationis Iudiciorum Dei. Redde rationem uillicationis tuæ. Sanè omnes uillici, & diſpenſatores poſiti ſumus rerum noſtrarum, pro Domino noſtro IESV CHRISTO. *Ille enim ſolus eſt noſtrarum rerum Dominus. Quid? neque ipſi noſtri ſumus; Dei, & Domini noſtri* IESV CHRISTI *ſumus, qui creauit, & redemit nos. An uerò non reſonat in aures ueſtras Apoſtolica illa tuba. Non eſtis ueſtri, Empti eſtis prætio magno? Ecquanta ſunt, de quibus tremendo illi Iudici* CHRISTO *Deo rationem reddere cogemur? Anima, Corpus, Tempus, Senſus, Ratio, Ingenium, Fides, Sacra Scriptura, Elementa, Literæ, Scripturæ, Eccleſia, Mundus, & deniquè omnia quibus in mundo non tàm uſi, quàm uerè abuſi ſumus. O' utinam filij ſæculi hoc unum intra ſemetipſos aliquando cogitarent, ut ſibi ſaltem de male partis diuitijs, quibus in terris abundant, plurimos in cœlis amicos facerent. Puto enim uos filios lucis hæc omnia nunquàm non uerſare animo, meditatione, charitate, timore, fide. Hæc non eſt ueſtris prudentiæ, prudentia inquàm carnis, prudentia falſa, ficta, quam verius imprudentiam, & ſtultitiam dixeris, quæ inhiat ſordidis pecunijs, & turpi lucro, quæ ſpiritum non ſapit & ne nouit quidem, per quam alius quidem eſurit, alius autem ebrius eſt; ob id enim dicuntur iniquæ pecuniæ, & pecuniæ iniquitatis. Eſt illa ipſa uera prudentia Sancta, diuina, Chriſtianis & Religioſis digna hominibus, qui mundum, & mundana quæquè à tergo habentes, deſpicientes terrena, cœleſtia amantes, pecuniarum inopes, uirtutum diuites, ſemper ante oculos habent, quàm formidandum Iudicium eos maneat, niſi ſanctè, & iuſtè uixerint; niſi diuinis præceptis paruerint, niſi innocentiam ſeruauerint. Iudicium inquàm Dei viui, cui nemo reſiſtit, quia omnipotens eſt, quem nemo fallit, quia ſapientiſſimus eſt, quem nemo corrumpit, quia optimus eſt, quem nemo declinat, quia ubiquè eſt, quem nemo flectit, quia immutabilis eſt, deniquè quem nemo è medio tollere poteſt, quia æternus eſt. O' uerè illos beatos: Nam dum in timore, & tremore ſuam ipſorum uitam probant, & examinant, uidentquè non poſſe mortalem hominem comparari Deo, quippe quia ſi ſe iuſtificare uoluerit, os ſuum condemnabit eum, neque poterit iuxta Prophetam reſpondere ei unum pro mille, tanquàm rei, & inter anguſtias deprehenſi, eum quem Iudicem ſuſtinere nequeunt, Saluatorem habere ſuſpirant, neque iàm ad tribunal Iuſtitiæ accedunt, ſed ad thronum miſericordiæ prouocant, non merita iactant, ſed gratiam ambiunt, & cum ipſa gratia merita habere procurant. Hæc ſanè eſt regula non obliuiſcenda, quam D. Bernardus, quaſi quidam chriſtianus Cicero, & elegantiſſimè, & breuiſſimè ut ſolet deſcripſit. Merita habere cures, habita data noueris, & fructum diuinæ miſericordiæ ſperes. Quam doctrinam ſpiritualem ipſo noſtri ratiocinij initio lucro apponite Dilectiſſimi, imò uerò hodierna die ipſe opto, ut ſit uobis ante prandium quod uobis ruſticanum paraui: nam quæ deliciæ in luco? hoc eſt in auro, & in argento, uelut*

Melle

Melle ſaporata, & medicatis frugibus offa.

S E D *rus tandem ingreßi loquamur de ſumptibus, de redditibus, ut omnia in rationem referantur, & poſitis, & ſubductis hinc inde calculis omninò inter uos conueniat de pecunia accepta, & exſpenſa; unde ipſi compertum habeatis, an in ſumptibus publicis huius Reuerendi Capituli noſtri habenæ premendæ ſint, aut laxandæ. Poſtquàm enim decimæ, & ipſa quoq; iura decimarum, quæ de frugibus terræ, de arborum fructibus, de pecoribus, de hortis, ut alia præteream, Clericis ipſis, tanquàm miniſtris Dei iure diuino debentur, iniqua conſuetudine, quæ quò eſt antiquior, eò eſt etiam deteſtabilior, religione ipſa languente, ac frigeſcente deuotione, fraudantur, uſurpantur, inuaduntur, retinentur: Vnde demum ipſi qui ab omnibus ſoluti curis Deo ex toto corde ſeruire, & ipſas decimas in uſum pauperum diſpenſare deberemus, cogimur cum Laicis ad ſæculi redire curas, ut in ſudore uultus noſtri utcunquè ueſcamur pane noſtro: utinam non etiam ſæpè ad uitanda, vel medicanda ſcandala puſillorum, tributa, & uectigalia ſoluere, id quod omnia iura uitant, cogeremur. Neceßitas exigit ut rationem, & adminiſtrationem illarum facultatum, quæ ad menſam Capitularem pertinent, ne miniſtrorum indiligentia & infidelitate diſsipentur, ne largis & effuſis ſumptibus exhauriantur; ſeuerè admodum, & diligenter exquiramus. Vt non ad aras quidem, in quibus ad diuini cultus gloriam execramur impiam illam uocem, Poterat vnguentum iſtud venundari multò, & dari pauperibus: cupimuſquè, & thura ingeri, & faces ardere, (ut ſic loquamur) ſine menſura, & ſine modo; ſed in omnibus alijs ſumptibus moderatione adhibita, totum illud, quod de patrimonio Crucifixi menſa Capitularis poßidet, ſi non augeri, at certè conſeruari ualeat. Sic enim uobis non delicatè & molliter, ſed honeſtè & continenter uiuentibus Capitulum ipſum, & uuſq; etiam veſtrum, Deo in primis fauente, qui ex vno grano tantas ſegetes creat, & tantas areas implet, non ligna quidem, ut in prouerbio eſt, in ſyluam ferre, neq; aquas in maria effundere, ſed tamen in pauperes, in infirmos, in hoſpites, in peregrinos; ne membra* C H R I S T I *inedia pereant; eleemoſinas erogare, & hilari animo diſtribuere poteritis. Ecquis ſcit quum huc peruenerimus, ut rapinam bonorum noſtrorum cum gaudio ſuſcipientes, arbitremur ingentes diuitias victum ſimplicem, & integumenta carnis, cupiamuſq; (vt debemus) illud totum, quod ſupereſt dare egenis propter* C H R I S T V M, *imò & impendere, & ſuper impendere ipſas animas noſtras ad fouenda membra* C H R I S T I: *quis inquàm ſcit ſi Deus ipſe per miſericordiam ſuam in gratiam noſtram concilietur noſtris populus, & indulgeat illis omnem, quam nobis tanquàm ſuis ipſius miniſtris debent decimationem? Sanè, quod dolentes dicimus, iudicio multorum patrum, qui nihil minus curant, quàm lucra,*

& opes,

& opes, iamdiù iratus Deus, ut gratis nouem partes dederat, & decimam ſibi reſeruauerat, ſic uice uerſa hoc noſtro ſæculo, imbre, bruco, locuſta, rubigine portiones nouem tollit; & decimam ipſam, quam populus negat Sacerdotibus CHRISTI, agit ut maximè nolens, & repugnans dare cogatur ſatellitibus Fiſci. Intereà tamen dum pro populis, & pro Principibus (vt par eſt) Deum rogamus, rebus noſtris quò ad poſſumus, prouidendum eſt; ne nobis ipſis (nam ne hoc quidem Deo placet hoc tempore neceſſitatis) defuiſſe uideamur. Equidem ut uerum dicamus, Inter Sacrum & ſaxum toties ſumus Fratres Amantiſſimi, quoties in hoc ipſo choro, tanquàm in diuinæ militiæ exercitu hinc inde alas ueſtras, dexteras, & ſiniſtras contemplamur. Iuuat enim in primis uidere hunc ipſum militum penè innumerabilem numerum, uidere inquàm oculis, & lætari animo, quod diuinæ legiones uix numerari poſſint, & Deo Benedicto accreſcat quotidie familia multa nimis. Vtinam uerò optare liceret, poſtquàm in multitudine populi dignitas Regis, ut omnes homines in Dei militiam aſcriberentur, ut nemo ſeruiret mundo, ut nemo non ſeruiret Deo, ut inquàm nulli eſſent filij ſæculi, omnes eſſent filij Dei, nimirum ſicut Stellæ cœli, ut terra reſponderet cœlo, vbi millia millium ſunt, qui miniſtrant, & decies centena millium, qui aſſiſtunt. Unde illud, Nunquid eſt numerus militum eius? Sed enim ex alio latere mæror eſt continuus cordi noſtro, & apoſtrophen illam Prophetæ ad Dominum Saluatorem cogimur ipſi ſæpè etiam in hac ipſa materia de qua agimus, dolentes repetere. Multiplicaſti gentem, & non magnificaſti lætitiam, quia operarij quidem multi, ſed meſſis admodum pauca, & anguſta: nam præbendæ ſunt tenues, beneficia leuia, diſtributiones quotidianæ triobolares factæ ſunt, totaq; Eccleſia noſtra quotidie accipit mutuo, & ut pauperes alere poſſit cum incredibili ſuarum ipſius facultatum fabricæq;, & Sacriſtiæ detrimento; neq; uerò ſine communi omnium noſtrorum dedecore, verſuram facit. Enimuerò nos non ad menſuram expenſarum quærimus, aut procuramus uobis alios redditus, aut facultates, quod ad auaritiam fortaſſe pertinere uideretur, ſed quas Eccleſia habet expenſas; ex illis ipſis facultatibus in œconomi morem metiri nobis animus eſt, ut confuſionem ad ordinem, nimietatemq; ad æqualitatem reducamus: quia omnis nimietas incompetens, & virtutes omnes in mediocritate conſiſtunt; unde & dicitur Aurea mediocritas. Conſuluit olim Prudentiſſimus ille Iuſtinianus Imperator Epiphanio Sanctiſſimæ Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Patriarchæ, ut in illa ſancta Baſilica Conſtantinopolitana conſtitueretur certus, & determinatus numerus Clericorum, id quod procedentibus temporibus Summi quoq; Romani Pontifices, & ipſi fecerunt, & multis Epiſcopis faciendum iuſſerunt non aliam ob cauſam, quàm ne Eccleſiæ inquietatæ oneribus debitorum, ad inopiam tandem redigerentur. Sanctiſſimis igitur eorum veſtigijs inhærentes, cupimus quidem ante omnia, atq; etiam futurum ſperamus in Domino, vt facul-

tates Eccleſiæ noſtræ Cathedralis augeantur, & præbendæ, & diſtributiones ſimul pinguiores fiant, quò poſſint fieri ſingulis Clericis erogationes conuenientes: ſed intereà, ut dum immoderatè extreſcit numerus Clericorum, ad extremam ino piam non deueniat Eccleſia ipſa mater & Clericorum & aliarum Eccleſiarum huius Ciuitatis, nullum quidem hoc tempore lege vel Imperio excludentes eorum, qui iàm Domino famulantur, & Eccleſiæ quotidianis aluntur ſtipendijs, ſed pro tempore futuro, præcipimus vt nullus alius recipiatur ad participationem maſſæ communis, & quotidianæ diſtributionis, donec tanta multitudo reducatur ad illum ipſum numerum, qui & ſufficiens eſt ſeruituti Eccleſiæ, & cui vice verſa ſufficiant illæ ipſæ qualeſcunq; ſunt Eccleſiæ facultates.

VIGILANTES autem, ratiocinio facto cum prudentiſſimis uiris, numeratis Clericis, ſemel, iterum, ac tertio, dimenſis, ponderatiſquè prouentibus, & redditibus, accœpta inquàm tota maſſa prouentuum tanquàm integro aſſe, coquè diuiſo in partes deunces, dextantes, dodrantes, trientes, quadrantes, atquè, ut ſummatim dicàm, re tota perpenſa. Statuimus ut certus ac determinatus numerus participantium de quotidianis diſtributionibus Eccleſiæ noſtræ, ſit iſte, quem Deo dante, ſignauimus.

IN primis duæ principales, & præcipua, quæ etiam uerè ſunt Dignitates.

Archidiaconus, & Archipręsbyter	Canonici xxiiij.
Deinde verò duo Cantores.	Sacerdotes eodem numero.
Tum Theſaurarius.	Diacones xij.
Pœnitentiarius, Et	Similiter & Subdiacones xij.
Magiſter Ceremoniarum.	Clerici tot, quot Diacones, & Subdiacones ſimul.

HOC eſt ad ſummum Clerici Sacri, & non Sacri, maioreſquè & minores tres ſupra centum, uterquè enim numerus perfectus eſt, ille inter unitates, hic inter decades.

CANONES.

SI ERGO OMNES, AC SINGVLI TENEANTVR more perpetuo diebus feſtis, in Calendario noſtro deſcriptis, conuenire ad Chorum ad celebranda diuina officia, & ſeruiendum Deo iuxta leges ſuo quoquè loco præſcriptas.

QVOTIES autem diebus feſtis defuerit Sacerdos præterquàm decumbens in lecto infirmitatis cauſa, de qua antea certiorandus erit Vica

rius Noſter, præter id quod nullum feret punctum, ſoluet pro Matutino, & Prima hora granum unum, pro hora Tertia, Sexta, & Nona, & Miſſa Maiore unum, & pro Veſperis unum. Non intelligatur autem interfuiſſe Matutino, qui non interfuerit & Officio hora Prima canonicæ; neque interfuiſſe Miſſa maiori, qui non interfuerit Officio Tertiæ, Sexta, & Nonæ, ſimul idquè à principio ad finem. Huic eidem pœnæ ſubijcimus Canonicos, atq́ etiam ipſas Dignitates, ut qui minores ſunt exempla ſumant à maioribus, unde uerum eſt illud.

A boue màiori diſcit arare minor.

E x *ordine porrò inferiori, tàm Diaconus, quàm Subdiaconus, ad dimidiatum granum condemnabitur; at uerò Clericus ad tres caballos. Eaquè tota pecunia, quam abſentes loco pœnæ exoluent, accreſcet præſentibus, & Deo ſeruientibus.*

P r o *diebus communibus ad coercendam multorum, effrenatam licentiam & ne vnquàm (quod ſemper moliti ſumus) deſit certus, ac determinatus numerus ſeruientium Deo, poſtquàm neq́ omnes, neq́ plures; ſed paucos valde uidemus, qui æmulatores ſint diuini cultus, permittimus ut omnes cuiuſq́ ordinis Clerici iudicio Archidiaconi, Archipræsbyteriq́, & Cantorum, diuidantur in tres Claſſes, & una quidem ſeruiat anno integro Feria Secunda, & Quinta; Altera Feria Tertia, & Sexta: Tertia porrò Feria Quarta, & Sabbato; Omnes ſub eadem lege, & pœna.*

S i c *autem diuidentur, ut Feria Secunda, & Quinta teneantur intereſſe Choro, & celebrare diuina officia.*

Dignitates tres.	Diaconi tres.
Canonici octo.	Subdiaconi tres.
Præsbyteri x.	Clerici octo.

H o c *eſt Quinque & Triginta Clerici maiores, & minores Feria Tertia & Sexta, ſimiliter quoq́ Quarta, & Sabbato duæ Dignitates, & reliquorum omnium par numerus, hoc eſt quatuor & triginta.*

N e *autem fraus vlla, aut etiam per obliuionem aliquis error hic locum habere poſſit; volumus ut uno quoq́ die exigantur, & grana, & caballi ab illis, qui non interfuerint; quod ſi Procurator menſæ Capitularis negligens fuerit, ſoluat de proprio: idq́ ſimiliter per ſingulos dies, de quo ipſe fidem faciat Reuerendo Archidiacano.*

P r i m v s *autem ex Dignitatibus, qui vno quoq́ die de more interfuerit Officio; vel Miſſæ diligentiſſimus ſit, & oculata fide uideat, vt Punctator*

ſine

ſine ulla exceptione perſonarum ſecundum iuſtitiam pungat, & expungat, ſimiliter ut is, qui librum tenet pro iuſtitia ſcribat, & deleat, ne eorum vel iniquitate, uel ignorantia uiuificentur mortificandi, & mortificentur uiuificandi, hoc eſt pungantur expungendi, & expungantur pungendi; qui ſcribendi ſunt deleantur, & qui delendi ſunt conſcribantur; ſuper qua re oneramus conſcientiam omnium Dignitatum. Nam illis unis, quo ad hanc partem, & non alijs ius reddendi denarium diuinum Operarijs uineæ Dominicæ, hoc eſt diſtribuendi maſſam communem creditum eſſe volumus; præſertim verò Reuerendo Archidiacono, qui in huiuſmodi rebus eſt oculus Epiſcopi, ut ſæpius diximus.

S i *qui diebus non ſuis, hoc eſt non ad ſuam Claſſem pertinentibus, venerint ad diuina officia celebranda benedicti ſint à Domino, & puncta ſua ferant; qui non uenerint, ut neq; puncta ferent, ſic neq; rei habebuntur coràm nobis, modo ſuis diebus non deſint; ipſi tamen uiderint, an rei habendi ſint coràm Deo, cui ſe ſe ab initio ſpontè, & non ui, aut metu, per omnem uitam, & non per aliquos paucos dies, dedicauerunt.*

Volvmvs *autem ut per ſingulos annos mutentur Claſſes, ut ſinguli tandem vno quoq; triennio longa conſuetudine, & uſu, in ſingulis partibus diuinorum Officiorum ſufficienter inſtructi ſint, & alios etiam inſtruere ualeant.*

Interea *porrò omnis hic quantus, quantus eſt Clericorum, qui extat numerus diſtribuatur in claſſes modo prædicto, & ſinguli, qui in Deo iuxta leges ſeruiunt, puncta referant; ſed nullus poſthac promoueatur ad ſacros ordines, donec nimietas, vt ſupra dictum eſt, ad æqualitatem reducatur.*

Qvod *ſi magna aliqua ratione paucos aliquos promoueri contigerit, iubemus vt illi non participent de maſſa menſæ Capitularis, niſi ad eam præcisè rationem & menſuram, qua prius participare ſoliti erant in minoribus ordinibus conſtituti, quouſq; in aliorum deficientium loca ſubſtituantur.*

Qvi *autem ad minores ordines promouebuntur, donec & ipſi ſubſtitui poſsint in locum aliorum contenti ſint honore, & immunitatibus Eccleſiaſticis, quibus gaudent: de prædicta autem maſſa nihil omninò participent, ponentes in magno lucro, quod admiſſi ſint ad ſeruiendum Deo, & ad perdiſcendam diſciplinam Eccleſiaſticam; In qua niſi profecerint, ſciant ſe neq; ad ſacros ordines, neq; ad participationem Maſſæ fore unquàm admittendos.*

Qvvm *defuncti loco alius quiſpiam inter participantes ſubſtituendus erit; uideat Vicarius, vt ad minus per annum cum laude functus fuerit eo miniſterio, quo is, qui defunctus eſt, dum uiueret, fungebatur. Si autem duo concurrerint, uel omninò plures, ille præferatur, qui excelluerit literis, & moribus. Quod ſi pares fuerint, honor deferatur antiquitati; antiquitati inquàm non tàm annorum, quàm vſus & ſeruitutis ipſius Eccleſiæ in diuinis. Deniq; ſi in ipſo concurſu nihil erit, quod in uno, uel in altero re ipſa præponderet, ille grati-*

V ij ficetur,

ficetur, quem Vicarius honorare uoluerit:

STET *tamen hoc firmum, & fixum, ut is qui in defuncti locum ſucceſſerit non ſtatim participet ad largiorem illam rationem, & menſuram, qua prædeceſſor participabat, ſed uetere ſua portione contentus expectet integrum annum, & intereà ita fungatur miniſterio, ut dignus ſit, cui ſequente anno iudicio Archidiaconi, Archipræsbyteri, & Cantorum, autoritate Vicarij noſtri meritò augeatur annona.*

SERVETVR *autem cum omnibus, & perpetuò ſolennis ſit hæc ratio diſtributionis pecuniarum ex communi maſſa, ut Quarta pars detur Clericis, Tertia Diaconibus, & Subdiaconibus, Sacerdotibus autem Canonicis, & Dignitatibus æqualiter Integra, ita tamen, ut quisq; tantum pro rata parte officij, cui interfuerit, participet, ne uel minus referat, qui plus laborauit, vel plus obtineat, qui vix in Choro ſuæ ipſius perſonæ copiam fecit; & omnes uelut quadam eſca trahantur ad Chorum, dum illis etiam qui ſerò ueniunt non nihil pecuniolæ erogatur.*

QVOT *quot à communi celebratione diuinorum officiorum in Choro tribus menſibus perpetuus abſuerint, niſi infirmitatis cauſa impediti, quæ etiam legitimè conſtiterit Vicario noſtro, plectantur in primus ſecundum Canones, ſeu ad arbitrium Vicarij alia pœna, & deinde creſcente negligentia, aut contumatia, niſi reſipuerint, tanto ſeruitio iudicentur indigni, & tanquàm ij, quibus diuina non ſapiunt, quiq; occaſionem quærunt recedendi ab ipſo Dei cultu, excludantur pœnitus ab ipſo ſcelecto numero participantium Clericorum.*

AB *hac ipſa communi lege illi, non tàm excipiendi, quàm ſuo iam iure ſunt excepti, quorum ſenecta, & ſenium labor eſt & dolor; illi inquàm qui cum laude vixerunt, & dum florerent iuuenes & uiri die ac nocte uerſabantur in Choro, uacantes diuinis officijs, corde, ore, & opere abſquè querela; ut propterea in decrepita ætate, quæ incurabilis infirmitas eſt, conſtituti milites ueterani, & emeriti dici poſſint, quos ex publico ærario alendos eſſe; & lex præcipit, & docet, ratio, & uſus habet.*

EODEM *priuilegio illos gaudere par eſt, qui pro rebus Eccleſiæ & Capituli, atquè etiam menſæ noſtræ Epiſcopalis, procurandis, conſeruandis, defendendis, mittuntur à nobis, uel à Capitulo, etiam ſi ipſos Parthenopei Regni fines egreſſi annum integrum abfuerint: Nam quum vniuerſæ Reipublicæ noſtræ ſeruiant à Punctatore, & à Procuratore, atquè demum à nobis, & ab ipſo toto Clero quò ad maſſam groſſam capitularem; quæ ter in anno diuidi ſolet, non abſentes, ſed præſentes reputandi ſunt, quanquàm non eſt eadem ratio de diſtributionibus minutis, & quotidianis.*

ID *ipſum commune erit duobus Clericis, qui Epiſcopum ipſum Capituli caput & gregis Paſtorem, ac patrem; quocunquè ierit comitabuntur; perſonæquè ipſius fami-*

familiariter inſeruient, etſi enim de uictualibus, de candelis, & aliquibus Xeniolis, quæ in officijs mortuorum aliquandò erogantur, non participant, pro rata tamen prædictæ maſſæ groſſæ portione priuari omninò non debent.

AD conſeruandas autem quòad fieri poteſt facultates menſæ Capitularis, quæ ſi fides adſit, & diligentia, & Capitulum noſtrum non ſæpè pluſquàm par ſit ſumptu & magnificentia prodeat, communibus neceſſitatibus ſatis eſſe poterunt. Statuimus ut poſthac inter cæteras electiones, quæ menſe Auguſto ab eis fieri ſolent, eligantur uno quoquè anno duo Procuratores Capituli, & non iuxta ueterem ac merito reprobandam conſuetudinem unus ſolus. Inter eos unus ſit Canonicus, alter Dignitas. Munus Canonici erit pecunias omnes quauis ratione Capitulo debitas exigere non acerbè quidem, ſed tamen diligentiſſimè; Dignitatis autem exactas recipere, cuſtodire, & impendere non quidem auarè; ſed tamen ſumma fide.

IDCIRCO ſub pœna priuationis & Canonicatus & Dignitatis præcipimus, ut nullo unquàm tempore onus, aut exigendæ pecuniæ Canonicus, aut cuſtodiendæ Dignitas recuſare audeat. Dignitas porrò in gratiam ſublimitatis gradus, quem tenet in Eccleſia noſtra gratis fungatur ſuo ipſius procurationis munere. Canonico autem permittimus propter multos labores, quos exigendo perferre neceſſe eſt, ut ab ipſo Capitulo conſtituatur annuum Xeniolum, quod tamen duodecim ducatorum ſummam non excedat.

IVDICIVM de ſumptibus faciendis ſit eorum, quos ordinatos uocant Triumuiros, qui tamen, quoties ſumptus quinque ſupra decem ducatos exceſſerit, omninò teneantur aduocare Archidiaconum, & Archipræsbyterum; quorum conſilio nitantur, & ſi neceſſe eſt utantur etiam opera; ne errent, ne hæreant, ne repræhendi iure à nobis poſſint.

VT ne caballus quidem expendatur temerè, utquè ſinguli de Capituli gremio, ratiocinij tempore, res publicas & communes quanta fide, diligentiaquè tractantur uidere poſſint, in omnibus ſumptibus, ſiue magnis, ſiue paruis, Dignitas, in cuius manu eſt pecunia ad ſuam ipſius cautelam per ſingula quæquè requirat ab ipſis ordinatis mandatum, quo ſemel & iterum, ac tertio pecuniam petant, quin & ſuo tempore teſtimonium habeant, quod ſemel receperint; utraq; fides ſit in ſcriptis, & ſua ipſorum manu ſignata, quæ etiam exprimat pecuniæ ſummam, ſimul & rem, cuius gratia, hominemquè cui pecunia, & danda & data fuerit. Ita & mandato, & cedula munitus depoſitarius, ſecurus comparebit in iudicio, dum illi nomine Capituli, dicet Vicarius noſter. Redde rationem œconomiæ tuæ.

NE in ſuſpitionem fraudis, furti, aut etiam negotiationis uenire poſſit exactor, præſertim quum ſit Canonicus, cui optabilius eſſe debet mori, quàm fœdari; uolumus ut qualibet hebdomada conſignet Dignitati eas omnes pecuniolas,

quas exegerit. Iubemusquè ut ipſa Dignitas etiam in illo ipſo libro exactoris manu propria fidem faciat receptæ pecuniæ, notetq; menſem, hebdomadam, & diem.

CAVEAT exactor ne hebdomada ulla prætereat, in qua non id totum quod exegerit ſcriptione ſua repoſuerit in regeſtum, & conſignauerit Depoſitario; deprehenſus enim, etiam ſi exigua fuerit denariorum ſummula, meritò reus habebitur: Quia os Domini locutum eſt. Qui in modico infidelis eſt, in multo quoquè infidelis erit.

PRO fabrica Eccleſiæ noſtræ uolumus, ut ſit alius exactor proprius, isquè Canonicus, cui etiam ſi non in prætium certè in teſtimonium laboris aliquid omninò dandum erit. Pecuniam porrò ipſam, quæ exacta fuerit, gratis recipiat, & cuſtodiat idem pecuniæ Capitularis Depoſitarius, hoc eſt eadem Dignitas.

IN ipſis autem ad fabricam ſumptibus, Statuimus, ut eædem prorſus leges, & iura ſeruentur, quæ iam iam decernebamus circa ſumptus Capituli.

IN Eleemoſinis porrò relictis, & legatis pro celebratione Miſſarum, ut exactor eſt proprius, ſic ſit proprius etiam depoſitarius; ſed hic omninò non ſecus quàm in maſſa communi ſit Dignitas; non eadem tamen, ſed alia, quæ nullo mercedis intuitu, gratis Deo & Capitulo ſeruiat. Exactor autem erit præsbyter non Canonicus, qui non ad mercedem quidem, ſed uice Eleemoſinæ, & ad ſuſtentationem oneris annuam portionem habebit infra ſtatuendam. Quò ad alia, quæ huc ſpectant, præſcriptæ leges ſatis ſint.

QVONIAM autem dum Laicus uigilat, & Clericus dormit periculum eſt, ne in dies magis, ac magis, & bona & iura Capituli uſurpentur, Occupentur, diripiantur, præcipimus in uniuerſum Capitulo noſtro, ſingulariter autem Archidiacono & Procuratori Capituli, ut duos conficiant libros honeſti uoluminis, quorum unus deſcripta contineat non ſummatim, ſed ſigillatim omnia bona menſæ Capitularis, ædes, uineas, cenſus, emphiteoſes, nomina quoquè eorum, à quibus relicta ſunt, notariorum qui de iis inſtrumenta ſtipulati ſunt; dies, annoſquè quibus hæc facta fuerunt; ſimiliter & debita ad quæ Capitulum ipſum eorum bonorum ratione tenetur pro animabus defunctorum: Scribantur etiam in eo libro permutationes, ſi quæ facta ſunt retroactis temporibus. Alter porrò liber breui ſumma contineat ſubſtantiam totam, & medullam omnium & ſingularum quæ in archiuio ſunt Scripturarum, Legatorum, Donationum, Teſtamentorum, Codicillorum, quæ ad menſam Capitularem ſpectantia, non dum acquiſita, in ſuſpenſo ſunt. In quo etiam libro ſcribentur alia quæ pro tempore fient: Ut hanc lucem habentes poſteri diligentiores eſſe poſſint, quàm maiores noſtri fuerunt, & occaſionem habeant prouidendi rebus publicis Capituli, & orandi Deum ac Beatiſſimam Virginem pro omnibus nobis.

VTERQVÈ porrò liber ſumma fide conſeruetur tanquàm Theſaurus Capituli, & ſæpius uideatur, legaturquè, & relegatur ab ijs qui & prudentes &

experti

experti in rebus ipſius Capituli zelum inſuper habent ipſius Eccleſiæ, ut quum occaſio occurrit ad commune beneficium referant toti Capitulo; quæ omnia ut commodius fieri poſſint; utriquè libro præponatur index alphabetarius, cuius auxilio ad manus ſint ſtatim quæcunquè ſuo tempore, & loco deſyderabuntur.

EIVSDEM *publicæ utilitatis gratia iubemus conſtitui duos Clericos bonæ fidei, prudenteſquè, & expertos, qui ſchedas Notariorum diligenter inquirant, & perquirant, notentquè omnia & ſingula, quæ ad hanc rem facere iudicabunt & referant Capitulo. Archidiaconus autem prouideat ut cuncta redigantur in libros ad futuram memoriam. Quod ſi in hac re aliquid inſumendum fuerit ille ipſe expendat, & notet, ſumma fide, teneaturquè Capitulum ſtare verbo illius.*

HORTAMVR *autem ſingulos Notarios ut ſe ſe benignos & faciles exhibeant in oſtendendis inſtrumentis, & cæteris; ſcripturis, unde Eccleſia illuminari poſſit ad notitiam rerum ſuarum, quod qui fecerint benedictionem noſtram conſequentur: qui uerò facere aut contempſerint, aut neglexerint, ſciant ſe eſſe excommunicandos, & coràm Deo iam excommunicatos, quia quod in eis eſt, uiam obſtruunt ſaluti, & viuentium & defunctorum; ideoquè iubemus Vicario noſtro ut ſuper ijs nemini indulgeat.*

QVOD *dictum eſt pro Eccleſia noſtra Cathedrali, eadem lege obſeruari mandamus ab omnibus Rectoribus particularium Eccleſiarum: nè bona earum diripiantur, & dilapidentur, in qua re qui negligens fuerit, tanquàm infidelis diſpenſator & miniſter, ſeueriſſimè puniatur à Vicario noſtro, & nihilominus cogatur, ut omnimò libros uel librum conficiat iuxta tenorem prædictum, & inſuper diligentiam faciat ſuper ſchedis Notariorum.*

DE *his rebus ad exonerandam conſcientiam noſtram, & ad erudiendum populum noſtrum decretum edidimus huius tenoris.*

QVONIAM *hac noſtra tempeſtate, uerè tempeſtate, qua abundat iniquitas, & refrigeſcit charitas, ſicut olim Ægyptij oderant paſtores ouium, ita nunc Laici oppidò infeſti ſunt Clericis, & plerunquè ea quæ illis ſunt debita non reddunt, quæ illorum ſunt uſurpant, & quòd magis dolendum eſt, ad æternam animarum ſuarum perditionem, iuriſdictionem ſpiritualem temerè ingrediuntur, nullam differentiam facientes inter Sacrum & profanum, tranſgredientes terminos, quos ipſe Deus poſuit, & Patres noſtri, Deo volente, conſtituerunt. Nos quoniam in manibus Summi Pontificis, & Sanctæ Sedis Apoſtolicæ iureiurando promiſimus conſeruare, ac tueri, ampliarequè, & quòad poſſumus etiam diſtracta recuperare ſpiritualia quidem in primis, ſed & temporalia, ſine quibus uix illa diu ſubſiſtere poſſunt, atquè adeò omnia bona iuraquè Eccleſiæ noſtræ Botuntinæ, cui tametſi indignè præfecti ſumus. Et præterea intelligimus poſtquàm Deo fauente omnes & ſingulos ſubditos noſtros per ipſius gratiam in ſuis iuribus*

conſouemus, quàm diuino humanoq́ iure teneamur ad ius dicendum ſponſæ noſtræ, id quod omninò citra periurij crimen, aut negligere, aut diſſimulare non poſſumus. Ad erudiendum in primis populum noſtrum, quem optamus in hu, quæ Dei ſunt omnibus alijs populis eſſe meliorem. Ad tollendam deinde aliquibus eam, quam prætendere ſolent excuſationem ignorationis, deniq́ ad omnium malorum hominum conatus in poſterum refrenandos, machinationesq́, & conſilia deſtruenda, ne culpa fortaſſe noſtra extollere ſe audeant, Gygantum more, aduerſus Dominum, & aduerſus CHRISTVM *eius. Sacra hac approbante Synodo ſanctione præſenti ſalubriter ordinamus, quin potius à Sanctiſſimis Conciliis generalibus iam pridem ſancitum fuiſſe declaramus. Præcipientes primò, ſecundo, & tertio peremptoriè, iuxta eorum rationabiles, & ſacratiſſimos Canones, Vt nulla particularis, vel publica perſona, neq́ ſocietas, neq́ Collegium, neq́ vniuerſitas bona mobilia, ſeu immobilia, aut iura, ſiue perpetua, ſiue temporalia, iuriſdictiones, honores, ius eligendi, vel conferendi aliquam Eccleſiam, vel præbendam, locum, redditum, uel ad venerabile Capitulum noſtrum, uel ad aliquod Monaſterium Religioſorum, ſiue mendicantium, ſiue monachorum, ſiue monialium, vel demum ad menſam noſtram Epiſcopalem, quouis modo, vel titulo pertinentia, aut in totum, aut in partem, vſurpare impedire, directè vel indirectè inuadere, aut aliter occupare præſumat, aut uiolenter etiam detinere, & ſpoliare poſſeſſione, ſiue fructuum, ſiue vſusfructus percipiendi, quicunq́ illi fuerint. Similiter ne quiſpiam de teſtamentis, de matrimonialibus cauſis, de vſuraria prauitate, & de alijs cauſis Eccleſiaſticis, quæ ad forum noſtrum, vel de iure, vel ab antiqua conſuetudine pertinere noſcuntur cognoſcere, aut iudicare præſumat abſq́ noſtra, aut Vicarij noſtri ſpeciali licentia, in ſcriptis obtenta. Singulares autem perſonas, quæ contra præmiſſa uel omnia uel ſingula, ſiue facto, ſiue mandato, ſiue expreſſo conſilio, ſiue etiam conſenſu, aut fecerint, aut attentauerint; excommunicationis ſententia innodamus. Collegium porrò & Societates, Congregationesq́, & vniuerſitates ſubijci volumus Eccleſiaſtico interdicto.*

VNVM *illud ſummoperè neceſſarium nobis uidetur ad uidendas, intelligendas, adminiſtrandas, & conſeruandas rationes, tàm menſæ Capitularis, quam reliquorum beneficiorum Cleri noſtri, ut quoniam tempus magnas in rebus omnibus facit mutationes ad minus quolibet quindennio reficiatur cataſtum, libramentum, & quod vocant appratium bonorum quorumlibet Eccleſiaſticorum, tàm priuatorum, quàm communium. Nam & hoc ipſo annorum numero ſolent à Regibus & principibus indici deſcriptiones Regnorum, & Principatuum ſuorum, ne per temporis iniuriam aliquid iactura patiatur in ſtatibus ſuæ ipſorum ditioni ſubiectis.*

ET *ita ex nunc fieri mandamus dictum appratium infra terminum à Vicario*

tario noſtro in edicto, quod autoritate noſtra publicabitur, & ut moris eſt affigetur ſtatuendum.

SI *quis autem in dicto appratio Ananiam, & Saphiram imitatus fuerit, ut quomodolibet fraudare Eccleſiam non vereatur, non dubitet, quicunq; is ſit, ſe eſſe priuandum illo beneficio, in quo (ut verbo Principis Apoſtolorum vtamur) mentitus fuerit, non tàm hominibus, quàm Spiritui Sancto.*

ECCE *nunc tandem ſubijcimus leges ſumptuarias, quas ab ipſo Capitulo noſtro inuiolabili iure ſeruari mandamus, vt qui & ſcimus, quàm magnum ſit vectigal Parſimonia, & timemus ſi hos fines preterierint, citò futurum eſſe, vt illis deſit, unde ſumptus pro Eccleſia Sancta neceſſarij ſuppeditentur, adeò in Laicis pietas erga Clericos defecit, adeò Religio, & cultus Dei in Ciuitate noſtra refriguit.*

LEGES SVMPTVARIÆ.

IN PRIMIS AD DIVINI CVLTVS SPLENDOREM, *& gloriam ſuſtineatur quidem omnis ille muſicorum noſtrorum numerus, qui præter cantum quotidianum & regularem in Odæo ſuper Chorum artificioſè, vel (ut aiunt) figuratè Deo canunt diebus feſtis totius anni, idq; ad Miſſam maiorem, & ad Veſperas, ſed tamen illi, tanquàm filij noſtri, & de gremio noſtro contenti ſint ducatis quatuor ſupra viginti, quos Præfectus Capellæ diſtribuat inter eos omnes, vt ſuæ ipſius conſcientiæ uidebitur, adhibito iudicio Archidiaconi, & Archipræsbyteri.*

ILLIVS *Muſici, qui laudat Deum in Organis, niſi alienigena fuerit, ſtipendium ſit is numerus ducatorum, qui eſt & muſarum.*

IN *eos qui Secretarium vel (ut aiunt) Sacriſtiam cuſtodiunt, & adminiſtrant, diſpenſentur annuatim ducati octo ſupra decem.*

DVOBVS *Punctatoribus in Choro aſsignentur ducati bis terni & Miſsarum Punctatoribus totidem.*

ILLE, *qui exigit eleemoſinas Miſſarum celebrationibus debitas, eleemoſinam & ipſe habeat, ſed infra ducatos decem.*

SCIAT *Canonicus Procurator, vel exactor menſæ Capitularis, cui biſſenos ducatos parum ſupra aſsignauimus uno quoq; anno ſe teneri, quoties oportuerit, ad exigendas gratis omnes anni ſui capitationes.*

CANONICO *Procuratori Fabricæ quolibet anno dentur Caroleni decem.*

RATIONALIBVS *quot quot fuerint pro omnibus & ſingulis unius anni ratiocinijs, dentur ad ſummum ducati ter duo.*

OMNINO autem in eis includi volumus rationes Sanctiſſimi Diuinæ Eucharistiæ Sacramenti, cui non in omnibus & per omnia gratis inſeruire absq; ullo mercedis intuitu, immane eſt, atq; nefarium præſertim Clerico, ſiue maiori, ſiue minori.

MINISTER Fori, vel Nuntius Curiæ, quem iuratum vocant ſenis ducatis annuis ſit contentus.

DIE illo feſto & fauſto Purificationis Beatæ Mariæ ſemper Virginis & Genetricis Domini Noſtri IESV CHRISTI in cereolis ad proceſſionis pompam, & ad myſterij tantæ lucis, & gloriæ celebritatem diſtribuendis in Eccleſia expendantur ad minus, ducati bis decem, ad ſummum quinq; & viginti: Et hic ſumptus ſaltem fiat in nundinis Sancti Nicolai menſe Decembris, neq; vltra differatur.

SVMMOPERE autem ſine vlla perſonarum exceptione caueatur, vt neq; ex Eccleſia noſtra, neq; ex Parochijs, ſed neq; ex monaſterijs, vel monachorum, vel monialium, aliqui omnino cereoli mittantur per domos, ſiue ad viros, ſiue ad mulieres; ne occaſione noſtra ſanctus hic ritus in profanum conuertatur, & quod Religioni ſeruire debet ſuperſtitioni tam & ambitioni deſeruiat. IN Thure & luminibus ſuper altaria, iubemus, vt aliquantò largiores ſint Procuratores & ordinati, quàm hactenus fuerint; quod omninò præſtare etiam poterunt, ſi eandem omninò, & non maiorem pecuniæ quantitatem, ſed ſuo tempore, & vt par eſt, prudenter expendent.

SERMO

SERMO AD SYNODVM, DE FORO EPISCOPALI, DEQVE RATIONE, ET ADMINISTRATIONE SIMVL EPISCOPALIS IVRISDICTIONIS.

VIX SCIO FRATRES, FERE' NESCIO, VNDE *hodiernum ſermonem auſpicer; locuturus fora, lites, iura, iurgia, cauſas, partes, contentiones, circumuentiones, calumnias; idquè præter omnem morem meum, qui nihil aliud odi magis, quàm amarulentiam, detractionem, odium, inimicitias, rixas, linguas mendaces, labia doloſa; & omnia, quæ inimica ſunt charitati, & paci. Et audio quidem eos qui me amant, Quid tàm ſtulto labore conſumeris? cur non parcis tibi? nequè enim fortitudo lapidis, fortitudo tua, nequè caro tua ænea eſt, aut ferrea. Fortaße uerò & ſpiritus meus interdum mihi blanditur, & dicit, Cur non redimis tempus? Cur perdis meliores horas? Tela aranearum ſunt hæc negotia litium, ſunt afflictio ſpiritus, ſunt euiſceratio mentis, ſunt inanitio gratiæ. Enimuerò, Neceßitas cui non imperat? Neceßitati quis non paret? Parochi Iuriſdictionem non habent ſuper ſuos ipſorum Greges, niſi in foro pœnitentiæ; atquè ideò nobis tandem incumbit onus, ut non ſolum in Sacris literis, quas ò utinam vobiſcum quotidie uerſare liceret; quis enim me diei poßet beatior? Sed & in rebus profanis, in agris, in poßeßionibus, in agnis, in cimino, in bombyce, præbeamus nos auditores, exauditores, finitores, qui ſtatuamus, iudicemus, decernamus, iubeamus, mandemus, prohibeamus, puniamus; arceamus, relegemus, deponamus. Ita tandem illa omnia*

nia

nia, ſuper quæ meritò nauſeabat anima mea uos feciſtis, neſcio quo pacto, ut iam
cibi mei ſint quotidiani; Ecqui cibi? panis tribulationis, & aqua anguſtiæ.
Deum enim nolumus deeſſe noſtro numeri, dum cauemus, ne oriantur ſcandala,
dum timemus illi æternum veh, per quem ſcandalum uenit dum prouidemus, ne
ſæcularis poteſtas ut ſæpè ſolet ſe ingerat, & cum periculo multarum animarum
immittat falcem in meſſen alienam; ubi nutriebamur in croceis, amplectimur
ſtercora, rudera, quiſquilias, dicam modeſtiſſimis verbis Sacræ ſcripturæ, Ra
chelem relinquimus, & cum Lya negotiamur; Diuertimus à Maria, quæ ſe-
det, & paſcitur verbo Domini, & ſatagimus cum Martha quæ miniſtrat, &
turbatur erga plurima. An non uidetis iam quadrimeſtre integrum per ſingulos
dies me nihil aliud facere quàm à mane uſquè ad ueſperam audire litigantes?
procuratores? aduocatos? eoſquè ſapientes ad perſuadendum falſum? eloquen-
tes ad impugnandum uerum? Struentes calumnias, contra innocentiam? inſtru
entes technas, & dolos contra ſimplicitatem? ſic quotidie fora obſtrepunt, & au
res meæ quaſi ad catadupas Nili iàm obſurduerunt. Verum dicam. Utinam
ſufficeret diei malitia ſua, ſed dies diei eructat noua litigia, & nox noctis indi-
cat noua odia, nouas diſputationes, & nouas dilationes, ad obſtruendas uias Iu-
dicij, ad deſtruendas rationes Veritatis. Quis iam ex vobis mihi non compatia
tur? Dolens dico & condolens. O' quàm ſæpè erumpit ex meo pectore Apoſtolicum
illud, Sic non eſt inter uos ſapiens, qui amicè componat & iudicet inter Fratrem &
Fratrem? Certè non ſubeſtis Principibus Ethnicis, quibus illud erat, & in ore fre-
quens, & in corde perpetuo infixum, Diuide, & Impera. Subeſtis Regi Catholico
PHILIPPO Auſtriaco, quo nemo melior in toto orbe terrarum, qui nihil magis
eſurit, & ſitit quàm iuſtitiam, & illam unam in ſuis ipſius populis iuſtitiæ ſobolem,
pacem, atquè concordiam. Non ne ergò indigniſſimum eſſe uidetur, præſertim in
hac noſtra Ciuitate Regia, quæ pro inſignibus habet Oliuam paciferam, non eſſe
decem uiros primarios, qui præ cæteris εἰρηνοποιοὶ hoc eſt pacifici dicantur? ſitquè
eorum onus, imò uerò honos, ut quum primum audiunt timeri in populo, ne oria-
tur aliqua lis inter duos uicinos, inter duos affines, inter duos conciues, antequàm
ebullire incipiant animi, iræ, furores, antequàm ſerpens hinc inde (vt ſolet)
ſpargat uirus odij, liuoris, inimicitiæ; antequàm res deferatur ad Epiſcopum, ut
feriat anathemate hunc, & illum; curent ut negotium intelligatur, tractetur,
componatur, ita ut ex lite amicitiam, & ex bello pacem faciant? Quod quia
facere negligitis in cauſa eſt ut illud de me quoquè impleatur. Alius ducet te quò
tu non uis. Verè ducimur quò nolumus: Ipſi enim teſtes eſtis, nos deputaſſe non
priuatos homines, ſed communes & publicos, hoc eſt non Laico, ſed Clericos,
eoſquè omni exceptione maiores, non inquàm ut olim in primitiua Eccleſia mo-
ris erat Diaconos, ſed Sacerdotes, deputaſſe inquàm tanquàm feciales nuntios,
& arbitros pacis, qui omnem curam, omnem diligentiam adhibeant, ut breui

manu

manu dirimatur quicquid eſt litium in populo noſtro; Quid? ipſi non tanquàm iudices, ſed tanquàm medici ſpirituales animarum ueſtrarum, nihil prætermiſimus, nihil non egimus, ut lites omnes ceſſarent, ut ſileret prorſus forum, ut nullæ telæ iudiciorum texerentur, ut omnes in pacis gaudio læti tranquillam uitam uiueretis. Semper enim inſonant in aures meas duæ illæ voces Eccleſiaſticæ ad Primam, & ad Sextam horas Canonicas.

Ne litis horror inſonet.
Extingue flammas litium.

*E*T *tamen quid profecimus? Flammæ litium non extinguuntur in cordibus ueſtris, atquè ideo horror litium adhuc inſonat in auribus noſtris. Athenienſes D. Paulus iudicauit nouarum rerum cupidos; Vos ego ipſe iam diù iudicaui (Utinam uerò fallar) nouarum litium cupidiſſimos. Vellem mentiri, ſed quod hactenus iudicare poſſum; hoc eſt. V*IX *pauci ſunt ex vobis, qui non delectentur litibus, qui non faciant perpetuas, atquè, etiam quod multò eſt grauius, hæreditarias lites: Ad uerecundiam ueſtram dico, quicunquè hic adeſtis, cur me cogitis ad forenſia, ad concertatoria, ad dictatoria iudicia? Opto uidere orbum litibus hoc meum forum, & uos quotidie lites litibus nectitis, & lites nunquàm, niſi litibus reſoluitis? Fortaſſe verò non exerta voce dixit Apoſtolus, Seruum Dei non oportet litigare? Fortaſſe non ſcripſit ad Titum, Epiſcopus ad Epiſcopum, Apoſtolus ad Apoſtolicum, Admone illos non eſſe litigioſos, ſed humanos? Et appoſitè quidem contraria fecit humanitatem, & litigium: Nam humanitatis eſt facilè tribuere, non acerbè exigere, de ſuo non nihil concedere, alienum nihil uſurpare; contraria porrò omnia faciunt, qui litibus gaudent. Et quid eſt humanitas, ſi non eſt amor hominum? hoc enim nomen habet apud Græcos* φιλανθρωπία: *Profectò uerò ſi quis dixerit, litigium eſſe amoris uenenum, non aberrauerit à uero. Quis enim mecum litem habet, & me diligit? Certè cogitari poteſt, ſed contingere uix poteſt, ut tecum ſit mihi lis, & tecum ſit mihi pax. Itaquè quoniam teſtamentum* CHRISTI *eſt ipſa Pax (Nota eſt enim illa ſuauiſſima vox, Pacem relinquo vobis) & character hominis Chriſtiani, quo diſcernitur à non Chriſtiano eſt ipſa charitas ſuo iure Epiſcopus, cui* CHRISTVS *uices ſuas commiſit, ne in* CHRISTVM *ipſe committat, quod litigioſis uolentibus non facit, nititur ut illis nolentibus faciat: hoc eſt enim, quod & de ipſo Deo dicit non ſemel Diuus Auguſtinus, Si de nobis non facit quod uult, quia ipſi non uolumus, facit in nobis quod uult, quod ipſi uolumus. Oportuerat quidem ante omnia ut Botuntini tanquàm non ſanguine humano, ſed ſtirpe diuina progeniti, filij inquàm Dei, in quibus habitat Deus, qui eſt totus amor, & charitas, amore inuicem, officio, ſtudioquè,*

què, & charitate contenderent, ut beneuolentia & beneficentia alter alteri non cederet, ut pulchra hæc quæſtio, Quis plus diligit, qui plus diligitur, nunquàm finem haberet; quiſq; generosè uel ſuperare amando uel certè parem eſſe non tàm verbo quàm opere comprobaret. Sed poſtquàm malorum omnium ſator inter uos quoquè ea ex parte qua filij ſæculi eſtis, ſuperſeminauit Zizania, rixas, inimicitias, negotia, lites; illud tanquàm ſecunda gratia neceſſarium eſſe uidebatur, ut ne ullo unquàm tempore cogeretur Epiſcopus, qui pro CHRISTO in omni cauſa peccati eſt conſtitutus Iudex, contra aliquem ferre ſententiam æternæ mortis, nam cui mortem comminatur Epiſcopus, comminatur & CHRISTVS iudiciorum Epiſcopi conſcius, & comprobator. Nolite enim putare Epiſcoporum dum pro CHRISTO bella gerunt exarmatam eſſe authoritatem, & poteſtatem; Non ſolum enim baculum habent, ſed & gladium, imò uerò & gladios duos, Monent, hortantur, corripiunt, increpant; adde & benedicunt, & offerunt, & orant, & impoſita pœnitentia ſalutari peccata remittunt, hæc omnia ad baculum ſpectant. Quod amplius eſt, à gladio eſt; nam Iuriſdictione Eccleſiaſtica tanquàm hierarchæ, omnes & ſingulas cauſas in foro exteriori audiunt, iudicant, interpretantur, determinant; decreta faciunt, ſententias dictant, pœnas inferunt, & reos coercent; coercent inquàm per cenſuras iudicij Eccleſiaſtici citando, detinendo, relegando, indicendo exilium; ſuſpendendo, mulctando etiam pœna pecuniaria, interdicendo, excommunicando, degradando, & demum tradendo poteſtati ſæculari, cui ſoli datum eſt vt ſanguinem fundat. idq; totum huc pertinet, vt omnino per ipſos Epiſcopos, tanquàm per Dei Vicarios peccata tollantur, & regnet charitas, & pax inter omnes CHRISTI fideles. Primum illud ad poteſtatem ordinis ſpectat, hoc ſecundum ad iuriſdictionis. Et illa quidem poteſtas Sacerdotium CHRISTI conſequitur, hæc autem Regnum, vt propterea poteſtas Epiſcopi gemina ſit, Sacerdotalis inquàm & Regia, ſicut CHRISTVS fuit, & Rex, & Sacerdos, quanquàm non Sacerdos, niſi ut homo, Rex autem ut homo, & ut Deus. Sacerdotalis porrò authoritas noſtra non exercetur niſi in humiles, & obedientes; atq; ideò in eos qui ſunt ſimiles Angelis; qui quum peccauerint ſponte ſua in foro conſcientiæ ſe ſe ſubijciunt Sacerdotibus; at verò Regia exercenda eſt in filios Diaboli; in obſtinatos, ſuperbos, rebelles, dicam propriè & ſignatè uno verbo in homines iuxta illud, Quum ſit inter zelus & contentio, nonnè homines eſtis, & ſecundum hominem ambulatis? Et illud, Non permanebit ſpiritus meus in homine quia caro eſt. Ἡγεμὼν Eccleſiæ eſt Epiſcopus, quo titulo Dionyſius Areopagita honorauit Moſen Ducem Synagogæ ἡγεμὼν non eſt nomen dignitatis, nomen authoritatis exiſtimationis, ut ἀξίωμα, Sed eſt nomen poteſtatis, vt & ἐξουσία poteſtatis inquàm quæ eſt ius dicendi, & dicendi in omni cauſa, ut ad eam ab inferioribus ſit prouocatio, appellatio. An non eſt & poteſtatis nomen Paſtor;

nam

nam & Rex dicitur Paſtor, apud Homerum enim idem eſt ποιμὴν λαῶν, & ἐκ Διὸς ἔχλων. Eſt quidem tàm Regnum, quàm Sacerdotium CHRISTI, atq́; ideo poteſtas Regia, & Sacerdotalis Epiſcopi principaliter circa ſpiritualia; tamen quia temporalia, & corporalia quæq́; ad ſpiritualia aliquo modo referuntur nimirum propter peccatum ſaltem, & cauſam peccati, vnde mors oritur, & damnatio animarum, non iam duo Regna, ſed vnum Regnum conſtituunt, Regnum inquam Eccleſiæ, Regnum CHRISTI, quòd ab eo ipſo, quod principale eſt; nomen habet diciturq́; Regnum cælorum, quanquàm nota eſt illa uox CHRISTI, Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra. Rogo intelligite, & aduertite. Non indiget cælum terra, Terra indiget cælo; ſine ſpiritu corpus non uiuit; Spiritus autem vitam habet ſeiunctus à corpore: Omnia Deo indigent, qui & ſpiritus eſt, & pater ſpirituum, Deus autem bonorum noſtrorum non indiget. Non ſic ſe habent ſpiritualia, & temporalia in Epiſcopo Fratres, non ſic, non ſic. Epiſcopum enim qui non tàm præeſſe cupiat, quàm prodeſſe neceſſe eſt etiamſi ad cæleſtia, ad ſpiritualia, ad diuina, ſit maximè intentus, & terrena quæq́; corporalia, atq́; humana contemnat; neceſſe inquàm eſt ad tempus derelinquere verbum Dei, ad cuius dulcedinem multò libentiùs recumberet & dormiret cum Ioanne, ut cum Petro circumeat atria, caleſiat ad ignem, miraq́; anxietate, atq́; ſollicitudine videat finem negotiorum, quæ vexant membra CHRISTI; in quibus vix ſubſiſtunt ſpiritualia, ſine temporalibus, atq́; ideò oportet Epiſcopum etiam de temporalibus ſollicitari. Res certè Eccleſiaſticæ, & quæ beneficia vocant, ſecundum ſe ſpiritualia ex toto non ſunt: ſed quoniam cum ſpiritualibus tantam connexionem habent, vt diuelli nequeant, Oportet vt ab Epiſcopo tractentur, audiantur, videantur, iudicentur, in quo & ſæpè iubet poteſtati temporali, vt per diſciplinæ terrorem illud exequatur, quod ipſe primum ut fieret conſuluit, iudicauit, dictauit. Omninò autem omnia, quæ in mundo ſunt etiam ſi nulla ratione ſpiritualia, aut ſpiritualibus connexa uideantur; propter peccatum, tamen & cauſam peccati ſi modò denuntientur Epiſcopo poſt omnia tandem iudicia ſubeſſe oportet foro ipſius Epiſcopi in ſua Eccleſia, & in uniuerſo orbe Romano Pontifici, cui in Petro; vt oues ſunt creditæ, ſic claues ſunt traditæ; quanquàm iuriſdictio propriè non eſt illius; profectò uerò ex Fide uerè chriſtiana & catholica huius Epiſcopalis Iuriſdictionis ortus eſt ille titulus, orta eſt illa lex Iuſtiniani. De Epiſcopali Audientia; cuius ſcopus ille fuit, qui & CHRISTI Regis Regum, nempè animarum ſalus, & ne quiſpiam in peccato moriatur; ſed Epiſcopus tanquàm Pater omnium, omnium ſalutem procuret, omniumq́; inferiorum Iudicum & iniquitatem & imperitiam corrigat & emendet, quod nimirum fundamentum eſt totius Eccleſiaſticæ Iuriſdictionis, contra quam ne portæ quidem Inferi vllo vnquàm tempore praualebunt. CHRISTVS illam ſibi emit, emptamq́; reliquit

Petro

Petro & ſucceſſoribus ſuis, velut in æternum ſuam. Nolite putare hanc ipſam talem, & tantam poteſtatem præiudicare Regibus. Ecquanta eſt poteſtas Regum etiam in cauſa Religionis? Nam & Anaſtaſius huius nominis Pontifex Secundus appellat eos Vicarios Dei; Et ex ipſis hiſtorijs didicimus ab initio ſæculi in adminiſtratione rerum ſpiritualium nunquàm non indiguiſſe Sacerdotes, & opera doctorum virorum, & authoritate Principum ſæcularium. Et quidem quum hæc tria ſe inuicem iuuant cultus Dei, ſcientia virorum prudentum, & poteſtas Regia; non poteſt non fœliciſſimè Regi humanum genus, ſicut contra quum vel diuinus cultus negligitur, vel Viri docti ad oſtentandam ſcientiam erigunt cornua, & conflant hæreſes, vel deniq; quum Principes ſchiſmata excitant aduerſus Religionem tum corruunt iura, leges, mores, & omnia. Certè uerò nemo neſcit, ut non uetera, ſed noua commemorem quantum iuuerit cadentem Religionem CAROLVS *Quintus, &* FERDINANDVS *Frater ambo Cæſares, ambo Auguſti, ambo Tridentini Concilij, quod hæreticorum funus appellare par eſt, patroni & tutelares. Quid porrò non egit tempore Concilij Conſtantienſis* SIGISMVNDVS *Imperator, & tempore Concilij Piſani* CAROLVS *Rex Francorum, quum Sacerdotes eſſent, tàm ceſſatores facti, quorum uel negligentia, uel impotentia de tota Religione actum eſſe videbatur?. Neq; enim pij illi Principes temporibus, tàm duris & diris attendebant communes leges, vel ſcripta decreta, ſed eam & neceſſitatem, & charitatem, quæ nullis humanis reſtringi poteſt legibus, imò aduerſus quam nulla eſt lex. Sicq; mittentes manum ad fortia pugnantibus, & repugnantibus Sacerdotibus illis, quorum quiſq; pro Hierarcha ſe gerebat pacem dederunt Eccleſiæ, quod Chriſtianus orbis ad hunc uſq; diem admiratur, & præ gaudio obſtupeſcit. Extat autem inſigne teſtimonium in ſacris literis, quod & Onias ille Iudæorum ſummus Sacerdos, quum Religio ſuo ipſius tempore tantis procellis agitaretur, iudicauit impoſſibile eſſe, ſine regali prouidentia rebus pacem dari, atq; ideò adijt Regem. Hæc omnia huc ſpectant, vt intelligatis & ſpirituales, & ſæculares, quod ad tollendos è Ciuitate malos mores & uitia duæ hæ poteſtates ſe ſe inuicem iuuare debent. Moſes dicebat. Quis det ut omnes prophetent? Ego dico quis det ut omnes laborent ad faciendam uoluntatem Patris noſtri, qui in cœlis eſt? Ille enim etſi vult ſpiritualia præponi temporalibus, atq; ideò Sacerdotes Laicis; non vult tamen inter has poteſtates eſſe contentiones & iurgia; Imò verò non vult etiam vt poteſtas ſæcularis putet ſe eſſe contemptum & deputatam tantum ſæcularibus negotijs, quaſi nihil ſit illi de ſpiritualibus cogitandum, ſed ita adminiſtrare debet temporalia, & bello & pace, & domi, & foris, ut ſemper mentem intentam habeat ad Dominum omnium poteſtatum Deum, qui vult ita exerceri poteſtatem in temporalibus, vt etiam homines per bonos Reges & Principes reddantur aptiores ad ſpiritualia; hic enim eſt finis pacis ciuilis, ut in-*

iuſtitia,

iuſtitia, & ſanctitate ab omnibus gradibus ſeruiatur Deo, & cum bella gerun tur, tum maximè agendum eſt, ut populus declinet à peccatis, & religioſè famuletur Deo; quia Deus eſt Dominus exercituum: equus enim paratur ad diem belli, ſed Deus dat uictoriam. Itaq; Principes ſæculares omninò miniſtros Dei ſe eſſe intelligant, hoc enim nomine honorat Principes Paulus Apoſtolus: Dei enim, inquit, miniſter eſt; Et propter hoc maximè iubet inter ſacra myſteria orari pro ſalute Regum, & omnium qui in ſublimitate ſunt conſtituti, ut ſub eis tranquillam uitam agamus ad ſeruiendum Deo in omni pietate & honeſtate. Et quidem ore ſuo Deus benedictus in Deuteronomio uix ſermonem compleuerat de conſtituendo Rege, & ſtatim ſubiecit, Quum fuerit conſtitutus Rex, non multiplicabit ſibi equos, non habebit uxores plurimas, quæ alliciant animum eius, neq; auri & argenti immenſa pondera; Sed poſtquàm ſederit in ſolio Regni ſui deſcribet ſibi legem, & habebit ſecum, legetq; eam ſemper omnibus diebus uitæ ſuæ, ut diſcat timere Dominum, & cuſtodire uerba, & ceremonias eius, quæ in lege præcepta ſunt. Cernitis Filij & Fratres, quum omnibus chriſtianis neceſſarium ſit (ſi beati eſſe cupiunt) Ecquis eſt, qui non cupiat? mederi in lege Domini, Regibus tamen in primis; qui aliorum Duces eſſe debent mandari ab ipſo Deo, ut in ipſam Dei legem intentos ſemper habeant oculos mentis, ne, quod ſæpè contingit, ſint ipſi cæci, & duces cæcorum. Ideoquè nolite putare, quoniam Principes & Reges ſæculares poteſtates dicuntur, & negotia ſæcularia tractant propterea arceri à rebus ſpiritualibus. Imò uero ad hoc omnia eorum ſtudia, omnes uires, omnes conatus dirigi debent; ut per eorum poteſtatem, & authoritatem illud fiat, ut Deus glorificetur, ut diuina colantur, ut tollatur occaſio peccandi, ut homines accendantur ad benè uiuendum; ut primi corrigantur, ut boni quietè uiuant inter malos: Ob id ſanè dicitur Græcis Rex ἄναξ quaſi ἀνακος medicina non indigens, quia talis eſſe debet Princeps, ut medicina, hoc eſt correctione non indigeat. Quandò autem corrigendus eſt à quo corrigetur, niſi ab Epiſcopo? Neq; uerò profectò myſterio caret, quod admonito Rege de libro legis diuinæ, & de ſtudio illius, adiecit, Accipiat Rex exemplar legis à Sacerdotibus Leuiticæ Tribus: nimirum admonere uoluit Reges, ut ſciant non ſibi licere iudicare de lege, ſed uiuendum illis ſecundum legem; neq; uerò ab eis interpretandam eſſe legem; neq; à ſuis ipſorum doctoribus ſæcularibus, ſed ſequendam interpretationem Sacerdotum, qui præſident miniſtri eius. Sacerdotum ſanè munus eſt intelligere, & declarare ueritatem diuinæ legis, & extricare Principes & Reges in cauſis difficilibus, & in ſcrupulis conſcientiarum. Nam & ſupra præmiſerat, Sequeris ſententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, neq; ad ſiniſtram: Qui autem ſuperbierit nolens obedire Sacerdotum Imperio, moriatur homo ille, & auferes malum de Iſrael, cunctuſq; populus audiens timebit, ut nullus deinceps intumeſcat ſuperbia. Itaquè

rius Noſter, præter id quod nullum feret punctum, ſoluet pro Matutino, & Prima hora granum unum, pro hora Tertia, Sexta, & Nona, & Miſſa Maiore unum, & pro Veſperis unum. Non intelligatur autem interfuiſſe Matutino, qui non interfuerit & Officio horæ Primæ canonicæ; neque interfuiſſe Miſſæ maiori, qui non interfuerit Officio Tertiæ, Sextæ, & Nonæ, ſimul idquè à principio ad finem. Huic eidem pœnæ ſubijcimus Canonicos, atq; etiam ipſas Dignitates, ut qui minores ſunt exempla ſumant à maioribus, unde uerum eſt illud.

A' boue màiori diſcit arare minor.

E x *ordine porrò inferiori, tàm Diaconus, quàm Subdiaconus, ad dimidiatum granum condemnabitur; at uerò Clericus ad tres caballos. Eaquè tota pecunia, quam abſentes loco pœnæ exoluent, accreſcet præſentibus, & Deo ſeruientibus.*

P r o *diebus communibus ad coercendam multorum, effrenatam licentiam & ne vnquàm (quod ſemper moliti ſumus) deſit certus, ac determinatus numerus ſeruientium Deo, poſtquàm neq; omnes, neq; plures; ſed paucos valde uidemus, qui æmulatores ſint diuini cultus, permittimus ut omnes cuiuſq; ordinis Clerici iudicio Archidiaconi, Archipræsbyteriq;, & Cantorum, diuidantur in tres Claſſes, & una quidem ſeruiat anno integro Feria Secunda, & Quinta; Altera Feria Tertia, & Sexta: Tertia porrò Feria Quarta, & Sabbato; Omnes ſub eadem lege, & pœna.*

S i c *autem diuidentur, ut Feria Secunda, & Quinta teneantur intereſſe Choro, & celebrare diuina officia.*

Dignitates tres.	Diaconi tres.
Canonici octo.	Subdiaconi tres.
Præsbyteri x.	Clerici octo.

H o c *eſt Quinque & Triginta Clerici maiores, & minores Feria Tertia & Sexta, ſimiliter quoq; Quarta, & Sabbato duæ Dignitates, & reliquorum omnium par numerus, hoc eſt quatuor & triginta.*

N e *autem fraus vlla, aut etiam per obliuionem aliquis error hic locum habere poſſit; volumus ut uno quoq; die exigantur, & grana, & caballi ab illis, qui non interfuerint; quod ſi Procurator menſæ Capitularis negligens fuerit, ſoluat de proprio: idq; ſimiliter per ſingulos dies, de quo ipſe fidem faciat Reuerendo Archidiacano.*

P r i m v s *autem ex Dignitatibus, qui vno quoq; die de more interfuerit Officio, vel Miſſa diligentiſſimus ſit, & oculata fide uideat, vt Punctator*

ſine

ſine ulla exceptione perſonarum ſecundum iuſtitiam pungat, & expungat, ſimiliter ut is, qui librum tenet pro iuſtitia ſcribat, & deleat, ne eorum vel iniquitate, uel ignorantia uiuificentur mortificandi, & mortificentur uiuificandi, hoc eſt pungantur expungendi, & expungantur pungendi; qui ſcribendi ſunt deleantur, & qui delendi ſunt conſcribantur; ſuper qua re oneramus conſcientiam omnium Dignitatum. Nam illis unis, quò ad hanc partem, & non alijs ius reddendi denarium diuinum Operarijs uineæ Dominicæ, hoc eſt diſtribuendi maſſam communem creditum eſſe volumus; præſertim verò Reuerendo Archidiacono, qui in huiuſmodi rebus eſt oculus Epiſcopi, ut ſæpius diximus.

SI qui diebus non ſuis, hoc eſt non ad ſuam Claſſem pertinentibus, venerint ad diuina officia celebranda benedicti ſint à Domino, & puncta ſua ferant; qui non uenerint, ut neq; puncta ferent, ſic neq; rei habebuntur coràm nobis, modo ſuis diebus non deſint; ipſi tamen uiderint, an rei habendi ſint coràm Deo, cui ſe ſe ab initio ſponte, & non ui, aut metu, per omnem uitam, & non per aliquos paucos dies, dedicauerunt.

VOLVMVS autem ut per ſingulos annos mutentur Claſſes, ut ſinguli tandem vno quoq; triennio longa conſuetudine, & uſu, in ſingulis partibus diuinorum Officiorum ſufficienter inſtruti ſint, & alios etiam inſtruere ualeant.

INTEREA porrò omnis hic quantus, quantus eſt Clericorum, qui extat numerus diſtribuatur in claſſes modo prædicto, & ſinguli, quum Deo iuxta leges ſeruiunt, puncta referant; ſed nullus poſthac promoueatur ad ſacros ordines, donec nimietas, vt ſupra dictum eſt, ad æqualitatem reducatur.

QVOD ſi magna aliqua ratione paucos aliquos promoueri contigerit, iubemus vt illi non participent de maſſa menſæ Capitularis, niſi ad eam præciſè rationem & menſuram, qua prius participare ſoliti erant in minoribus ordinibus conſtituti, quouſq; in aliorum deficientium loca ſubſtituantur.

QVI autem ad minores ordines promouebuntur, donec & ipſi ſubſtitui poßint in locum aliorum contenti ſint honore, & immunitatibus Eccleſiaſticis, quibus gaudent: de prædicta autem maſſa nihil omninò participent, ponentes in magno lucro, quod admißi ſint ad ſeruiendum Deo, & ad perdiſcendam diſciplinam Eccleſiaſticam; In qua niſi profecerint, ſciant ſe neq; ad ſacros ordines, neq; ad participationem Maſſæ fore unquàm admittendos.

QVVM defuncti loco alius quiſpiam inter participantes ſubſtituendus erit; uideat Vicarius, vt ad minus per annum cum laude functus fuerit eo miniſterio, quo is, qui defunctus eſt, dum uiueret, fungebatur. Si autem duo concurrerint, uel omninò plures, ille præferatur, qui excelluerit literis, & moribus. Quod ſi pares fuerint, honor deferatur antiquitati; antiquitati inquàm non tàm annorum, quàm vſus & ſeruitutis ipſius Eccleſiæ in diuinis. Deniq; ſi in ipſo concurſu nihil erit, quod in uno, uel in altero re ipſa præponderet, ille grati-

ficetur, quem Vicarius honorare uoluerit:

STET *tamen hoc firmum, & fixum, ut is qui in defuncti locum ſucceſſerit non ſtatim participet ad largiorem illam rationem, & menſuram, qua prædeceſſor participabat, ſed uetere ſua portione contentus expectet integrum annum, & intereà ita fungatur miniſterio, ut dignus ſit, cui ſequente anno iudicio Archidiaconi, Archipræsbyteri, & Cantorum, autoritate Vicarij noſtri meritò augeatur annona.*

SERVETVR *autem cum omnibus, & perpetuò ſolennis ſit hæc ratio diſtributionis pecuniarum ex communi maſſa, ut Quarta pars detur Clericis, Tertia Diaconibus, & Subdiaconibus, Sacerdotibus autem Canonicis, & Dignitatibus æqualiter Integra, ita tamen, ut quiſq; tantum pro rata parte officij, cui interfuerit, participet, ne uel minus referat, qui plus laborauit, vel plus obtineat, qui vix in Choro ſuæ ipſius perſonæ copiam fecit; & omnes uelut quadam eſca trahantur ad Chorum, dum illis etiam qui ſerò ueniunt non nihil pecuniolæ erogatur.*

QVOT *quot à communi celebratione diuinorum officiorum in Choro tribus menſibus perpetuis abſuerint, niſi infirmitatis cauſa impediti, quæ etiam legitimè conſtiterit Vicario noſtro, plectantur in primus ſecundum Canones, ſeu ad arbitrium Vicarij alia pœna, & deinde creſcente negligentia, aut contumatia, niſi reſipuerint, tanto ſeruitio indicentur indigni, & tanquàm ij, quibus diuina non ſapiunt, quiq; occaſionem quærunt recedendi ab ipſo Dei cultu, excludantur pœnitiùs ab ipſo ſelecto numero participantium Clericorum.*

AB *hac ipſa communi lege illi, non tàm excipiendi, quàm ſuo iam iure ſunt excepti, quorum ſenecta, & ſenium labor eſt & dolor; illi inquàm qui cum laude vixerunt, & dum florerent iuuenes & uiri die ac nocte uerſabantur in Choro, uacantes diuinis officijs, corde, ore, & opere abſquè querela; ut propterea in decrepita ætate, quæ incurabilis infirmitas eſt, conſtituti milites ueterani, & emeriti dici poſſint, quos ex publico ærario alendos eſſe, & lex præcipit, & docet, ratio, & uſus habet.*

EODEM *priuilegio illos gaudere par eſt, qui pro rebus Eccleſiæ & Capituli, atquè etiam menſæ noſtræ Epiſcopalis, procurandis, conſeruandis, defendendis, mittuntur à nobis, uel à Capitulo, etiam ſi ipſos Parthenopei Regni fines egreſſi annum integrum abfuerint: Nam quum vniuerſæ Reipublicæ noſtræ ſeruiant à Punctatore, & à Procuratore, atquè demum à nobis, & ab ipſo toto Clero quò ad maſſam groſſam capitularem, quæ ter in anno diuidi ſolet, non abſentes, ſed præſentes reputandi ſunt, quanquàm non eſt eadem ratio de diſtributionibus minutis, & quotidianis.*

ID *ipſum commune erit duobus Clericis, qui Epiſcopum ipſum Capituli caput & gregis Paſtorem, ac patrem, quocunquè ierit comitabuntur; perſonæquè ipſius fami-*

ſamiliariter inſeruient, etſi enim de uictualibus, de candelis, & aliquibus Xeniolis, quæ in officijs mortuorum aliquandò erogantur, non participant, pro rata tamen prædictæ maſſæ groſſæ portione priuari omninò non debent.

AD conſeruandas autem quòad fieri poteſt facultates menſæ Capitularis, quæ ſi fides adſit, & diligentia, & Capitulum noſtrum non ſæpè pluſquàm par ſit ſumptu & magnificentia prodeat, communibus neceſſitatibus ſatis eſſe poterunt. Statuimus ut poſthac inter cæteras electiones, quæ menſe Auguſto ab eis fieri ſolent, eligantur uno quoquè anno duo Procuratores Capituli, & non iuxta ueterem ac merito reprobandam conſuetudinem unus ſolus. Inter eos unus ſit Canonicus, alter Dignitas. Munus Canonici erit pecunias omnes quauis ratione Capitulo debitas exigere non acerbè quidem, ſed tamen diligentisſimè; Dignitatis autem exactas recipere, cuſtodire, & impendere non quidem auarè, ſed tamen ſumma fide.

IDCIRCÒ ſub pœna priuationis & Canonicatus & Dignitatis præcipimus, ut nullo unquàm tempore onus, aut exigendæ pecuniæ Canonicus, aut cuſtodiendæ Dignitas recuſare audeat. Dignitas porrò in gratiam ſublimitatis gradus, quem tenet in Eccleſia noſtra gratis fungatur ſuo ipſius procurationis munere. Canonico autem permittimus propter multos labores, quos exigendo perferre neceſſe eſt, ut ab ipſo Capitulo conſtituatur annuum Xeniolum, quod tamen duodecim ducatorum ſummam non excedat.

IVDICIVM de ſumptibus faciendis ſit eorum, quos ordinatos uocant Triumuiros, qui tamen, quoties ſumptus quinque ſupra decem ducatos exceſſerit, omninò teneantur aduocare Archidiaconum, & Archipræsbyterum; quorum conſilio nitantur, & ſi neceſſe eſt utantur etiam opera; ne errent, ne hæreant, ne repræhendi iure à nobis poſſint.

VT ne caballus quidem expendatur temerè, utquè ſinguli de Capituli gremio, ratiocinij tempore, res publicas & communes quanta fide, diligentiaquè tractantur uidere poſſint, in omnibus ſumptibus, ſiue magnis, ſiue paruis, Dignitas, in cuius manu eſt pecunia ad ſuam ipſius cautelam per ſingula quæquè requirat ab ipſis ordinatis mandatum, quo ſemel & iterum, ac tertio pecuniam petant, quin & ſuo tempore teſtimonium habeant, quod ſemel receperint; utraq́ fides ſit in ſcriptis, & ſua ipſorum manu ſignata, quæ etiam exprimat pecuniæ ſummam, ſimul & rem, cuius gratia, hominemquè cui pecunia, & danda & data fuerit. Ita & mandato, & cedula munitus depoſitarius, ſecurus comparebit in iudicio, dum illi nomine Capituli, dicet Vicarius noſter. Redde rationem œconomiæ tuæ.

NE in ſuſpitionem fraudis, furti, aut etiam negotiationis uenire poſſit exactor, præſertim quum ſit Canonicus, cui optabilius eſſe debet mori, quàm fœdari; uolumus ut qualibet hebdomada conſignet Dignitati eas omnes peculiolas,

quas exegerit. Iubemuſquè ut ipſa Dignitas etiam in illo ipſo libro exactoris manu propria fidem faciat receptæ pecuniæ, noteté͂ menſem, hebdomadam, & diem.

CAVEAT *exactor ne hebdomada ulla prætereat, in qua non id totum quod exegerit ſcriptione ſua repoſuerit in regeſtum, & conſignauerit Depoſitario; deprehenſus enim, etiam ſi exigua fuerit denariorum ſummula, meritò reus habebitur: Quia os Domini locutum eſt. Qui in modico infidelis eſt, in multo quoquè infidelis erit.*

PRO *fabrica Eccleſiæ noſtræ uolumus, ut ſit alius exactor proprius, iſquè Canonicus, cui etiam ſi non in prætium certè in teſtimonium laboris aliquid omninò dandum erit. Pecuniam porrò ipſam, quæ exacta fuerit, gratis recipiat, & cuſtodiat idem pecuniæ Capitularis Depoſitarius, hoc eſt eadem Dignitas.*

IN *ipſis autem ad fabricam ſumptibus, Statuimus, ut eædem prorſus leges, & iura ſeruentur, quæ iam iam decernebamus circa ſumptus Capituli.*

IN *Eleemoſinis porrò relictis, & legatis pro celebratione Miſſarum, ut exactor eſt proprius, ſic ſit proprius etiam depoſitarius, ſed hic omninò non ſecus quàm in maſſa communi ſit Dignitas; non eadem tamen, ſed alia, quæ nullo mercedis intuitu, gratis Deo & Capitulo ſeruiat. Exactor autem erit præsbyter non Canonicus, qui non ad mercedem quidem, ſed uice Eleemoſinæ, & ad ſuſtentationem oneris annuam portionem habebit infra ſtatuendam. Quò ad alia, quæ huc ſpectant, præſcriptæ leges ſatis ſint.*

QVONIAM *autem dum Laicus uigilat, & Clericus dormit periculum eſt, ne in dies magis, ac magis, & bona & iura Capituli uſurpentur, Occupentur, diripiantur, præcipimus in uniuerſum Capitulo noſtro, ſingulariter autem Archidiacono & Procuratori Capituli, ut duos conficiant libros honeſti uoluminis, quorum unus deſcripta contineat non ſummatim, ſed ſigillatim omnia bona menſæ Capitularis, ædes, uineas, cenſus, emphiteoſes, nomina quoquè eorum, à quibus relicta ſunt, notariorum qui de iis inſtrumenta ſtipulati ſunt; dies, annoſquè quibus hæc facta fuerunt; ſimiliter & debita ad quæ Capitulum ipſum eorum bonorum ratione tenetur pro animabus defunctorum: Scribantur etiam in eo libro permutationes, ſi quæ factæ ſunt retroactis temporibus. Alter porrò liber breui ſumma contineat ſubſtantiam totam, & medullam omnium & ſingularum quæ in archiuio ſunt Scripturarum, Legatorum, Donationum, Teſtamentorum, Codicillorum, quæ ad menſam Capitularem ſpectantia, non dum acquiſita, in ſuſpenſo ſunt. In quo etiam libro ſcribentur alia quæ pro tempore fient: Ut hanc lucem habentes poſteri diligentiores eſſe poßint, quàm maiores noſtri fuerunt, & occaſionem habeant prouidendi rebus publicis Capituli, & orandi Deum ac Beatißimam Virginem pro omnibus nobis.*

VTERQVÈ *porrò liber ſumma fide conſeruetur tanquàm Theſaurus Capituli, & ſæpius uideatur, legaturquè, & relegatur ab ijs qui & prudentes &*

experti

experti in rebus ipſius Capituli zelum inſuper habent ipſius Eccleſiæ, ut quum occaſio occurrit ad commune beneficium referant toti Capitulo; quæ omnia ut commodius fieri poſsint, utrique libro præponatur index alphabetarius, cuius auxilio ad manus ſint ſtatim quæcunquè ſuo tempore, & loco deſyderabuntur.

EIVSDEM publicæ utilitatis gratia iubemus conſtitui duos Clericos bonæ fidei, prudenteſquè, & expertos, qui ſchedas Notariorum diligenter inquirant, & perquirant, notentquè omnia & ſingula, quæ ad hanc rem facere iudicabunt & referant Capitulo. Archidiaconus autem prouideat ut cuncta redigantur in libros ad futuram memoriam. Quod ſi in hac re aliquid inſumendum fuerit ille ipſe expendat, & notet, ſumma fide, teneaturquè Capitulum ſtare verbo illius.

HORTAMVR autem ſingulos Notarios ut ſe ſe benignos & faciles exhibeant in oſtendendis inſtrumentis, & cæteris, ſcripturis, unde Eccleſia illuminari poſsit ad notitiam rerum ſuarum, quod qui fecerint benedictionem noſtram conſequentur: qui uerò facere aut contempſerint, aut neglexerint, ſciant ſe eſſe excommunicandos, & coràm Deo iam excommunicatos, quia quod in eis eſt, uiam obſtruunt ſaluti, & viuentium & defunctorum; ideoquè iubemus Vicario noſtro ut ſuper iјs nemini indulgeat.

QVOD dictum eſt pro Eccleſia noſtra Cathedrali, eadem lege obſeruari mandamus ab omnibus Rectoribus particularium Eccleſiarum: ne bona earum diripiantur, & dilapidentur, in qua re qui negligens fuerit, tanquàm infidelis diſpenſator & miniſter, ſeueriſsimè puniatur à Vicario noſtro, & nihilominus cogatur, ut omninò libros uel librum conficiat iuxta tenorem prædictum, & inſuper diligentiam faciat ſuper ſchedis Notariorum.

DE his rebus ad exonerandam conſcientiam noſtram, & ad erudiendum populum noſtrum decretum edidimus huius tenoris.

QVONIAM hac noſtra tempeſtate, uerè tempeſtate, qua abundat iniquitas, & refrigeſcit charitas, ſicut olim Ægyptij oderant paſtores ouium, ita nunc Laici oppidò infeſti ſunt Clericis, & plerunquè ea quæ illis ſunt debita non reddunt, quæ illorum ſunt uſurpant, & quòd magis dolendum eſt, ad æternam animarum ſuarum perditionem, iuriſdictionem ſpiritualem temerè ingrediuntur, nullam differentiam facientes inter Sacrum & profanum, tranſgredientes terminos, quos ipſe Deus poſuit, & Patres noſtri, Deo volente, conſtituerunt. Nós quoniam in manibus Summi Pontificis, & Sanctæ Sedis Apoſtolicæ iureiurando promiſimus conſeruare, ac tueri, ampliarequè, & quòad poſſumus etiam diſtracta recuperare ſpiritualia quidem in primis, ſed & temporalia, ſine quibus uix illa diu ſubſiſtere poſſunt, atquè adeò omnia bona iuraquè Eccleſiæ noſtræ Botuntinæ, cui tametſi indignè præfecti ſumus. Et prætereà intelligimus poſtquàm Deo fauente omnes & ſingulos ſubditos noſtros per ipſius gratiam in ſuis iuribus

confouemus, quàm diuino humanoq́ iure teneamur ad ius dicendum ſponſæ noſtræ, id quod omninò citra periurij crimen, aut negligere, aut diſſimulare non poſſumus. Ad erudiendum in primis populum noſtrum, quem optamus in his, quæ Dei ſunt omnibus alijs populis eſſe meliorem. Ad tollendam deinde aliquibus eam, quam prætendere ſolent excuſationem ignorationis, deniq́ ad omnium malorum hominum conatus in poſterum refrenandos, machinationesq́, & conſilia deſtruenda, ne culpa fortaſſe noſtra extollere ſe audeant, Gygantum more, aduerſus Dominum, & aduerſus CHRISTVM *eius. Sacra hac approbante Synodo ſanctione præſenti ſalubriter ordinamus, quin potius à Sanctiſſimis Concilijs generalibus iam pridem ſancitum fuiſſe declaramus. Præcipientes primò, ſecundo, & tertio peremptoriè, iuxta eorum rationabiles, & ſacratiſſimos Canones, Vt nulla particularis, vel publica perſona, neq́ ſocietas, neq́ Collegium, neq́ vniuerſitas bona mobilia, ſeu immobilia, aut iura, ſiue perpetua, ſiue temporalia, iuriſdictiones, honores, ius eligendi, vel conferendi aliquam Eccleſiam, vel præbendam, locum, redditum, uel ad venerabile Capitulum noſtrum, uel ad aliquod Monaſterium Religioſorum, ſiue mendicantium, ſiue monachorum, ſiue monialium, vel demum ad menſam noſtram Epiſcopalem, quouis modo, vel titulo pertinentia, aut in totum, aut in partem, vſurpare impedire, directè vel indirectè inuadere; aut aliter occupare præſumat, aut uiolenter etiam detinere, & ſpoliare poſſeſſione, ſiue fructuum, ſiue vſusfructus percipiendi, quicunq́ illi fuerint. Similiter ne quiſpiam de teſtamentis, de matrimonialibus cauſis, de vſuraria prauitate, & de alijs cauſis Eccleſiaſticis, quæ ad forum noſtrum, vel de iure, vel ab antiqua conſuetudine pertinere noſcuntur cognoſcere, aut iudicare præſumat abſq́ noſtra, aut Vicarij noſtri ſpeciali licentia, in ſcriptis obtenta. Singulares autem perſonas, quæ contra præmiſſa uel omnia uel ſingula, ſiue facto, ſiue mandato, ſiue expræſſo conſilio, ſiue etiam conſenſu, aut fecerint, aut attentauerint; excommunicationis ſententia innodamus. Collegium porrò & Societates, Congregationesq́, & vniuerſitates ſubijci volumus Eccleſiaſtico interdicto.*

VNVM *illud ſummoperè neceſſarium nobis uidetur ad uidendas, intelligendas, adminiſtrandas, & conſeruandas rationes, tàm menſæ Capitularis, quàm reliquorum beneficiorum Cleri noſtri, ut quoniam tempus magnas in rebus omnibus facit mutationes ad minus quolibet quindennio reficiatur cataſtum, libramentum, & quod vocant appratium bonorum quorumlibet Eccleſiaſticorum, tàm priuatorum, quàm communium. Nam & hoc ipſo annorum numero ſolent à Regibus & principibus indici deſcriptiones Regnorum, & Principatuum ſuorum, ne per temporis iniuriam aliquid iacturæ patiatur in ſtatibus ſuæ ipſorum ditioni ſubiectis.*

ET *ita ex nunc fieri mandamus dictum appratium infra terminum à Vi-*

tario noſtro in edicto, quod autoritate noſtrâ publicabitur, & ut moris eſt affige-tur ſtatuendum.

SI *quis autem in dicto appretio Ananiam, & Saphiram imitatus fuerit, vt quomodolibet fraudare Eccleſiam non vereatur, non dubitet, quicunq; ſit, ſe eſſe priuandum illo beneficio, in quo (ut verbo Principis Apoſtolorum vtamur) mentitus fuerit, non tàm hominibus, quàm Spiritui Sancto.*

ECCE *nunc tandem ſubijcimus leges ſumptuarias, quas ab ipſo Capitulo noſtro inuiolabili iure ſeruari mandamus, vt qui & ſcimus, quàm magnum ſit vectigal Parſimonia, & timemus ſi hos fines præterierint, citò futurum eſſe, vt illis deſit, unde ſumptus pro Eccleſia Sancta neceſſarij ſuppeditentur, adeò in Laicis pietas erga Clericos defecit, adeò Religio, & cultus Dei in Ciuitate noſtra refriguit.*

LEGES SVMPTVARIÆ.

IN PRIMIS AD DIVINI CVLTVS SPLENDOREM, *& gloriam ſuſtineatur quidem omnis ille muſicorum noſtrorum numerus, qui præter cantum quotidianum & regularem in Odæo ſuper Chorum artificioſè, vel (ut aiunt) figuratè Deo canunt diebus feſtis totius anni, idq; ad Miſſam maiorem, & ad Veſperas, ſed tamen illi, tanquàm filij noſtri, & de gremio noſtro contenti ſint ducatis quatuor ſupra viginti, quos Præfectus Capellæ diſtribuat inter eos omnes, vt ſuæ ipſius conſcientiæ uidebitur, adhibito iudicio Archidiaconi, & Archipræsbyteri.*

ILLIVS *Muſici, qui laudat Deum in Organis, niſi alienigena fuerit, ſtipendium ſit is numerus ducatorum, qui eſt & muſarum.*

IN *eos qui Secretarium vel (ut aiunt) Sacriſtiam cuſtodiunt, & adminiſtrant, diſpenſentur annuatim ducati octo ſupra decem.*

DVOBVS *Punctatoribus in Choro aſsignentur ducati bis terni & Miſsarum Punctatoribus totidem.*

ILLE, *qui exigit eleemoſinas Miſſarum celebrationibus debitas, eleemoſinam & ipſe habeat, ſed infra ducatos decem.*

SCIAT *Canonicus Procurator, vel exactor menſæ Capitularis, cui biſſenos ducatos parum ſupra aſsignauimus uno quoq; anno ſe teneri, quoties oportuerit, ad exigendas gratis omnes anni ſui capitationes.*

CANONICO *Procuratori Fabricæ quolibet anno dentur Caroleni decem.*

RATIONALIBVS *quot quot fuerint pro omnibus & ſingulis unius anni ratiocinijs, dentur ad ſummum ducati ter duo.*

OMNINO

OMNINO autem in eis includi volumus rationes Sanctiſſimi Diuinæ Eucharistiæ Sacramenti, cui non in omnibus & per omnia gratis inſeruire abſq; ullo mercedis intuitu, immane eſt, atq; nefarium præſertim Clerico, ſiue maiori, ſiue minori.

MINISTER Fori, vel Nuntius Curiæ, quem iuratum vocant ſenis ducatis annuis ſit contentus.

DIE illo feſto & fauſto Purificationis Beatæ Mariæ ſemper Virginis & Genetricis Domini Noſtri IESV CHRISTI in cereolis ad proceſſionis pompam, & ad myſterij tantæ lucis, & gloriæ celebritatem diſtribuendis in Eccleſia expendantur ad minus, ducati bis decem, ad ſummum quinq; & viginti. Et hic ſumptus ſaltem fiat in nundinis Sancti Nicolai menſe Decembris, neq; vltra differatur.

SVMMOPERE autem ſine vlla perſonarum exceptione caueatur, vt neq; ex Eccleſia noſtra, neq; ex Parochijs, ſed neq; ex monaſterijs, vel monachorum, vel monialium, aliqui omnino cereoli mittantur per domos, ſiue ad viros, ſiue ad mulieres; ne occaſione noſtra ſanctus hic ritus in profanum conuertatur, & quod Religioni ſeruire debet ſuperſtitioni iam & ambitioni deſeruiat. IN Thure & luminibus ſuper altaria, iubemus, vt aliquantò largiores ſint Procuratores & ordinati, quàm hactenus fuerint; quod omninò præſtare etiam poterunt, ſi eandem omninò, & non maiorem pecuniæ quantitatem, ſed ſuo tempore, & vt par eſt, prudenter expendent.

SERMO AD SYNODVM, DE FORO EPISCOPALI, DEQVE RATIONE, ET ADMINISTRATIONE SIMVL EPISCOPALIS IVRISDICTIONIS.

VIX SCIO FRATRES, FERE' NESCIO, VNDE *hodiernum ſermonem auſpicer; locuturus fora, lites, iura, iurgia, cauſas, partes, contentiones, circumuentiones, calumnias; idquè præter omnem morem meum, qui nihil aliud odi magis, quàm amarulentiam, detractionem, odium, inimicitias, rixas, linguas mendaces, labia doloſa; & omnia, quæ inimica ſunt charitati, & paci. Et audio quidem eos qui me amant, Quid tàm ſtulto labore conſumeris? cur non parcis tibi? nequè enim fortitudo lapidis, fortitudo tua, nequè caro tua ænea eſt, aut ferrea. Fortaſſe uerò & ſpiritus meus interdum mihi blanditur, & dicit, Cur non redimis tempus? Cur perdis meliores horas? Tela aranearum ſunt hæc negotia litium, ſunt afflictio ſpiritus, ſunt euiſceratio mentis, ſunt inanitio gratiæ. Enimuerò, Neceſſitas cui non imperat? Neceſſitati quis non paret? Parochi Iuriſdictionem non habent ſuper ſuos ipſorum Greges, niſi in foro pœnitentiæ; atquè ideò nobis tandem incumbit onus, ut non ſolum in Sacris literis, quas ò utinam vobiſcum quotidie uerſare liceret; quis enim me dici poſſet beatior? Sed & in rebus profanis, in agris, in poſſeſſionibus, in agnis, in cimino, in bombyce, præbeamus nos auditores, exauditores, finitores, qui ſtatuamus, iudicemus, decernamus, iubeamus, mandemus, prohibeamus, puniamus; arceamus, relegemus, deponamus. Ita tandem illa omnia*

nia

nia, ſuper quæ meritò nauſeabat anima mea uos feciſtis, neſcio quo pacto, ut iam cibi mei ſint quotidiani; Ecqui cibi? panis tribulationis, & aqua anguſtiæ. Deum enim nolumus deeſſe noſtro numeri, dum cauemus, ne oriantur ſcandala, dum timemus illi æternum veh, per quem ſcandalum uenit dum prouidemus, ne ſæcularis poteſtas ut ſæpè ſolet ſe ingerat, & cum periculo multarum animarum immittat falcem in meſſen alienam; ubi nutriebamur in croceis, amplectimur ſtercora, rudera, quiſquilias, dicam modeſtiſsimis verbis Sacræ ſcripturæ, Rachelem relinquimus, & cum Lya negotiamur; Diuertimus à Maria, quæ ſedet, & paſcitur verbo Domini, & ſatagimus cum Martha quæ miniſtrat, & turbatur erga plurima. An non uidetis iam quadrimeſtre integrum per ſingulos dies me nihil aliud facere quàm à mane uſquè ad ueſperam audire litigantes? procuratores? aduocatos? eosquè ſapientes ad perſuadendum falſum? eloquentes ad impugnandum uerum? Struentes calumnias, contra innocentiam? inſtruentes technas, & dolos contra ſimplicitatem? ſic quotidie fora obſtrepunt, & aures meæ quaſi ad catadupas Nili iàm obſurduerunt. Verum dicam. Utinam ſufficeret diei malitia ſua, ſed dies diei eructat noua litigia, & nox noctis indicat noua odia, nouas diſputationes, & nouas dilationes, ad obſtruendas uias Iudicij, ad deſtruendas rationes Veritatis. Quis iam ex vobis mihi non compatiatur? Dolens dico & condolens. O quàm ſæpè erumpit ex meo pectore Apoſtolicum illud, Sic non eſt inter uos ſapiens, qui amicè componat & iudicet inter Fratrem & Fratrem? Certè non ſubeſtis Principibus Ethnicis, quibus illud erat, & in ore frequens, & in corde perpetuo infixum, Diuide, & Impera. Subeſtis Regi Catholico PHILIPPO Auſtriaco, quo nemo melior in toto orbe terrarum, qui nihil magis eſurit, & ſitit quàm iuſtitiam, & illam unam in ſuis ipſius populis iuſtitiæ ſobolem, pacem, atquè concordiam. Non ne ergò indigniſsimum eſſe uidetur, præſertim in hac noſtra Ciuitate Regia, quæ pro inſignibus habet Oliuam paciferam, non eſſe decem uiros primarios, qui præ cæteris εἰρηνοποιοὶ hoc eſt pacifici dicantur? ſitquè eorum onus, imò uerò honos, ut quum primum audiunt timeri in populo, ne oriatur aliqua lis inter duos uicinos, inter duos affines, inter duos conciues, antequàm ebullire incipiant animi, iræ, furores, antequàm ſerpens hinc inde (vt ſolet) ſpargat uirus odij, liuoris, inimicitiæ; antequàm res deferatur ad Epiſcopum, ut feriat anathemate hunc, & illum; curent ut negotium intelligatur, tractetur, componatur, ita ut ex lite amicitiam, & ex bello pacem faciant? Quod quia facere negligitis in cauſa eſt ut illud de me quoquè impleatur. Alius ducet te quò tu non uis. Verè ducimur quò nolumus: Ipſi enim teſtes eſtis, nos deputaſſe non priuatos homines, ſed communes & publicos, hoc eſt non Laico, ſed Clericos, eosquè omni exceptione maiores, non inquàm ut olim in primitiua Eccleſia moris erat Diaconos, ſed Sacerdotes, deputaſſe inquàm tanquàm feciales nuntios, & arbitros pacis, qui omnem curam, omnem diligentiam adhibeant, ut breui

manu

manu dirimatur quicquid eſt litium in populo noſtro; Quid? ipſi non tanquàm iudices, ſed tanquàm medici ſpirituales animarum ueſtrarum, nihil prætermiſimus, nihil non egimus, ut lites omnes ceſſarent, ut ſileret prorſus forum, ut nullæ telæ iudiciorum texerentur, ut omnes in pacis gaudio læti tranquillam uitam uiueretis. Semper enim inſonant in aures meas duæ illæ voces Eccleſiaſticæ ad Primam, & ad Sextam horas Canonicas.

Ne litis horror inſonet.
Extingue flammas litium.

*E*T *tamen quid profecimus? Flammæ litium non extinguuntur in cordibus ueſtris, atquè ideo horror litium adhuc inſonat in auribus noſtris. Athenienſes D. Paulus iudicauit nouarum rerum cupidos; Vos ego ipſe iam diù iudicaui (Utinam uerò fallar) nouarum litium cupidiſſimos. Vellem mentiri, ſed quod hactenus iudicare poſſum; hoc eſt. Vix pauci ſunt ex vobis, qui non delectentur litibus, qui non faciant perpetuas, atquè, etiam quod multò eſt grauius, hæreditarias lites? Ad uerecundiam ueſtram dico, quicunquè hic adeſtis, cur me cogitis ad forenſia, ad concertatoria, ad dictatoria iudicia? Opto uidere orbum litibus hoc meum forum; & uos quotidie lites litibus nectitis, & lites nunquàm, niſi litibus reſoluitis? Fortaſſe verò non exerta voce dixit Apoſtolus, Seruum Dei non oportet litigare? Fortaſſe non ſcripſit ad Titum, Epiſcopus ad Epiſcopum, Apoſtolus ad Apoſtolicum, Admone illos non eſſe litigioſos, ſed humanos? Et appoſitè quidem contraria fecit humanitatem, & litigium: Nam humanitatis eſt facilè tribuere, non acerbè exigere, de ſuo non nihil concedere, alienum nihil uſurpare; contraria porrò omnia faciunt, qui litibus gaudent. Et quid eſt humanitas, ſi non eſt amor hominum? hoc enim nomen habet apud Græcos* φιλανθρωπία: *Profectò uerò ſi quis dixerit, litigium eſſe amoris uenenum, non aberrauerit à uero. Quis enim mecum litem habet, & me diligit? Certè cogitari poteſt, ſed contingere uix poteſt, ut tecum ſit mihi lis, & tecum ſit mihi pax. Itaquè quoniam teſtamentum* CHRISTI *eſt ipſa Pax (Nota eſt enim illa ſuauiſſima vox, Pacem relinquo vobis) & character hominis Chriſtiani, quo diſcernitur à non Chriſtiano eſt ipſa charitas ſuo iure Epiſcopus, cui* CHRISTVS *uices ſuas commiſit, ne in* CHRISTVM *ipſe committat, quod litigioſis uolentibus non facit, nititur ut illis nolentibus faciat: hoc eſt enim, quod & de ipſo Deo dicit non ſemel Diuus Auguſtinus, Si de nobis non facit quod uult, quia ipſi non uolumus, facit in nobis quod uult, quod ipſi uolumus. Oportuerat quidem ante omnia ut Botuntini tanquàm non ſanguine humano, ſed ſtirpe diuina progeniti, filij inquàm Dei, in quibus habitat Deus, qui eſt totus amor, & charitas, amore inuicem, officio, ſtudio-*

què,

què, & charitate contenderent, ut beneuolentia & beneficentia alter alteri non cederet, ut pulchra hæc quæſtio, Quis plus diligit, qui plus diligitur, nunquàm finem haberet; quiſq; generosè uel ſuperare amando uel certè parem eſſe non tàm verbo quàm opere comprobaret. Sed poſtquàm malorum omnium ſator inter uos quoquè ea ex parte qua filij ſæculi eſtis, ſuperſeminauit Zizania, rixas, inimicitias, negotia, lites; illud tanquàm ſecunda gratia neceſſarium eſſe uidebatur, ut ne ullo unquàm tempore cogeretur Epiſcopus, qui pro CHRISTO *in omni cauſa peccati eſt conſtitutus Iudex, contra aliquem ferre ſententiam æternæ mortis, nam cui mortem comminatur Epiſcopus, comminatur &* CHRISTVS *iudiciorum Epiſcopi conſcius, & comprobator. Nolite enim putare Epiſcoporum dum pro* CHRISTO *bella gerunt exarmatam eſſe authoritatem, & poteſtatem; Non ſolum enim baculum habent, ſed & gladium, imò uerò & gladios duos, Monent, hortantur, corripiunt, increpant, adde & benedicunt, & offerunt, & orant, & impoſita pœnitentia ſalutari peccata remittunt, hæc omnia ad baculum ſpectant. Quod amplius eſt, à gladio eſt; nam Iuriſdictione Eccleſiaſtica tanquàm hierarchæ, omnes & ſingulas cauſas in foro exteriori audiunt, iudicant, interpretantur, determinant; decreta faciunt, ſententias dictant, pœnas inferunt, & reos cohercent; cohercent inquàm per cenſuras iudicij Eccleſiaſtici citando, detinendo, relegando, indicendo exilium; ſuſpendendo, mulctando etiam pœna pecuniaria, interdicendo, excommunicando, degradando, & demum tradendo poteſtati ſæculari, cui ſoli datum eſt vt ſanguinem fundat, idq; totum huc pertinet, vt omnino per ipſos Epiſcopos, tanquàm per Dei Vicarios peccata tollantur, & regnet charitas, & pax inter omnes* CHRISTI *fideles. Primum illud ad poteſtatem ordinis ſpectat, hoc ſecundum ad iuriſdictionis. Et illa quidem poteſtas Sacerdotium* CHRISTI *conſequitur, hæc autem Regnum, vt propterea poteſtas Epiſcopi gemina ſit, Sacerdotalis inquàm & Regia; ſicut* CHRISTVS *fuit, & Rex, & Sacerdos, quanquàm non Sacerdos, niſi ut homo, Rex autem ut homo, & ut Deus. Sacerdotalis porrò authoritas noſtra non exercetur niſi in humiles, & obedientes; atq; ideò in eos qui ſunt ſimiles Angelis; qui quum peccauerint ſponte ſua in foro conſcientiæ ſe ſe ſubijciunt Sacerdotibus; at verò Regia exercenda eſt in filios Diaboli; in obſtinatos, ſuperbos, rebelles, dicam propriè & ſignatè uno verbo in homines iuxta illud, Quum ſit inter zelus & contentio, nonnè homines eſtis, & ſecundum hominem ambulatis? Et illud, Non permanebit ſpiritus meus in homine quia caro eſt. Ἡγεμὼν Eccleſiæ eſt Epiſcopus, quo titulo Dionyſius Areopagita honorauit Moſen Ducem Synagogæ ἡγεμονία non eſt nomen dignitatis, nomen authoritatis extiſtimationis, ut ἀξίωμα, Sed eſt nomen poteſtatis, vt & ἐξουσία poteſtatis inquàm quæ eſt ius dicendi, & dicendi in omni cauſa, ut ad eam ab inferioribus ſit prouocatio, appellatio: An non eſt & poteſtatis nomen Paſtor;*

nam & Rex dicitur Paſtor, apud Homerum enim idem eſt ποιμὴν λαῶν, & εωσ λεβσ ἔχλων. *Eſt quidem tàm Regnum, quàm Sacerdotium* CHRISTI, *atq; ideo poteſtas Regia, & Sacerdotalis Epiſcopi principaliter circa ſpiritualia; tamen quia temporalia, & corporalia queq; ad ſpiritualia aliquo modo referuntur nimirum propter peccatum ſaltem, & cauſam peccati, vnde mors oritur, & damnatio animarum, non iam duo Regna, ſed vnum Regnum conſtituunt, Regnum inquam Eccleſiæ, Regnum* CHRISTI, *quòd ab eo ipſo, quod principale eſt, nomen habet diciturq; Regnum cælorum, quanquàm nota eſt illa uox* CHRISTI, *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra. Rogo intelligite, & aduertite. Non indiget cælum terra, Terra indiget cælo; ſine ſpiritu corpus non uiuit; Spiritus autem vitam habet ſeiunctus à corpore: Omnia Deo indigent, qui & ſpiritus eſt, & pater ſpirituum, Deus autem bonorum noſtrorum non indiget. Non ſic ſe habent ſpiritualia, & temporalia in Epiſcopo Fratres, non ſic, non ſic. Epiſcopum enim qui non tàm præeſſe cupiat, quàm prodeſſe neceſſe eſt etiamſi ad cæleſtia, ad ſpiritualia, ad diuina, ſit maximè intentus, & terrena queq; corporalia, atq; humana contemnat; neceſſe inquàm eſt ad tempus derelinquere verbum Dei, ad cuius dulcedinem multò libentiùs recumberet & dormiret cum Ioanne, ut cum Petro circumeat atria, caleſiat ad ignem, miraq; anxietate, atq; ſollicitudine videat finem negotiorum, quæ vexant membra* CHRISTI, *in quibus vix ſubſiſtunt ſpiritualia, ſine temporalibus, atq; ideò oportet Epiſcopum etiam de temporalibus ſollicitari. Res certè Eccleſiaſticæ, & quæ beneficia vocant, ſecundum ſe ſpiritualia ex toto non ſunt: ſed quoniam cum ſpiritualibus tantam connexionem habent, vt diuelli nequeant, Oportet vt ab Epiſcopo tractentur, audiantur, videantur, iudicentur, in quo & ſæpè iubet poteſtati temporali, vt per diſciplinæ terrorem illud exequatur, quod ipſe primum ut fieret conſuluit, iudicauit, dictauit. Omninò autem omnia, quæ in mundo ſunt etiam ſi nulla ratione ſpiritualia, aut ſpiritualibus connexa uideantur; propter peccatum, tamen & cauſam peccati ſi modò denuntientur Epiſcopo poſt omnia tandem iudicia ſubeſſe oportet foro ipſius Epiſcopi in ſua Eccleſia, & in uniuerſo orbe Romano Pontifici, cui in Petro; vt oues ſunt creditæ, ſic claues ſunt traditæ; quanquàm iuriſdictio propriè non eſt illius; profectò uerò ex Fide uerè chriſtiana & catholica huius Epiſcopalis Iuriſdictionis ortus eſt ille titulus, orta eſt illa lex Iuſtiniani. De Epiſcopali Audientia; cuius ſcopus ille fuit, qui & CHRISTI Regis Regum, nempè animarum ſalus, & ne quiſpiam in peccato moriatur; ſed Epiſcopus tanquàm Pater omnium, omnium ſalutem procuret, omniumq; inferiorum Iudicum & iniquitatem & imperitiam corrigat & emendet, quod nimirum fundamentum eſt totius Eccleſiaſticæ Iuriſdictionis, contra quam ne portæ quidem Inferi vllo vnquàm tempore præualebunt.* CHRISTVS *illam ſibi emit, emptamq; reliquit*

Petro

Petro & ſucceſſoribus ſuis, velut in æternum ſuam. Nolite putare hanc ipſam talem, & tantam poteſtatem præiudicare Regibus. Ecquanta eſt poteſtas Regum etiam in cauſa Religionis? Nam & Anaſtaſius huius nominis Pontifex Secundus appellat eos Vicarios Dei; Et ex ipſis hiſtorijs didicimus ab initio ſæculi in adminiſtratione rerum ſpiritualium nunquàm non indiguiſſe Sacerdotes, & opera doctorum virorum, & authoritate Principum ſæcularium. Et quidem quum hæc tria ſe inuicem iuuant cultus Dei, ſcientia virorum prudentum, & poteſtas Regia; non poteſt non fœliciſſimè Regi humanum genus, ſicut contra quum vel diuinus cultus negligitur, vel Viri docti ad oſtentandam ſcientiam erigunt cornua, & conflant hæreſes, vel deniq; quum Principes ſchiſmata excitant aduerſus Religionem tum corruunt iura, leges, mores, & omnia. Certè uerò nemo neſcit, ut non uetera, ſed noua commemorem quantum iuuerit cadentem Religionem CAROLVS *Quintus, &* FERDINANDVS *Frater ambo Cæſares, ambo Auguſti, ambo Tridentini Concilij, quod hæreticorum funus appellare par eſt, patroni & tutelares. Quid porrò non egit tempore Concilij Conſtantienſis* SIGISMVNDVS *Imperator, & tempore Concilij Piſani* CAROLVS *Rex Francorum, quum Sacerdotes eſſent, tàm ceſſatores facti, quorum uel negligentia, uel impotentia de tota Religione actum eſſe videbatur? Neq; enim pij illi Principes temporibus, tàm duris & diris attendebant communes leges, vel ſcripta decreta, ſed eam & neceſſitatem, & charitatem, quæ nullis humanis reſtringi poteſt legibus, imò aduerſus quam nulla eſt lex. Sicq; mittentes manum ad fortia pugnantibus, & repugnantibus Sacerdotibus illis, quorum quiſq; pro Hierarcha ſe gerebat pacem dederunt Eccleſiæ, quod Chriſtianus orbis ad hunc uſq; diem admiratur, & præ gaudio obſtupeſcit. Extat autem inſigne teſtimonium in ſacris literis, quod & Onias ille Iudæorum ſummus Sacerdos, quum Religio ſuo ipſius tempore tantis procellis agitaretur, iudicauit impoſſibile eſſe, ſine regali prouidentia rebus pacem dari, atq; ideò adijt Regem. Hæc omnia huc ſpectant, vt intelligatis & ſpirituales, & ſæculares, quod ad tollendos è Ciuitate malos mores & uitia duæ hæ poteſtates ſe ſe inuicem iuuare debent. Moſes dicebat. Quis det ut omnes prophetent? Ego dico quis det ut omnes laborent ad faciendam uoluntatem Patris noſtri, qui in cœlis eſt? Ille enim etſi vult ſpiritualia præponi temporalibus, atq; ideò Sacerdotes Laicis; non vult tamen inter has poteſtates eſſe contentiones & iurgia; Imò verò non vult etiam vt poteſtas ſæcularis putet ſe eſſe contemptum & deputatam tantum ſæcularibus negotijs, quaſi nihil ſit illi de ſpiritualibus cogitandum, ſed ita adminiſtrare debet temporalia, & bello & pace, & domi, & foris, ut ſemper mentem intentam habeat ad Dominum omnium poteſtatum Deum, qui vult ita exerceri poteſtatem in temporalibus, vt etiam homines per bonos Reges & Principes reddantur aptiores ad ſpiritualia; hic enim eſt finis pacis ciuilis, ut iniuſtitia,*

iuſtitia, & ſanctitate ab omnibus gradibus ſeruiatur Deo, & cum bella gerun tur, tum maximè agendum eſt, ut populus declinet à peccatis, & religiosè famuletur Deo; quia Deus eſt Dominus exercituum: equus enim paratur ad diem belli, ſed Deus dat uictoriam. Itaq; Principes ſæculares omninò miniſtros Dei ſe eſſe intelligant, hoc enim nomine honorat Principes Paulus Apoſtolus: Dei enim, inquit, miniſter eſt; Et propter hoc maximè iubet inter ſacra myſteria orari pro ſalute Regum, & omnium qui in ſublimitate ſunt conſtituti, vt ſub eis tranquillam vitam agamus ad ſeruiendum Deo in omni pietate & honeſtate. Et quidem ore ſuo Deus benedictus in Deuteronomio uix ſermonem compleuerat de conſtituendo Rege, & ſtatim ſubiecit; Quum fuerit conſtitutus Rex, non multiplicabit ſibi equos, non habebit uxores plurimas, quæ alliciant animum eius, neq; auri & argenti immenſa pondera; Sed poſtquàm ſederit in ſolio Regni ſui deſcribet ſibi legem, & habebit ſecum, legetq; eam ſemper omnibus diebus vitæ ſuæ, ut diſcat timere Dominum, & cuſtodire verba, & ceremonias eius, quæ in lege præcepta ſunt. Cernitis Filij & Fratres, quum omnibus chriſtianis neceſſarium ſit (ſi beati eſſe cupiunt) Ecquis eſt, qui non cupiat ſe mederi in lege Domini, Regibus tamen in primis, qui aliorum Duces eſſe debent mandari ab ipſo Deo, vt in ipſam Dei legem intentos ſemper habeant oculos mentis, ne, quod ſæpè contingit, ſint ipſi cæci, & duces cæcorum. Ideoquè nolite putare, quoniam Principes & Reges ſæculares poteſtates dicuntur, & negotia ſæcularia tractant propterea arceri à rebus ſpiritualibus. Imò uero ad hoc omnia eorum ſtudia, omnes uires, omnes conatus dirigi debent; vt per eorum poteſtatem, & authoritatem illud fiat, vt Deus glorificetur, vt diuina colantur, vt tollatur occaſio peccandi, ut homines accendantur ad benè viuendum; vt primi corrigantur, vt boni quietè uiuant inter malos: Ob id ſanè dicitur Græcis Rex ἄναξ quaſi ἀνακής medicina non indigens, quia talis eſſe debet Princeps, ut medicina, hoc eſt correctione non indigeat. Quandò autem corrigendus eſt à quo corrigetur, niſi ab Epiſcopo? Neq; verò profectò myſterio caret, quod admonito Rege de libro legis diuinæ, & de ſtudio illius, adiecit, Accipiat Rex exemplar legis à Sacerdotibus Leuiticæ Tribus: nimirum admonere uoluit Reges, ut ſciant non ſibi licere iudicare de lege, ſed viuendum illis ſecundum legem; neq; verò ab eis interpratandam eſſe legem; neq; à ſuis ipſorum doctoribus ſæcularibus, ſed ſequendam interpratationem Sacerdotum, qui præſident miniſtri eius. Sacerdotum ſanè munus eſt intelligere, & declarare veritatem diuinæ legis, & extricare Principes & Reges in cauſis difficilibus, & in ſcrupulis conſcientiarum. Nam & ſupra præmiſerat, Sequeris ſententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, neq; ad ſiniſtram: Qui autem ſuperbierit nolens obedire Sacerdotum Imperiò, moriatur homo ille, & auferes malum de Iſrael; cunctusq; populus audiens timebit, ut nullus deinceps intumeſcat ſuperbia. Itaquè

quum hæc ita habeant, quum inquàm Reges & Principes ſint miniſtri Dei, ſed ſub miniſtris principalibus, qui ſunt Sacerdotes; Certè confidenter Epiſcopus tanquàm miniſter Dei à comminiſtro ſuo auxilium quoties opus eſt petere debet, ſi qui cum iniuria Dei viuunt, ſi qui cenſuras Eccleſiæ negligunt, ſi qui in blaſphemijs linguam relaxare præſumunt, ſi qui in Eccleſiaſticos Viros dentatos calamos parant, ſi qui tumultus excitant, ſi qui odia & inimicitias ſeminant, ſi qui pacem publicam turbant; Principum autem ſæcularium eſt, vt ad nutum Sacerdotum ſpiritualem poteſtatem adiuuent, foueant, ſuſtentent, exerceantq; uires ſuas contra haſce Ciuitatis peſtes & funera: Quod quum facit miniſter Regis, tunc uerè miniſtrum Dei, & Regium agit, & fit conſequenter in populo, vt nemo uel hanc uel illam poteſtatem contemnat; Sed omnes utranq; & timeant & uenerentur, unde & uterq; Rector abſq; labore præſideat, ac gubernet, quaſi Paterfamiliâs in domo, quaſi Præceptor in literario ludo. Sed iam non licet progredi longius. Sint igitur hæ leges & iura fori noſtri Iudicialis, quod contentioſum uocant, utinam uerò falſo uocarent, & verè contentioſum non eſſet; ut iuſtitiæ non contentionibus deſeruiret. Recte enim D. Paulus, Si quis contentioſus eſſe uidetur inter uos, nos talem conſuetudinem non habemus neque Eccleſia Dei.

SEQVVNTVR DOCTRINA,
& Canones de modo Iudicandi, & de Pænis.

REVERENDVS VICARIVS OMNES CAVSAS *amicè componere ſtudeat, abſquè tela iudicij; quas porrò non poteſt is non ſolum quàm diligentiſſimè, ſed quàm celerrimè terminet pro iuſtitia: ne partes quo diutius litigant, eò grauiores ſumptus, & maiora incommoda patiantur; & ne ipſe & miniſtri eius uideantur contra fas ſeruire cupiditati, & lucro: quia decet Epiſcopale forum non ſolum carere auaritia, ſed & omni ſuſpitione auaritiæ, quæ eſt radix omnium malorum.*

ITAQVE *Taxam, quã pro loci, & cuiuſquè rei, ac perſonæ conditione, Sacra approbante Synodo, in ſcriptis præfinimimus in ſingulis cauſis, & actis exigi liceat, ultra exigere non liceat.*

SIVE *Arbitrum, ſiue iudicem agat Vicarius, dum lis uertitur inter potentiorem, & tenuiorem, memor ſit Moſaici verbi, Si rectè offeras, & non rectè diuidas peccaſti. Itaquè rectè diuidat, ut neque illius uultum obſeruet, neque pluſquàm par eſt paupertatis, huius miſereatur. Porrò ubi gratificationi ſit locus, ſi de re agitur, deferat tenuiori; ſi de honore, non nihil tribuat nobiliori.*

AGNOSCI-

AGNOSCIMVS *duas eſſe animas Ciuitatis, ut ſic loquamur cum Philoſophis gentium, Præmium, & Pœnam, ſpemquè præmij & pœnæ metum; Inde enim extimulantur tanquàm calcaribus, & alacres redduntur homines ad honeſtam uitam, hinc tanquàm freno coercentur; ut ſaltem tardiores euadant ad ſcelera: Sed quæ nam præmia polliceri poſſumus, quæ ſint digna chriſtiana uirtute; atquè adeò chriſtiano uiro, præter illa æterna bona, quorum fideiuſſor eſt* CHRISTVS IESVS, *& fidei commiſſarius, chorus Apoſtolicus? Porrò malis hominibus, quos æterna ſupplicia, tanquàm inuiſibilia, non terrent, neceſſarium fuit proponere temporales pœnas, quarum metu, ſi non animum, manum ſaltem cohibeant à ſcelere. Numerant leges ſæculi ad temeritatis, & audaciæ furorem cohibendum uaria pœnarum genera. Damnum pecuniæ, carceres, & uincula, Verbera, & fuſtigationes, Vincula, Talionem, ciuilem inſamiam, Exilium, Seruitutem, Mutilationem, ultimo Mortem; quanquàm propter non nullos, qui mortem uix timent, addunt tandem horrenda quædam genera mortis, Tormentum Rotæ, Damnationem ad patibulum, & uiuorum concremationem; Et nemo veſtrum ignorat Draconem illum ferè omnibus cuiuſcunquè peccati conuictis reis irrogaſſe mortis pœnam, propter quod adagium factum eſt, Draconem ſcripſiſſe leges non atramento, ſed ſanguine. Secutus eſt deinde Solon qui & ipſe Legum lator, inter Athenienſes, pœnis longè mitioribus adoriri cœpit humanæ uitæ emendationem. Eccleſia igitur Sancta Dei, quæ eſt omnium pia mater inter pœnas flagitioſorum hominum, ne mortem quidem nominat, ut quæ uult omnes, & ſingulos peccatores conuerti & uiuere: ſed poſt correctiones, poſt pœnas pecuniarias; poſt ſuſpenſiones, poſt interdicta, ultimum quod comminatur ſupplicium eſt ipſa Excommunicatio; quæ & ſi morte grauior uideri debet (Quid eſt enim excommunicari, niſi extra communionem fieri? extra communionem* CHRISTI? *extra communionem Eccleſiæ; & quæ in terris militat, & quæ triumphat in cælis?) Tamen uia eſt ad recuperandam ſemel, ex quocunquè ſcelere, ne hæreſim quidem excipio, & corporis, & animæ æternam uitam; non enim quempiam anathemate ferimus, ut qui percuſſus eſt intereat, ſed vt ſanetur, & ſalutari pudore ſuffuſus, Deo ferente, opem, qui nulli deeſt niſi defuerit ipſe ſibi; conuertatur, ſatisfaciat, & redeat ad gremium uitale Sanctæ Eccleſiæ, quæ tanquàm Gallina congregat, nutrit, fouetquè pullos ſuos, ut uitam habeant, & abundantius habeant, per* IESVM CHRISTVM *Dominum Noſtrum.*

REDVCIMVS *autem ad memoriam miniſtrorum noſtrorum, quod in primitiua Eccleſia, ſicut ex Sacris literis apparet, propter quatuor cauſas tantum, excommunicare conſueuerunt maiores noſtri. Propter hæreſim in primis iuxta illud. Si quis aliud euangelizauerit, præter id quod accepiſtis, anathema ſit; & ea crimina quæ hæreſi, aut etiam, infidelitati ſunt annexa, ſicut blaſphemia, pro-*

pter quam D. Paulus Himeneum, & Philetum tradidit Sathanæ, ut diſcerent non blaſphemare. Secundò propter peccatum aliquod inſigniter grande, & enorme, citra hæreſim, quale fuit illud apud Corinthum, de quo Apoſtolus cum lachrymis conqueritur, & de eo qui tantum ſcelus patrarat, dicit. Tradidi eum Sathanæ in interitum carnis, ut ſpiritus ſaluus fiat. Tertiò propter conuerſationem inquietam, & publicè ſcandaloſam; nam eſt generalis illa ſententia Apoſtolica. Si quis nominatur inter uos fornicator, aut auarus, aut idolis ſeruiens &c. cum huiuſmodi nec cibum ſumere: quod intelligi debet, ubi ſemel ſit monitus, nam excommunicatio pœna quidem eſt, ſed (ut dicebam) medicinalis, atquè ideò ordinatur ad ſalutem peccatorum, non ad perditionem. Quartò propter contumaciam, & inobedientiam, quæ tandem conſummatio eſt omnis peccati, Unde Apoſtolus. Si quis non obedit verbo meo, hunc notate, & non commiſceamini cum illo ut confundatur.

ITAQUE hæc ante oculos noſtros ſemper habentes, non libenter audimus in foro noſtro, ob quaslibet cauſas etiam leues, & euaginari, & uibrari gladium excommunicationis, placuit enim nobis ſemper illud Carmen.

> Si quoties peccant homines ſua fulmina mittat.
> Iuppiter; exiguo tempore inermis erit.

CERTÈ verò efficitur, ut hebetetur acies gladij huius, ita ut non ſolum non feriat, ſed ne pungat quidem; undè & ſæpè ſæpius contemnatur. Atquè ideò iubemus expreſſè ut in hac parte ad unguem obſeruetur Decretum Sanctiſſimi Concilij Tridentini.

GENERALITER autem admonemus Vicarium noſtrum, ut meminerit ſe in hoc ipſo Vicariatus officio referre perſonam Epiſcopi; Epiſcopus autem pater eſt ſuorum populorum, atquè ideò ſibi data eſt poteſtas patria, poteſtatum omnium temperatiſſima, ut quæ filijs conſulit, & prouidet, ſequè non ante ſed poſt illos curat. Imperat Rex proceribus, Imperat Præceptor Scholaribus, Centurio militibus, Imperat & Pater filijs; Sed quàm diuerſa dominandi, & imperandi ratio? Vicarius itaquè nihil non tentet, ut ſententiam differat; trahi & cogi ſe patiatur, antequàm manum mittat ad ſtylum decretorium. Meminerit ſemper uocis illius Imperatoris, dum ſententiam ferre cogeretur, quam uocem tantoperè laudauit Præceptor, Vellem neſcire literas, Amari cupiat, magis, quàm timeri: Non tam rigorem, quàm æquitatem amplectatur: & inſuper: Ubi liceat mitiſſimo pœnæ genere ſit contentus. Nimium uerè dictum eſt, Propè eſt, ut libenter damnet, qui citò damnat; & ut iniquè ſæuiat, qui nimis ſæuit. Ità qui non eſt clemens, facilè, crudelis efficitur; quod auertat Deus à Vicario noſtro.

ID

ID nunquàm accidat miniſtris noſtris, non permittat Vicarius in foro noſtro, cauſidicum, & aduocatum aliquem patrocinari cauſis, qui intuitu lucri, uel calumniandi ſtudio, communi Ciuitatis fama, dicatur fouere quicquid iniquum, & iniuſtum eſt. Generaliter autem omnes & ſingulos iubeat iure iurando ſe obſtringere nullam unquàm ab eis ſuſcipiendam cauſam, quam iniuſtam eſſe aut nouerint, aut certò credant bona fide, & abſquè fallacijs.

DICI non poteſt, quàm uehementer doleamus, dum in utroquè foro Eccleſiaſtico & ſæculari, uidemus per omnem orbem terrarum in ius trahi, ſæpè ferè pro nihilo, quoſdam ſimplices idiotas, & agreſtes homines, fraudum urbanarum (ut ſic loquar) prorſus ignaros, contra quos nefaria crimina, & iniquiſſimæ cauſæ, ab illis quos promotores uocant, lucri cauſa, ſæpius confinguntur, quos etiam non iure ſed iniuria uexant, infeſtant, terrent; ſi non comparuerint rebelles, contumaceſquè faciunt; ſi comparuerint diſcipulis interrogationum, & repetitionum circulationibus captant, illaqueant, comprahedunt uſquè adeò; ut ad redimendam tandem iniquam, & intolerabilem uexationem, cogantur inire quaſuis iniquas, & ſordidas, ſicut illi ab initio machinabantur, pecuniarum compoſitiones; & impletur in ipſis miniſtris iuſtitiæ (cur non dixi iniuſtitiæ?) impletur inquàm illud; Lucrum in archa, damnum in conſcientia. Monemus ergo Vicarium noſtrum, & omnes noſtros in hoc ipſo foro noſtro miniſtros, ut ſemel ſciant, & ſemper meminerint, quantum interſit inter iudicium Eccleſiaſticum & ſæculare. Equidem ad utrunquè pertinet iniuriam propulſare, ad neutrum inferri. Sedenim iuſtitia Eccleſiaſtici fori, tanquàm fori diuini, ut pote fori Epiſcoporum, qui inter hominem, & hominem pro Deo iudicant, debet eſſe non ſolùm inimica omnis uerſutiæ, & fraudis; ſed plena omnis ſinceritatis, & charitatis. Atq; ideò per uiſcera miſericordiæ Domini Noſtri IESV CHRISTI rogamus, & obſecramus, ut in illis cauſis, quas & neceſſarium, & dignum erit iudicari à noſtro Vicario (opta enim ut non omnes admittantur; ut multa committantur) ipſe Vicarius pro pauperculis ouibus, quas uidet manibus Luporum rapi, trahi, diſpergi, laniari; zelo plenus inſurgat aduerſus huiuſmodi impudentes, & attritæ frontis uiros, ut aliquandò tandem ſi non timeant, erubeſcant ſaltem uultum ſuum, & deſiſtant à uexandis pauperibus, pro quibus mortuus eſt CHRISTVS. Vnde & ipſe Vicarius tandem ab illorum inſidijs, ac ſtrepitu ſolutus ac liber, accomodato, & fideli cauſarum compendio pro iuſtitia litibus finem imponere poſſit.

OCVLOS *habeat Vicarius directos ſemper non tàm ad homines, qui ea uident ſolum quæ foris patent, quàm ad Deum, qui luſtrat praua corda noſtra, & diſſolutos renes cogitationum noſtrarum; atquè ideò caueat, ut ne animo quidem in officio ſuo peccet, quando hæc poteſtas Eccleſiaſticæ Iuriſdictionis principaliter hunc ſcopum habet, ut peccata uitentur, & nemo in peccatum incidat,*

aut ſaltem qui cecidit in peccato non remaneat. Quod quidem ſæcularis poteſtas nullatenus per ſe ſe efficere poteſt, ut quæ animam non attingit, ſed corpus, & corporalia tantum. Quàm grauis pœna igitur nos, & miniſtros noſtros manebit, ſi ipſi in officio noſtro peccauerimus, atquè etiam alios, ad peccandum, turpis lucri exemplo, potiſſimum inuitauerimus, accenderimus, prouocauerimus, imò & coegerimus; iuxta illam Pauli Apoſtoli uocem ad Petrum. Cogis iudaizare.

QVOTIES autem cauſa uertitur inter duos forſan æquè potentes, & dum uterquè aſſeclas, & fautores habet, periculum eſt ne ſcindatur tota Ciuitas & oriatur tumultus, & ſcandalum in populo: cogat Vicarius etiam ſub pœna excommunicationis alterum illorum, aut, ſi opus eſt, utrunq; ad concordiam, & pacem.

SOEPE' contingit ut Laicus malitia & dolo, relicto ſuo foro, iudicium eccleſiaſticum adeat, quod quia peccatum eſt per ſe ſe, & prætereà eſt ingentium ſcandalorum ſeminarium, Vicarius ad cauenda peccata, & occaſiones peccatorum, ne ſemel quidem illum admittat; moneat potius grauiter, & ſeuerè, ut accedat ad ſuum ipſius forum, & illius poteſtati obediat in omnibus, non ſolum propter iram, ſed & propter conſcientiam: quia hæc eſt uoluntas Dei, ut poteſtatibus obediatur, neq; ſubterfugiatur iudicium Principum, etiam ſi mali fuerint. Verum quum res poſtulat, & ipſe adhibito maturo conſilio, in quo oneramus conſcientiam ſuam (ſæpè enim multa licent, quæ raro expediunt) illud non ſolum licere, ſed expedire iudicabit confidens in Domino iure ſuo rectè; & ritè utatur; quia & Deus non poteſt negare ſemetipſum, & maledictus qui facit opus Domini negligenter.

MONEAT autem ſæpè ſæpius miniſtros Iudicij ſæcularis, ut ſi Iuſti Iudices eſſe uolunt ſicut debent, in cauſis ſpiritualibus ad exemplum Catholicorum Regum, quorum authoritatem exercent, nullatenus ſe ingerant; Doceantquè eos fraternè, quod ſicut ad iudicium requiritur prudentia, ne temerarium ſit, & Iuſtitia ne ſit iniquum, & peruerſum; ſic ante omnia requiritur authoritas, ſine qua eſt prorſus irritum; nempè contra ius, & contra fas illegitimum, & uſurpatum. Nulla eſt autem authoritas ſæcularium hominum in ſpiritualia quò ad iudicandum; quia Deus fecit Lunam in poteſtatem noctis, non diei.

PROVIDEAT Vicarius indicta pœna, ne per Magiſtrum actorum aliquando contingat extra archiuum noſtrum deportari inſtrumenta, proceſſuſuè, ſiue alia acta, & ſcripturas, quæ ad curiam pertineant. Et prima quidem uice delinquentem publicè confundat, Secunda etiam mulctet, ſecundum qualitatem ſcripturæ, Tertiò ab officio omninò deponat.

ADNITATVR quòad fieri poteſt, ut & Magiſter actorum, & Procurator Fiſcalis, & ipſe etiam Nuntius curiæ, Clerici ſint, ſiue de gremio noſtro ſiue etiam alienigenæ; hoc eſt, ut breuiter dicamus, nè omninò ſint Laici, idquè ea potiſſimum ratione, ut neſciant Laici quid faciant Clerici.

SERMO

SERMO SYNODALIS, DE VITA, ET HONESTATE CLERICORVM.

SI VNQVAM ALIA'S, HODIERNA HAC *die præ cæteris, Conſacerdotes; Oro, obſecro, obteſtor attentas præbete aures, attentos præbete animos. Hic ſermo totus eſt veſter, vos unos petit, vos unos tangit, ad vos vnos dirigitur; Vobiſcum, de vobis, imò verò nobiſcum, de nobis, dicturus ſum: at non pro nobis, ſed contra nos. Vtinam verò* CHRISTVS IESVS, *quem in Deo laudamus verbum, quem in Domino laudamus ſermonem; qui æternum in principio verbum Dei, in fine temporum, exijt ſermo inter homines; dum ipſi peccata noſtra cognoſcimus, ipſe ignoſcat; dum nos ipſi iudicamus; ipſe abſoluat; & ſicut ſyncero animo, non defenſores, ſed accuſatores noſtri erimus, ita ipſe viciſſim conceptas aduerſus nos deponat iras; & pro nobis in conſpectu Dei Patris meliora loquatur, quàm Abel: Cur dixi, in conſpectu Dei Patris? addere debueram & in conſpectu ſuo; nam & ipſe, Deus eſt; & ille ipſe verus, & vnus Deus, cui reconciliamur; ſicut eſt, & Sacerdos, per quem reconciliamur; & ſacrificium, quo reconciliamur; & templum, in quo reconciliamur. Nota eſt vox illa ſua, Multa habeo de vobis loqui, & iudicare: & illa, Stemus ſimul, Iudicium ſit inter me & te. Ecquis noſtrum ab auditione hac mala non timebit? Si enim in die iudicij non poterit quiſpiam mortalium ſecurus ſtare pro anima ſua ante faciem eius, & reſpondere ei vnum pro mille; quid de nobis dicendum eſt, à quibus præter noſtras, tot hominum animæ, in tàm diſtricto examine requirentur? Quòd ſi tàm grande periculum nobis imminet propter aliena peccata; quàm longè grauius eſt periculum illud, in quo verſamur propter peccata noſtra? Illa tantum non arguimus, ſilemus diſſimulamus: at noſtra perpetramus, perpetrata non erubeſci-*

mus, non horremus, non corrigimus; neq́ verò ſolum non corrigimus, ſed itera mus, augemus, utinam ſi non verbo, opere ſaltem & perſeuerantia non defenderemus, non probaremus, non laudaremus. O nos miſeros Fratres, Ecce enim, ex ſacris literis audimus ſummum illum iudicem Deum, per inuictam noſtram impœnitentiam, uicta (ut ſic dicam) illa ſua patientia, Angelis miniſtris irarum, dum ultionis phialas effundunt in populum, præcipere, A Sanctuario meo incipite, in meos Flamines, & Archiflamines deſæuite, nulli parcite, generatio eſt exaſperans, fregerunt iugum, ruperunt uincula, alienati ſunt retrorſum, & propter eos blaſphematur quotidie nomen meum inter gentes. Et quidem vetus querela eſt, ipſi ſcitis, Omne malum prodire de Templo. Utinam verò eſſet vetus, & non eſſet vera: Vera eſt Fratres, & iam non eſt vetus, ſed facta eſt noua; & renouatur in dies magis ac magis, vireſq́ acquirit eundo; neq́ unquàm inueteraſcet, ut intereat, ut finem accipiat, niſi nos contra, renouemur, & ueterem uitam deponentes, induamus nouam; non nouam quidem illam, quæ communis eſt Chriſtianorum omnium, qui per ſanctum Baptiſma exuunt ueterem Adam, & induunt CHRISTVM: *alia eſt nouitas vitæ, & multò ſublimior, atq́ pretioſior, quæ requiritur in Clericis, ab ea, quam ipſi exigimus ab omnibus Chriſtianis. Sicut enim ille, qui inter Laicos eſt Sanctæ conuerſationis & vitæ, non proptereà Sacerdotij munus vendicare ſibi poteſt, quòd ſi vendicauerit, Veh illi, qui rem ſanctam, & bonam temerè ſibi uſurpare præſumpſerit; nemo enim ſibi aſſumit hos honores, ſed qui vocatur à Deo; ſic, è diuerſo, veh nobis, qui Sacerdotes ſumus, ſi vitam noſtram, ſcelerum plenam, ſi mores noſtros inhoneſtos, & inconditos, hoc ipſo ſolo Sancti Sacerdotij munere, quo tàm indignè fungimur, exiſtimauerimus placere ipſi Deo; quum ſcriptum ſit, Sacerdotes tui induantur iuſtitiam; & ob id ſcriptum ſit, vt ipſi intelligamus, oportere ut non Sacramento ſolum, ſed virtutibus quoq́ & meritis Sacerdotes ſimus, ſi uolumus eſſe grati Deo, qui nos ſublimauit ad magnum hunc honorem Sacerdotij. An verò ignoratis quod ſcriptum eſt, Si peccauerit populus, orabit pro eo Sacerdos; Si autem Sacerdos peccauerit, quis orabit pro eo? Fœlices populi, Fœlices Epiſcopi, qui tales offerunt, eligunt, faciunt Sacerdotes, pro quibus non cogantur orare, ſed quorum ipſi orationibus, antè conſpectum* CHRISTI IESV *in ſuis ipſorum neceſſitatibus, poſſint eſſe ſecuri. Ne dolete quæſo Fratres, ne vultum auertite, ne mihi ſuccenſete, Meliora ſunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oſcula odientis. Et notum eſt oraculum illud Prophetæ, Popule meus, qui te beatum dicunt, ipſi te decipiunt. Neq́ verò profectò, æquum eſt, ut qui in alios quotidie dicimus, nobis muti ſimus, noſtra errata diſſimulemus, nos ipſos palpemus, &, vt verbis ſacris utar, Oſculemur manum noſtram. Sed incipiamus aliquandò tandem de noſtro hoc ſtatu loqui, altius originem noſtram repetentes.*

IN omnibus quę ſub cælo ſunt nationibus, apud nos qui chriſtiana profeſſione cenſemur, Laici ipſi ad commune hominum genus pertinent; nimirum filij ſæculi, nati ex ſanguinibus, ex uoluntate carnis, ex uoluntate Viri; habentes uirum patrem, & mulierem matrem: Clerici contra, quicunq; ſint, extra communem hominum ſortem, computandi ſunt; qui non nubunt, qui non nubuntur, qui non generant, qui non generantur, hoc eſt, qui in ipſo Clericatu non naſcuntur, ſed fiunt, uocante eos Deo; tanquàm cum ſummo illo noſtri Sacerdotij typo Melchiſedech, nón habentes patrem, neq; matrem, neq; ullam prorſus, ſiue aſcendendo, ſiue deſcendendo, genealogiam. À myſterio reparatę ſalutis, nunquàm defuerunt, & ad conſummationem uſq; ſæculi nunquàm deerunt hę duę generationes, filij ſæculi, filij Dei; ut ab orbe condito fuerunt, eruntq; ſemper ſuper terram boni, & mali. Non opponuntur quidem Laici, & Clerici, ut mali & boni; neq; enim numeramus omnes Laicos inter filios Caim, qui fuit Princeps & pater malorum hominum; & ò utinam Sacerdotes omnes numerare poſſemus inter filios, & imitatores Abel, qui fuit pater & exemplar iuſtorum. Sed tamen illi hac una communi uoce appellati ſolent λαὸς, quod eſt populus vnde deducitur Laicus: Iſti non uulgari aut plebeio, ſed prąclaro nomine vocantur Clerici, quod Cleri deriuatio eſt, velut ſorte quadam inſigniter electi, & ſegregati à cæteris hominibus, tanquàm adeps à carne, tanquàm mel à fauo, tanquàm flos ab herba; ut ſint ipſi de ſorte Domini, & Dominus ipſe ſit ſors & pars eorum, vt ſint inquàm ſelecti, & deputati ad hanc ſortem, ad hanc gratiam, vt tanquàm peculiares miniſtri, & ſerui Dei famulentur ſoli Deo, neq; agnoſcant alium Dominum, prąter Deum. Eſt enim κλῆρος illud gręcis, quod ſors latinis. Et quidem, ſi ab Ouo incipiendum eſt; Occiſo Abele, loco illius non tàm natura, quàm gratia humano generi datus eſt Seth, ex cuius ſemine natus eſt Enos ipſius Dei ſingulari beneficio factus caput Clericorum. Nam de eo ſcripſit Moſes, Iſte eſt qui cœpit inuocare nomen Domini, Quod cum ſimpliciter iuxta hiſtorię literam accipi non poſſit, quum Heua mater uiuentium uelut non ingrata Deo in partu Primogeniti ſui primam illam uocem addiderit, Poſſedi Virum per Deum; omnino in hunc ſenſum intelligi debet, ut quia in generatione iuſtorum Enos tertius fuit ab Adam, in nomine quoq; ipſius Sanctiſſimę Trinitatis fuerit author rituum, & ceremoniarum, quibus religioſè nomine publico ab ipſis Clericis colitur Sanctiſſima Trinitas, ipſa inquàm tota diuinitas. Itaq; Clericus non eſt homo ſolum in animam uiuentem, ſicut Adam, non eſt homo Chriſtianus ſolum per fidem CHRISTI, ſicut Abel, in quo ab origine mundi CHRISTVS occiſus eſt; ſed eſt homo Chriſtianus, Religioſus prę cæteris Chriſtianis, & ſuper cæteros Chriſtianos mancipatus ad cultum, & ſeruitium Dei, ſicut Enos Patrum pater, & auorum auus fuit anteſignanus colentium Deum; Colentium inquàm, ſtatis non ſolum locis, diebus, horis, ſed & certis modis, ac

ritibus,

ritibus, qui in accidentalibus quidem ſecundum tempora uariantur, ſed in ſubſtantialibus (ſic enim loquendum eſt) ijdem fuerunt ſemper, & ijdem manent in æternum, ſicut & ipſa Fides atq; Religio, quæ nihil antiquius Hominem abſolutè, qui inter belluas homo eſt, conſtituit: anima rationalis Hominem Chriſtianum, qui inter communes homines eſt flos hominum, efficit Chriſtiana fides. Porrò Clericum, qui (vt ſic dicam) ſemel, iterum, & tertio homo eſt, & quaſi ſublatus in Angelum, initiat ſimul, & perficit cultus Dei, atquè ipſa diuina ſeruitus ipſum quod dicitur diuinum Officium, & celebratio diuini officij: Sicut igitur æquiuocè homo eſt homo pictus, vel mortuus, quia caret anima, ſicut falsò Chriſtianus eſt homo hæreticus; quia ne ſemen quidem CHRISTI *habet hoc eſt fidem; ſic nomine tantum Clericus eſt, & inter laicos meritò collocari debet ille, qui non ſeruit Deo, qui non celebrat diuinum officium. Caue nè mihi obſtrepas Clerice, Nullum eſt mihi beneficium. Hoc eſt primum beneficium, in conſpectu Dei dignum habitum fuiſſe, qui Clericus eſſes, & deputareris ad celebranda diuina officia. Illa quæ ipſi vocatis beneficia, Fratres, illi inquàm redditus Eccleſiaſtici non conſtituunt Clericum, ſed ſequuntur clericatum; hoc ipſum ius, & debitum (dicam verius) hoc priuilegium, hæc dignitas laudandi publicè Deum, & canendi Deo, hoc inquàm eſt, quo conſtituitur Clericus. Vt Clerici quidem digniſſimi eſſe poſſint, etiam ſi nullis gaudeant beneficiis, ſed indignè ſint Clerici, qui eò ipſo quò Clerici ſunt, non putant ſe eſſe diuinis officiis obligatos. Atquè ideò inter laicorum feces reijciendi ſunt, Fratres mei, illi qui fidem fallunt, illi qui promiſſiones irritas faciunt, illi qui vota non reddunt; hoc eſt illi Clerici, qui Deo non ſeruiunt, qui mundo adhuc militant, qui ſibi & ſæculo viuunt, & ea, ad quæ tenentur debitæ ſeruitutis officia ipſi Deo non ritè fideliterq; perſoluunt. Nolite errare. Ab ea primum die, qua quiſq; noſtrum à ſæculi uanitate conuerſus, tondente Hierarcha Cæſariem, profeſſionem emiſit, & audiente Eccleſia conteſtatus eſt ore ſuo; Dominus pars hæreditatis meæ, Deus meus, in manibus tuis ſortes meæ; ab ea inquàm die, ſi ex corde diximus, ſi ficti non fuimus; Deus benedictus factus eſt ſors noſtra, poſſeſſio noſtra, hæreditas noſtra, & viciſſim, ipſi facti ſumus ſors Dei, poſſeſſio Dei, pars, hæreditas, & pæculium ipſius Dei. Et omninò, niſi fedifragi eſſe velimus, hæc neceſſitas nos manet, ut contenti Deo, non quæramus niſi Deum, non amemus niſi Deum; non delectemur niſi in Deo. Ecquanta fœlicitas conſequitur hanc neceſſitatem? Delectare in Domino, inquit, Pſaltes, & dabit tibi omnes petitiones cordis tui. Parum ne tibi uidetur Clerice, partem, & ſortem tuam eſſe Deum? Verè nimium auari ſumus Fratres, ſi non eſt nobis ſatis Deus, ſi præter ipſum Deum adhuc uolumus habere partem cum mundo, cum equis, cum bubus, cum mercimonijs, & omnibus negotijs ſæcularibus, cum foro, cum curia, cum Principibus, cum militibus, litigantes, adulantes, ambientes, uagantes, inhiantes lucru,*

incum-

incumbentes auaritiæ; ementes; vendentes, mutuo dantes, accipientes, congregantes, non uirtutes; quibus meliores ſimus; ſed opes, quarum occaſione, & ipſi ſæpè animas noſtras iugulamus, & alios quoq́ noſtro exemplo in æternam perditionem nobiſcum trahimus: quia ipſi duces populi ſumus. Indicant tria hæc noſtra cognomina Præsbyter, Sacerdos, Clericus. Nomen Præsbyteri, quod origine græcum, ſignificat ſeniorem, & in latina lingua iuxta etymon vocis ſonat præbens iter, admonet nos omnes, qui in uia Religionis anteambulones ſumus, ut tanquàm dignitate ſeniores, & cani ſcientia, ac ſapientia rerum diuinarum, prudentia quoq́, & prouidentia rerum humanarum præſtemus cæteris, ne ſi cæci cæcos duxerimus, utriq́ in damnationis foueam ruamus præcipites. Ad præsbyterium ſanè noſtrum illud pertinet, ut erudiamus plebem doctrina, ut inſtituamus moribus, ut purgemus prece, ut illuminemus exemplo. Vox porrò Sacerdotis, qua intelligitur, & ſacris datus, & ſacra dans, & dux atq́ præfectus ſacrorum, ſtimulus eſt ad Sanctimoniam, & ad Caſtitatem; ut qui perficimus populum Sacramentis; niſi fœditatibus noſtris polluere velimus nomen Dei, quo omnia Sacramenta ſacrantur, & ſanctificantur; non corpore quidem, ſed animo ſimiles ſimus ſanctis illis Eunuchis, qui caſtrauerunt ſe propter Regnum cœlorum, & ineamus fœdus cum oculis noſtris, ut ne ſemel quidem in omni uita noſtra aſpiciamus mulierem, ſed ne cogitemus quidem de muliere ad concupiſcendum. Nam quid tàm immundum, quàm mulier? an non meminiſtis uerbi illius, Hi ſunt qui cum mulieribus non ſunt coinquinati? & illius, Si ſunt mundi à mulieribus? Vnam illam inter mulieres puellam excipio, quæ in ſapientiæ Symbolum nunquàm ſeneſcens Sunamitis, Vtinam in meo quoq́ ſinu requieſcat, & ipſe in ſinu eius requieſcam, & recaleſcam. Tandem uerò hoc ipſum nomen Clerici quod communiſſimum eſt nobis omnibus, ſecurim ponit ad radicem malorum omnium auaritiam, quæ profectò uniuerſi Cleri noſtri peſtis eſt, & morbus incurabilis: nam hæc eſt una noſtra gloria per mundi contemptum, & diuinum amorem, dare omnia pauperibus, & hæc eſt una noſtra ignominia per diffidentiam, & auaritiam proprijs ſtudere diuitiis. Ecquid tàm dedecet uirum Eccleſiaſticum, qui largè diſpenſat bona cæleſtia, & æterna, quàm inſatiabiliter eſurire & ſitire bona tereſtria iam iam interitura? Profectò uerò (ut uerum dicam) Magna quædam doctrina CHRISTI *ſumma ea ſententia concluditur, qua dixit* CHRISTVS IESVS, *Quid prodeſt homini ſi uniuerſum mundum lucretur, animæ uerò ſuæ detrimentum patiatur? Quàm breuis, & quàm lata ſumma? quàm excelſa ſapientia? quàm uerà neceſſariaquè doctrina? Sed enim tanta ſapientia, tanta authoritas, tanta ueritas non ne fabula eſt? non ne ſomnium eſt? non ne delirium eſt homini auaro? cui anima eſt pro obolo? Deus pro nihilo? pecuniola pro toto mundo? Verè Fratres Ita eſt, Ita eſt, auarus ſubſannat* CHRISTVM, *& ipſa auaritia eſt apertisſima ſubſannatio Euangelij* CHRI

STI.

STI: Poteſt ne ergò quiſpiam Clericus eſſe auarus, & fideliter miniſtrare CHRISTO? certè nemo ad CHRISTI ſeruitium tam ineptus, quàm Clericus auarus. Ergo quia omnes ſumus Clerici, quia omnes ſumus miniſtri CHRISTI, quanquam alij maiores, alij minores; nam neque tonſura eiuſdem eſt latitudinis, licet eiuſdem figuræ in apice capitum noſtrorum; Omnes propterea odiamus auaritiam; Omnes contemnamus diuitias: Omnes uictu; ueſtituquè contenti ſimus; Omnes lucra temporalia nihili faciamus, ſpiritualia quæramus; cupiamus, ambiamus, diligamus. Omnes in hoc unum incumbamus, ut ab omnibus curis, & negotijs liberi, non ſeruiamus niſi Deo, non delectemur niſi in Deo, non inhiemus niſi amori ipſius Dei, uſquè adeò ut faſtidiamus omnia, atque etiam nos ipſos propter Deum; Digna uox Clerico Fratres, Renuit conſolari anima mea, Memor fui Dei, & delectatus ſum; Quid mihi eſt in cœlo; & à te quid uolui ſuper terram? Tu Deus cordis mei, & pars mea, Deus in æternum. Hoc planè eſt officium Clerici, Hæc eſt uita digna Clericis, ut poſſideant Deum, poſſeſſi ipſi in totum, & ex toto ab ipſo Deo, non partim à mundo, partim à Deo. Nemo noſtrum poteſt duobus Dominis ſeruire; & indignum eſt profectò, ut Deus ipſe ſit pars, uel ſors illius hominis, qui non contentus Deo aliud quærit extra Deum; ſiue aurum, ſiue argentum, ſiue domos, ſiue poſſeſſiones, ſiue uariam ſuppellectilem, & familiam multam nimis. Ecquàm turpe eſt, & indignum Clericum negotiatorem, ex inope diuitem, ex ignobili glorioſum: uelut quandam peſtem fuge, dixit Sanctus ille ſenex. Nequè uerò quiſpiam putet excidiſſe ex ore illius noſtri & ſapientiſſimi, & eloquentiſſimi Neſtoris hanc ipſam aureis literis dignam ſententiam. Ex tota enim animi intentione, & attentione prolata eſt, & probata in eà Epiſtolà, quæ meritò inter omnes primum locum habuit, dum inſtrueret Nepotianum illum ſuum, qua ratione uiuendum ſit ei, qui Clericus eſſe uelit, ut rectum CHRISTI tramitem teneat, ne ad diuerſa uitiorum deuerticula rapiatur. Eſt quidem Fratres, & Auaritia, & libido, & ignorantia fugienda cum uniuerſa ſcola uitiorum non Clericis ſolis, ſed Chriſtianis omnibus; ne fortaſſè putetis, Laici, uobis per CHRISTVM licere, ingredi latam uiam, quæ ducit ad perditionem; nequè enim Clericis ſolis, ſed omnibus Chriſtianis, promittitur Regnum cœlorum; & uſquè adeò Sancta eſſe debet cuiuslibet Chriſtiani hominis uita, ut, qui in peccato uiuit, certum habere debeat, ſe non uiuere apud CHRISTVM. Siquidem ipſum peccatum mors eſt, & peccare, quid eſt niſi mori? Nomen habes, quod uiuas (inquit Angelus) & mortuus es. Et Apoſtolus, Vidua (inquit) quæ in delicijs uiuit, uiuens mortua eſt. Enimuerò ò Clerici quantum eſſe debet diſcriminis inter communes incolas regni & inter proprios aulicos Regis? inter familiares? inter eos qui ſunt Regi a ſecretis? à manu? ab aure? à corde? Vſquè adeò igitur omnes Laicos antecellere oportet eum qui eſt Clericus, qui eſt miniſter CHRISTI, & diſpen-

ſator myſteriorum eius; ut illi qui in populo graui, in Senatu, in Magiſtratibus, undequaquè uirtutibus eminent, illi qui Sanctitate, & iuſtitia, meritò præ ceteris clari ſunt, & illuſtres, & quaſi luminaria fulgent, ſi conferantur cum Eccleſiaſticis perſonis, collocari poſſe uideantur inter homines plebeios, inter atros, inter ſceleratos, inter infames. Quid? videantur ipſi toti atrati, toti ſcæleſti, ipſum ſcælus, ipſa fœditas, ipſa turpitudo, ipſum corpus peccati, ipſum maledictum; ipſa maledictio. Unde & illi, candorem & innocentiam noſtram cum admiratione aſpicientes, Deo agant gratias, qui nos eis dederit tanquàm ſal terræ, ad condiendos eorum fœtores, tanquàm lucem mundi, ad illuminandas eorum tenebras, tanquàm ſecundos quoſdam Deos, quorum patrocinio à diuina ira, & indignatione defendantur, quorum orationibus animæ expientur, quorum benedictione ipſi toti Sanctificentur, & Sanctificati & benedicti repleantur cæleſtibus gratijs. Mementote huius tituli Fratres, DE HONESTATE CLERICORVM. *Hæc ipſa uox, quæ ab honore deſcendens, à patribus noſtris multò ante nos propria facta eſt uitæ Clericorum, Honeſtas inquàm, tanquàm flos, & uiſibile quoddam decus uirtutum omnium, uix uno nomine apud Latinos exprimi poteſt, ſed pro ſua ipſius plenitudine, ac dignitate, pluribus eſt appellanda nominibus. Sic dixit Romanus ille Philoſophus Marcus, Honeſtum eſt, quod rectum, quod laudabile, quod decorum, & popular fama glorioſum. Ob id Græcis in* ονοματοποιια *fœlicisſimis, Honeſtas dicitur* κοσμιοτης *Eſt enim* κόσμος *ornatus, ipſius mundi (ut ſcitis) proprium nomen.* κοσμιοτης *ergo, quid eſt niſi ipſum ornamentum? quo mundus mundus eſt, quia ornatus eſt. Tolle* κοσμιοτητα*, tollis* κοσμον*; Tolle honeſtatem, tollis decorem, tollis pulchrum, tollis elegans, tollis ornatum, tollis mundum. Neq; uerò ab re, iuxta Moſen, Oraculum Dei in ueſtibus Pontificis depictus erat mundus. quia in uita Sacerdotis apparere debet omnis uirtutum chorus, uniuerſæ probitatis ſpecies, dignitas, maieſtas, quæ meritò aſpicientes in admirationem trahat, perinde ac ipſa tota mundi gloria, vt de quolibet Sacerdote dicant ſinguli & omnes, ſicut de ipſo Sacerdotij Principe* CHRISTO IESV. *Quis eſt hic? Quis eſt hic? Plenitudo hæc admiranda, laudanda, prædicanda; hæc tanta eminentia, tanta celſitudo, tanta ſublimitas, & maieſtas ipſa eſt, quæ honeſtas dicitur digna Clerico. Verè Honeſtas, hoc eſt honoris ſtatus, ideſt enim etymon, aut veriloquium honeſtatis. Dignitatibus ſæculi debetur honor; ſed quia dignitates tranſeunt, tranſit quoq; honor; uerè uirtutes nunquàm tranſeunt, atq; ideò honores, qui virtuti debentur, non tranſeunt. Tales virtutes habeant Clerici non fucatas, non apparentes, ueras, ſolidas. Hæc ipſa eſt honeſtas, quam uera & non inanis gloria, & apud Deum, & apud homines, tanquàm corpus vmbra perpetuò comitabitur. Honor debetur virtuti; Uniuerſus honor uniuerſæ uirtuti, hoc eſt Honeſtati.*

OMNIA *igitur honeſtè, & ſecundum ordinem, fiant in Clericis, hone-*

ſti ſint

ſti ſint domi, honeſti foris, honeſtis induantur veſtibus, honeſta vtantur menſa, honeſtè loquantur, ſint honeſti moribus, ſtudijs, conuerſatione, vita fama.

SED iam ſatis doctrinarum tradidimus Fratres, de ijs, quæ ad vitam moresq́ veſtros pertinent. Sed altè admodum & prudentiſſimè D. Paulus, præter doctrinam, exhortationem quoq́ neceſſariam eſſe iudicauit, quum dixit, Qui docet in doctrina, qui exhortatur in exhortando, nam doctrina docet, exhortatio etiam accendit; illa narrat; hæc etiam ſtimulat. Poſtquàm ergò per doctrinam quid nobis agendum ſit fuſo ſermone declarauimus, illud prætermittere non poſſumus, ut exhortemur & omnes, & ſingulos, ut vos non pigeat agere quæ agenda uobis eſſe didiciſtis. Nolite putare vobis ſatis eſſe, ſi improbè non uixeritis cum magna turba malorum Clericorum. Duo enim præcipiuntur à Domino, & ut à malo declinemus, & vt bonum faciamus: Et quod ſemper cupiò uerſari ante oculos ueſtros, In die iudicij ex ipſo Sancto Euangelio impij, qui cum diabolo mittentur in ignem æternum, non tàm condemnabuntur quia mala fecerint, quàm quia bona non fecerint; Adeò delectatur Deus in fructibus bonorum operum. Ergò nolite ceſſare, excitate uos ipſos, ſatagite, operamini, non cibum qui perit, ſed qui permanet in uitam æternam.

ILLOS autem quibus hæc præcepta noſtra, & Sanctæ huius Synodi, multa, & grauia fortaſſe videntur, exhortamur ut diſciplinæ huic paulatim aſſueſcant; nam & alienorum documentum extat, Elige uitam optimam, iucundam faciet conſuetudo. Quod, ſi uel ipſo initio erunt memores conditionis ſuæ, quia ſerui CHRISTI ſunt, eò ipſo, quod CHRISTVM diligunt, CHRISTI etiam iugum ſuauiter ferent; illiuſq́ omnia dura, leuia, & difficilia, facillima videbuntur. Nihil eſt amantibus durum Fratres, nihil aſperum, nihil graue. Exultate in Domino, & inſultabitis mundo; contemnite terrenas opes, & pretioſè vobis erunt omnes CHRISTI virtutes; mementote uos eſſe Clericos, & pudebit uiuere inter ſordes, tanquàm Laicos.

ET quia ſtudia tranſeunt in mores, adoleſcentiam ſuam inſtituant bonis literis; addiſcantq́ non tàm pueriles declamationes, quàm tonitrua diuini ſermonis, non tàm ſententiarum floſculos, & verborum lenocinia, quàm uirtutem Euangelij, præcepta uitæ, normam, exemplarq́ virtutum.

NON delectentur ſiliquis porcorum, Comœdijs, Tragedijs, fabulis, ſed alantur pane filiorum Dei, Pſalmis, Hymnis, & Canticis ſpiritualibus; Solatio habeant ſanctos libros, & meditentur in lege Domini die ac nocte; & dum ab initio percipiunt, tàm ſuauè olentes odores grandiores facti, ne ferre quidem poſſint putores, & fœtores uitiorum carnis, ſeruantq́ propterea, & famulentur in miniſterio Eccleſiæ, cum omni Sanctitate, & mundicia, tam carnis, quàm cordis; ut tandem facti ſenes appropinquante morte, cygneum quid, & ſo-

& ſolitò dulcius Deo canant, non morituri, ſed mutandi in melius, & cum Virginibus ſecuturi Agnum, quocunq; ierit.

EXERCEANT ſe ſe legendo, meditando, orando, operando, contemplando; & per has ſcalas Iacob, tanquàm Angeli Dei aſcendant, & deſcendant, interrumpendo in orbem perpetuum lectionem meditatione, meditationem oratione, orationem operatione, operationem contemplatione; Sanè lectio docet quid faciendum ſit: meditatio conſulit, quomodo implere poſſimus quod faciendum eſſe didicimus: Oratio auxilium implorat, ut ſtrenuè velimus, & impigre faciamus, quod debemus, bonis operationibus meremur ut fidem ſeruemus, ut curſum perficiamus contemplatione demum quaſi accipimus brauium, hoc eſt guſtamus, quàm ſuauis eſt Dominus; in cuſtodiendis mandatis Dei, retributio profectò magna nimis.

IN lectione ſanctarum ſcripturarum, ità ſequantur literam, ut in captiuitatem redigant intellectum, & nullo pacto ita ſe extollant aduerſus ſcientiam Dei, vt interdum præferant (quod homines indoctè docti, dum ſibi nimium placent de more faciunt) ſuos ſenſus diuinis verbis. Et tamen non ita ſemper inhæreant literæ, vt omnem intelligentiam putent pendere ex grammaticali conſtructione uerborum. Verè dictum eſt, Litera occidit; Spiritus autem viuificat. Euangelium conſiſtit non in litera, ſed in ſenſu; ſed de hoc ſenſu & ſpiritu iudicat non tàm heluo librorum, & eruditus omnibus literis, quam iuxta Sanctam Eccleſiam uir deſyderiorum, & quem unctio docet homo ſpiritalis.

LEGANT & perlegant omnes libros catholicos, ità tamen ut dum conſectantur riuulos, non derelinquant fontes; & ad intelligendas parabolas, & ænigmata ſcripturarum arent in uitula Sanſonis, hoc eſt ſequantur non huius, vel illius doctoris; iudicium, ſed iudicium Eccleſiæ, quæ eſt columna & firmamentum ueritatis. Id ſi in Concilijs uidere, uel audire non poſſunt, colligant ex patribus, non tàm ſingulis, quàm uniuerſis, ijſq; doctis & unctis miraculis, & Sanctitate uitæ clariſſimis.

BIBLIOTECA pauperum Clericorum hæc erit.

Breuiarium Sanctiſsimi Pontificis Noſtri PII QVINTI.
Officium Beatæ Virginis, eiuſdem authoritate nuper impræſſum.
Similiter, & Catechiſmus Romanus.
Examen ordinandorum.
Computus Eccleſiaſticus.
Miſſale.
Sacra Biblia.
Pſalmiſta, ſeorſum, tanquàm inſtrumentum

mentum ad canēdum Deo,& poetandum de rebus diuinis.

Ditioribus, ut ſimul euadant doctiores, adiungendi erunt hi libri.

Gloſa ordinaria ſuper totam Bibliam, cum Nicolao Lyrano, verè (ſi ludere licet) in ſacris literis muſico, & planè Lyrico.

Rationale diuinorum officiorū.

Catena aurea Diui Thomæ, ſuper quatuor Euangelia.

Catena Magiſtri ſententiarum, ſuper Epiſtolas Diui Pauli.

Concilium Tridentinum.

Omnia ſacra Concilia.

Gabriel Biel, ſuper Canonem Miſſæ.

E T *ſi quos alios illi maluerint, dignos Clericis, quorum diurna nocturnaq; lectione paſcantur.*

O R D O *autem ſtudendi erit, vt ſi fieri poteſt ſacros libros nunquàm deponant è manibus; O vtinam eos etiam, à prandio, è ſomno cadentes pagina Sancta ſuſcipiant.*

E T *in ipſa quidem litera, eorum quæ ad fidem pertinent, altisſima, & firmisſima fundamenta, arctè, ſtrictèque ponant. In Allegoriis, tanquàm in lata area, cum patribus longè latèquè ſpatientur, vbi etiam ſacramentorum, & myſteriorum Fidei admiratione, delectationequè reficiant animos. In Tropologia porrò, velut ſuperadificantes aurum, argentum, & lapides pretioſos, videant mores, quos debeant imitari; vnde & erubeſcere posſint, ſi non imitentur, imò etiam ſi non emulentur. Tandem, quaſi conſummantes fabricam per anagogias, ſurſum ferantur ad diuina, quorum velut myſtico contactu, etiam in hac vita beati erunt.*

D V O *hic mihi dolenda ſunt, nam interdum video ſtudium Clericorum ſine libris; interdum, & frequentius Clericorum libros ſine ſtudio; Et illam quidem inopiam miſeror, neſcio autem an huius incuriæ miſerebor.*

C L E R I C V S *omni poſcenti rationem de ea quæ in illo eſt fide, & ſpe, paratus eſſe debet ſemper, ſi non ad probationem, certè ad ſatiſfactionem: atque ideò, oportet vt amplectatur, & teneat firmiter eum, qui ſecundum doctrinam eſt fidelem*

delem ſermonem, ut permanens in iis, quæ didicit, ſciens à quo didicerit, poſſit exhortari in doctrina ſana, & eos qui contradicunt, ſtrenuè fortiterque reuincere. Caueat igitur ne doctrinam ſuam confundat uita ſua; ſed ità viuat, ut in eo lingua, mens, manuſquè concordent: ne quum in Eccleſia loquitur de ieiunio, de humilitate, de virtute, tum illi tacitus quiſquè reſpondeat, cur ergò quæ nos doces, te ipſum non doces? Unde & Epiſcopus ad illum excuſandum cogatur reſpondere populo; Solecizauit manu, locutus eſt cælum, & inclinatus eſt in terram; porrò quæcunquè vobis dixerit ſeruate, & facite, at ſecundum opera eius nolite facere. Verbum, quod excuſauit quidem Phariſeos in ſinagoga Moſe; ſed accuſat Clericos in Eccleſia CHRISTI: nam Manus Moſe erant graues, at CHRISTVS, etiam iugo mitis eſt, & ſuauis; qui prius cæpit facere, & poſtea docere.

SEQVVNTVR CANONES.

CLERICVS, QVI VEL SEMEL TANTVM POSTHAC depræhenſus fuerit incubuiſſe incantationibus, diuinationibus, ſortilegiis, maleficiis, deponatur; tanquàm qui ea quantum in ipſo eſt, readificet, quæ CHRISTVS deſtruxit, ingratus CHRISTO, inimicus CHRISTI; conculcans CHRISTVM.

NVLLVS Clericus præter Cappellanos, & Pænitentiarium, Monaſteria Sanctimonialium CHRISTI frequentare præſumat, ſine licentia noſtra, vel Vicarij noſtri in ſcriptis obtenta; alioquin, ab omni officio Eccleſiaſtico ſuſpendatur. Quod ſi aliquam cauſam allegauerit, illa Vicario noſtro manifeſtanda erit in Carcere.

MEMINERINT Clerici ſe neque Dauide Sanctiores, neque ſapientiores Salomone, neque demum fortiores eſſe Sanſone, quos fæmina e virtutis poſſeſſione deiecerunt. Iccircò vel nunquàm, vel rarò mulieres, ſed neque anus, aut virgines, conueniant, aut illorum domos pedibus terant.

SI quandò propter Clericatus officium adeunda eſt mulier, aut etiam virgo, nunquàm Clericus domum ſolus introeat: Solus cum ſola, ſecretò, & abſquè arbitro, vel teſte non ſedeat; aduocetur probatæ fidei vicinus, aut vicina, cui illa cum Clerico, extra ſacramentum Confesſionis ſe credere audeat.

VBIQVE uero tales habeant ſocios ſinguli Clerici, ut eorum contubernio infamari non posſint; caueant omnes ſuſpitiones, & quicquid contra eos probabiliter fingi poteſt; ne à malis hominibus cum infamia ordinis Clericalis fingatur, ante cum omni dignitate prouideant, & deuitent.

T. LICEAT

LICEAT Matri, & Sorori miniſtrare Clerico. Liceat Clerico, cum matre & ſorore in eadem domo habitare; ut mater & filius, frater & ſoror, mutuo & officium præſtent, & beneficium accipiant, & tota eorum uita, charitate nitatur, fructumquè eleemoſinæ pariat, cum ædificatione Eccleſiæ Sanctæ Dei.

INTER iſtas maximè, & alias conſanguinitatis, & caſtimoniæ perſonas, Clericus oſtendat ſe prudentem, ſed modeſtum; ſapientem ſed benignum; grauem ſed facilem; Religioſum ſed liberum. Sit illis in mærore ſolatium; præſtet conſilium in dubijs; auxilium in iniurijs; ut propter bona opera eius, Deum glorificent, qui illi dederit, & fidei conſtantiam, & Sanctitatem corporis, & animi pietatem; per quem & ille habere confidat, tàm pro illis, quàm pro ſe ipſo in paupertate abundantiam, in tribulatione patientiam, in Ieiunio cibum, & in omni infirmitate medicinam.

FERVEAT diuino amore Clericus, ut in vaſe fictili ingentes circumferens theſauros, dum uirginitate beata angelicæ integritatis æmulus, ad centeſimi fructus hubertatem aſpirat, nihil contrà, nihil ſupra, nihil æquè ac Deum diligat, amore Deo ſeruiat, amore Deum timeat; ſcrutatori cordium non tàm corpore placiturus, quàm mente. Laudabiliter uiuat, ſed laudari non appetat, ne hoſtis antiquus, cuius eſca electa, qui excellentiora ſtudia ſubtilioribus infeſtat inſidijs, locum inueniat, quo per inanem gloriolam, à palma, & brauio, ad quod legitimè currit, eum uel deturbare, uel remorari poſsit.

ATTENDANT Clerici, ne grauentur corda eorum crapula, & ebrietate, unde uenter exeſtuans, communiter deſpumat in libidinem; Illud uerò quàm diligentiſsimè caueant, ne uini potores (turpe & infame nomen) appellentur in populo; id aſſequi facile erit ſi vino ad uoluptatem potus non abutantur, ſed ordinaria àquæ potione contenti (nam & priſcis ſæculis gentes uitalem illum uitium liquorem non tàm largè propinabant ad menſam, quàm fondebant ad aras litantes Numini) ad reficiendos, exilarandoſquè ſpiritus, ad ſanitatem fouendam, aut etiam recuperandam, ſanguine uuæ moderatè utantur, imitantes magnum illum Clericum Timotheum, a quo uix obtinere potuit Apoſtolus, qui eum in CHRISTO genuerat, ut uteretur modico uino propter ſtomachum, quem frigida debilitauerat, & propter frequentes illas ſuas, quibus dum in Euangelio ſtrenuè laboraret, præmebatur infirmitates; dignus ſi adhuc in carne mortali uiueret, qui aleretur auro, & potaretur balſamo puriſsimo.

CLERICVS ebrioſus, deditus comeſſationibus, qui perpotat à mane ad ueſperam in caupona, ſimiliter & qui incontinentiæ morbo laborat, qui uiuit in meritoriis tabernis, tanquàm in domo propria, cuius ſocij ſunt non ſicci, ſed vinolenti; ſed ebrij, mimi, caupones, ludiones, hiſtriones; in pœnam tantarum turpitudinum, inops mentis habeatur, atq; ideò ſuſpendatur ab officio, & à beneficio.

IN Clericos adulteros, concubinarios, & fornicatores, qui notorij ſunt, pro-

cedatur

cedatur ſecundum iura: at uerò nullum non moueat lapidem Vicarius, ut qui diù oc culti fuere noſtræ Curiæ, & manifeſti populo, nobis quoq; manifeſti fiant; ut quum manifeſtè correcti, emendatiq; fuerint ipſi, Deo fauente, mutentur in melius: plebs Sancta Dei ædificetur, & in ipſo Clero paucorum pœna ſit exemplum multitudinis.

QVI deprehenſus fuerit agere mimum, ſcurram, hiſtrionem, ludere aleis, chartis pictis, uel alijs quibuſcunquè ludis indignis uiris grauibus, adde & non obiter, ſed ex propoſito ſæpius aſsidere, & ſpectare ludentes; aut, quod multò eſt grauius, præſtare commoditatem ludendi, in his inquàm omnibus à Vicario noſtro Clericus puniatur pro qualitate & quantitate culpæ.

IMPVDICOS amores, & laſciua quæquè carmina cantitare per Ciuitatem, aut in conuiuijs magnatum, ſiue die, ſiue nocte, eſt nefarium in Clerico.

ILLA ipſa quoquè, quæ inter ſe ſe frequentare ſolent Clerici ſymbola conuiualia, omninò interdicta ſint, præſertim ſi ipſum gratiarum, uel uirtutum, ſeu muſarum numerum, excedat conuiuantium numerus.

SPECTACVLIS publicis, & theathralibus nunquàm interſint Clerici, nunquàm utantur larua, nunquàm ducant, aut ex animo ſpectent choreas, nunquàm recitent in comœdijs, nunquàm ingrediantur tabernam, niſi in itinere; & ne in ipſo quidem itinere nunquàm ad menſam ſedeant cum mulieribus; Scientes hæc omnia, ut Beatus Pater Chryſoſtomus dixit eſse indicia caſtitatis ſi non mortuæ, certè ſtatim moriturę.

LVCTATIONES corporales, ſaltationeſquè, & curſus, familiares admodum huius prouinciæ Clericis, quibus non tàm uires exercent, quàm oſtentant, idquè etiam ſæpè pratio, & publicè; magnoperè, ut par eſt reprehendimus, damnamuſquè, & omninò prohibemus. Inuitantes eos ad luctas, ad curſus, ſaltationeſquè ſpirituales; neq; enim deſunt cum quibus luctetur Clericus, inuiſibiles dæmonum poteſtates, contra quas eſt nobis indictum perpetuum bellum; non deeſt arena currendi, & currendi ad deſtinatum ſcopum æternæ uocationis, deniquè eſt & materia Clericis maxima tripudiandi, & ſaltandi: quia ſi magna promiſerunt, illis longè maiora promiſit Deus; nam id quod in præſenti eſt momentaneum & leue, æternum gloriæ pondus operatur in nobis.

ABSIT ut euenturum unquàm putem, ut Clericus linguam, qua Deum in omni tempore laudare debet, in blaſphæmiam relaxare præſumpſerit; id ſi aliquandò accidat ne ſcælus tranſeat alijs in exemplum; mulctandum erit pœna exemplari, tametſi etiam blaſpæmia non feratur directè in Deum, ſed uel in glorioſam Virginem Dei genitricem MARIAM, uel in aliquem ex Sanctis eius. Nam Sanctorum gloria lætantur cœli, Sanctorum patrocinio recreatur Terra; deniquè Sanctorum memoria, & deuotione coràm Deo uiuere ſe ſperat Chriſtianus orbis. Cui autem placatus erit Deus, cui non ſit propitia Dei ſponſa, & mater Virgo MARIA?

CAECIS quoq; illis temporibus quibus falſa religione ſaxa, & lapides colebantur pro Dijs, profanæ gentes non indubiam ad literæ fidem Sacerdotibus etiam iniuratis nefas eſſe exiſtimabant. Ad recuperandam hanc ipſam, noſtra culpa Fratres, tam diu deperditam authoritatem, iubemus, ut Clerici noſtri omninò non iurent, ſed ſit ſermo eorum ſimplex, & purus, Eſt, Eſt, Non, Non: Qui ſine neceſſitate iurauerit confundatur. Qui peierauerit, aut ſimpliciter falſum teſtimonium in iudicio dixerit, aut etiam iuratus, uerum non dixerit; tanquàm atrocis criminimus reus puniendus erit pœna, quæ etiam iura non nihil excedat.

ARMA Clericorum prima, & præcipua ſunt uirtutes, quibus ante & retro, à dextriſquè & à ſiniſtris, tàm ornati, quàm armati in cœtu bonorum amabiles inter hoſtium cuneos ſemper erunt formidabiles: nimirum Thorax Iuſtitiæ, Spei Galea, & Gladius Fidei, cum reliqua panoplia, quam heroibus Chriſtianis inſtruxit Apoſtolus: nequè uerò cupiendum eſt, aut etiam fingendum Laicos meliores eſſe Clericis, quandò dati ſunt Clerici tanquàm exempla Laicorum. Ob id ferre non poſſumus, nequè debemus Clericos illos, qui in totum exarmati armis Clericalibus, proiectis etiam tantæ dignitatis indumentis, per Ciuitates, & oppida, perquè mapalia & agros, pedites & equites, nullis non ſæcularium armorum generibus armati incedunt, loricati, haſtati, clypeati, non ſecus, quàm Sicarij bellatores, graſſatores, populatores, fures, & latrones.

HORTAMVR ergò omnes huius mali nominis Clericos, qui meritò Clerici ſylueſtres appellantur, hoc eſt Clerici, non Clerici, utinam uero ne nomine quidem Clerici eſſent. Hortamur inquàm, ut in primis eas quas ſe habere dicunt inimicitias, deponant, & ſe ſuis ipſorum inimicis ex corde puro, conſcientia bona, & fide non ficta concilient; quia qui odit fratrem ſuum, in corde ſuo homicida eſt. Si uerò pax ab hoſtibus omninò impetrari non poteſt, & ius eſt pro Clericis, uelut iam placato Deo, aduerſus illos ſumant ſecundi generis arma, praces, orationes, lachrymas; quibus tantorum inimicorum phalanges, & olim, & nunc, & ſemper deuictæ, proſtrataq; ſunt, obediente Deo uoci hominis, ſicut ſcriptum eſt, Voluntatem timentium ſe faciet. Tertio (ut ne humana quidem auxilia negligamus,) omnes eorum præſſuras, & anguſtias notificent Vicario noſtro, ut aliquam rationem ineat, uel iuſtitiæ, uel æquitatis, & ad conciliandam communem pacem, & ad procurandam eorum ſecuritatem.

PORRO Clerici, qui de more conuerſi in arcum prauum, niſi habeant, quicquid uelint, ipſum quoq; Acheronta mouere poſſe confidunt; numerandi cum hoſtibus Eccleſiæ, potius quàm cum Eccleſiaſticis, ſi tanta hæc remedia, & diuina, & humana contempſerint; neq; aliquandò tandem redierint ad cor: ſignificamus illis, nullum à nobis non mouendum lapidem, ut in noſtram poteſtatem adducantur, non iam paternè, ſed iudicialiter puniendi; ſi uerò, præuenien

te nos brachio poteſtatis ſæcularis, illi Deo uolente uenerint in manus profanas, ſciant, niſi idoneam prius de benè uiuendo cautionem præſtiterint, & ſimul manifeſta apparuerint indicia correctionis eorum, fruſtra ſe expectaturos auxilium à foro noſtro; ob id quod iàm diù Eccleſiam non audierint; ſe ipſos dedecorarint, in hæc tanta pericula ſe prudentes; & ſcientes coniecerint; ideoq́ omnia iura, & priuilegia Eccleſiaſtica meritò amiſerint. Vbi uerò tandem uenerint in profundum malorum, ne ſint nobis, & toti Eccleſiæ perpetuo impedimento, atque etiam dedecori, ipſi eos degradantes, trademus poteſtati ſæculari iudicandos.

VT *ab indignis quæſtibus, & ab omni negotiationis ingenio, & lucri cupiditate abſtineant Clerici, illi etiam qui hactenus mercaturæ dederunt operam; Iubemus vt qui ſe ſe in poſterum hiſce negotijs immiſcuerint, amittant omnia ea bona, quæ ad mercaturam, & negotiationem pertinebunt; quod ſi adhuc poſt pœnam negotiari perrexerint, in quocunquè ſint gradu, mox abſtinere cogantur ab omni officio, & beneficio Eccleſiaſtico. Sic ſic omnes incipient diſcrimen facere inter negotia ſæcularia, & Eccleſiaſtica, adeoquè inter uetita, & licita.*

SVB *eadem pœna prohibemus illam quam vocant induſtriam, qua multi Clerici res aliquas emunt non ob aliud, quàm vt poſt aliquod ſpatium temporis carius vendant; quod quidem non tàm ad induſtriam, quàm ad negotiationem pertinet; & ad terrenum lucrum, ſtudiumquè lucri terreni, cuius Clerici debent eſſe contemptores.*

NAM *& in veteribus Concilijs legimus Canonum ſtatutis firmatum eſſe vt quicunque in Clero eſſe voluerint, emendi vilius, & vendendi carius, ſtudio non vtantur.*

SI *quis autem Clericus fœnerauerit, aut etiam pro mutuo aliquid exegerit, ſiue ex quocunquè negotio turpe lucrum quæſierit; aut demum per diuerſas ſpecies rerum, emendo, vendendo, incrementa ſuſceperit; à gradu deijciatur, & habeatur alienus à Clero.*

POSSESSIONES *Laicorum conducere, illaſquè colere, ſimiliter quoquè; & negotiis ſæcularibus ſe ſe quomodolibet immiſcere, indignum eſt Clerico. Eccleſiaſticarum autem rerum curam habere maximè verò earum, quæ ad menſam Capitularem ſpectant, ſimiliter & ad hoſpitalia, ad pupillos, ad Orphanos, & ad viduas, (hæc enim omnia ad Eccleſiam pertinent, & ſub tutela Eccleſiæ ſunt) id inquàm munus eſt propriè dignum Clerico, præſertim ſi Epiſcopus iubeat pater Orphanorum, & viduarum, protector hoſpitalium, & tanquàm ſponſus, & cuſtos ipſius Eccleſiæ.*

ERGO *nullus Clericus, etiam ſi comam tantum attonſus fuerit, pro negotijs ſæcularibus, & in curia ſæculari, officium cauſidici, aut procuratoris exerceat, præterquàm pro ſe ipſo, & domo ſua, aut etiam pro Eccleſia, & pro perſonis miſerabilibus, ideoquè abſquè vlla mercede.*

NVLLVS ſit alicuius Domini ſæcularis, aut alicuius uniuerſitatis negotiorum geſtor, ſine Vicarij noſtri licentia in ſcriptu obtenta, quæ etiam ſingulis annis renouetur.

NVLLVS ſit mulierum ſuſtentator, vel anteambulo, nullus exactor vectigalium; nullus vendentium aut ementium proxenecta; nullus exerceat artem furnariam, cauponariam, coquinariam, cæmentariam; nullus ſe dedat in latumias ad excindendos lapides; nullus in piſtrinum ad ſeruiendum molæ vel frumentariæ, vel oleariæ; nullus ſit pinſor; nullus equorum domitor; nullus funambulus; nullus lecticarius; nullus omninò mercenarius.

SINT omnes Clerici quiſquè pro ſuo ordine, & gradu decenter compoſiti veſtibus talaribus, in quibus neque pompa, aut luxus; ſed neque etiam affectata ſordes appareant, non ſint magnificæ, aut pretioſæ veſtes, ſed neque olidæ aut obſoletæ; non niteant, ſed neque horreant; non ſint pictæ, ſed neque incultæ; non ſint regiæ, ſed nequè plebeiæ: non libenter videmus Clericos veſtibus concinnaeos, & perpolitos, ſed neque pannoſos, ſordidos, & quaſi atra amictos ferrugine. Deteſtamur veſtes laceras, detritas, tineoſas, quæ etiam tetros à longè odores emittunt; cupimus vt quicquid eſt in Clerico, prius quidem quod intus eſt, ſed & illud quod foris eſt ſit mundum, nitidum, & irreprahenſibile; Procul ſit ſagum index belli, vt toga pacis; procul conciſi diploides, & caligæ, procul omnis criſpatura, ſed & procul veſtes inunctæ, & ſaginatæ, biretaquè reſciſſa, & reſarta. Eluceat in omni amictu Clericorum modeſtia, parſimonia, grauitas, & honeſtas, & quod Græci dicunt ἐπιπρεπεν, ita tamen ut omnes ſtudeant moribus magis placere, quàm ueſtibus.

CAVEANT Clerici ne nutriant aut etiam ferant, niſi dura neceſſitate cogantur, luxuriantes comas, quippè qui Sacra, & Sacramenta chriſtianæ religionis celebrare debent tanquàm nazarei Domini. Nequè uerò aut radant ſibi capita, aut in morem ethnici Sacerdotij nauacula ſibi caluitium faciant, ſed ea ratione demittant cæſariem, ut operta ſit ſemper cutis capitis.

PORRÒ quia cincinni facilè creſcunt in comam qualibet hebdomada ſaltem quiſquè ſibi capillos tondeat. Aduertant autem & ſinguli & omnes, ut non in quadrum illos tondeant, ſed in orbem; ut iuxta intentionem Eccleſiæ, quæ prudenter admodum ignominiam Petri, uertit in gloriam Cleri, ſinguli coronam geſtare uideantur in capitibus; re ipſa ſignificantes quod Clerici depoſita indignitate ſæcularium indumentorum, atquè abiectis capillorum ſordibus; facti ſint Deo noſtro Reges, Reges inquàm ornati, honorati, coronati.

OSTENDANT autem in cunctis ſe eſſe Reges, & regno dignos, regno inquàm illo cælorum, & omnium ſæculorum, cuius ſolius gratia uiolanda ſunt iura, & fœdera ſocietatis inter carnem & ſpiritum; ut ſæpè cum iniuria corporis ſeruiatur animæ, & futura fælicitas, quæ diſciplina, & uirtute paratur, anteferatur

tur ſemper præſenti fælicitati, quam non honeſtas, ſed interitura uoluptas, & utilitas momentanea parit mundanis hominibus.

SERVENT hanc regulam, & menſuram, in diſciplina uitæ, ut nunquàm contra honeſtatem, neque ſupra neceſsitatem, aut edant, aut bibant; nunquàm nociua, inhoneſta, inutilia uè loquantur; nunquàm puſillis ſcandalum præbeant; nunquàm ſingulares uideri uelint; nunquàm moleſti, aut moroſi ſint; alter alterum non tàm in honore æmuletur, quàm in labore præueniat; publica onera non detrectent tanquàm delicati; obedientiam non deferant, tanquàm ſuperbi; in bonis operibus non tabeſcant, tanquàm indeuoti; ſuperioribus ſubijciantur non ſeruili, ſed filiali timore, & reuerentia; paribus obſequantur per charitatem; minoribus condeſcendant per humilitatem; fraternam ſocietatem ament, honorem non exigant, laudes hominum fugiant, conuitia ſapienter ferant; Sine contumelia corripiant, Sine crudelitate caſtigent, cum pietate foueant; malos non imitentur, ſed neq; iniquo animo iudicent: ab omni malo obſtineant, & ab ijs etiam, quæ ſpeciem mali habent, ut ſuæ ipſorum innocentiæ perhibeant teſtimonia mundo, ſplendentes etiam in medio nationis prauæ, atquè peruerſæ, tanquàm luminaria poſita ſuper candelabrum; ut luceant omnibus, qui in domo ſunt.

SERMO AD SYNODVM, DE CANONICIS.

QVICVNQVE HVC HODIE AVDITVRI *conueniſtis, qui à terra ad cælum erectam habetis mentem, qui corda & animos ſurſum tenetis ad Dominum, qui de rebus ſpiritalibus & intelligere ſæpè, & ſemper ſentire didiciſtis à ſpiritu; Cupio vos hoc uno ſemi horæ curriculo, eſſe attentiſſimos, dum ipſe iam in ſublime aſcendo, accinctus ad loquendum de toto uertice Clericalis ſtatus; De ordine inquàm Canonicorum, quo nihil habet eminentius Eccleſia noſtra Botuntina: ob id enim, tam ſæpè in colloquijs noſtris & priuatis, & publicis appellamus eos Fratres noſtros, uiſcera noſtra, pupillas oculorum noſtrorum, gaudium noſtrum, & Coronam noſtram. Sed quidem neceſſe eſt, ut multis ipſe minus multo dicam, quàm res ipſa poſtularet; propterea quod præſtantia uitæ, doctrinæquè excellentia quam requirit dignitas Canonicalis, Orationem ſuperat meam; Verum enimuero hic ſit ſcopus ſermonis mei, me non poſſe æquare dicendo illud; de quo dicturus ſum; Ita ueſtro quoquè iudicio Oratio hæc mea ad finem coronanda erit, quàmuis non uicerit; quia aſſequetur quod illi propoſitum eſt, nempè in materia Reformationis Canonicorum, qui ſunt forma & regula totius Præsbyterij, uinci uelle, non uincere. Vt ergò à nomine exordiamur, Quemadmodum Clerici, à Clero, ſic res, & nomen Canonici à Canone deducta ſunt. Eſt autem, canon idem quod regula, meta, forma; unde apud Grecos* κανονιζειν *ad regulam dirigere; nam & in Concilio Calcedonenſi legitur* κεκανονισμεναι συνοδοι *ad regulam conſtituta Concilia; & in Concilio Niceno* κληρικοι εν κανονι εξεταζομενοι *Clerici ſub regula conſtituti. Sed & nemo eſt, qui neſciat hanc fuiſſe laudem magni Athanaſij; vt appellaretur in ijs, quæ ad fidem ſpectant* κανων ορθοδοξιας. *Cicero autem ad Tironem, Sed Heus tu, inquit,*

qui

qui κανον esse scriptorum meorum soles. An verò ignoratis vocem illam Canonibus solvere, hoc est dispensare gratiamq; canonis & legis facere? Iam ergò videte antequàm ulterius progrediamur quanta sit dignitas Canonicorum. Erant enim maiores illi, qui hoc tantum nominis & gloriæ pepererunt, viri ex toto regulares, obseruantiſsimi regulæ, quibus nihil erat antiquius, quàm viuere iuxta regulam, non deflectere à regula, non aberrare à norma, à præscriptione, à scopo, à meta rectè viuendi. Habemus per tralationem normam loquendi, oratoru normam, regulam & normam Philosophiæ: Christianæ vitæ norma addiscenda est à Clericis, regula Clericorum à Canonicis. Et nunc quidem latius patet vox Clerici, quàm Canonici; porrò primis illis nascentis Ecclesiæ temporibus, vel paris ambitus erant, vel omninò latius patebat Canonicus, quàm Clericus. Sanè inter Canonicos iam locum habuerat quisquis numerabatur inter Clericos, & indignus habebatur, qui deputaretur inter Clericos, qui primus inter CHRISTI *fideles, qui communi uoce, Fratres vocabantur, non esset probatus Canonicus. Ob id deinde Clerici Canonici non uiuebant soli, nel ne libertatem in licentiam conuerterent, vel si quandoq; eos labi contigisset, tanquàm carentes monitore, ne lapsum non agnoscerent, & per seipsos omninò surgere non possent; sed quod indicat Quinta Epistola Sancti Clementis successoris Diui Petri, sicut nunc uiuunt Monachi cum Abbatibus suis, sic viuebant Canonici cum suis ipsorum Episcopis, & in oculis Episcopi, sub potestateq; illius, quasi pueri sub pedagogi ferula constituti sancto timore, seruabantur, & instruebantur; ne eos dulcis illa & blanda libertas, vel à virtutis uia seduceret ad præcipitia peccatorum, vel seductos in seruitutem traheret, & pertractos miserabiliter detineret; præter id quod in Episcopo, tanquàm in speculo aspicientes se ipsos quotidiè videbant quantum ad Deum accederent, quantum à Deo recederent, hoc est quantum proficerent, quantum deficerent, quàm gaudere, quàm confidere possent, quàm dolere, quàm timere deberent. Non est Episcopus ipsa regula Canonicorum, neq; quòad doctrinam, neq; quòad uitam. Regula est ipse* CHRISTVS, *& quæ* CHRISTVS *docuit, & quæ fecit ipse est Canon canonum, regula regularum: neq; enim alia ratione peccatur, nisi vel faciendo quæ ille non fecit, vel non faciendo, quæ ille fecit, & iusſit ut ipsi faceremus; Episcopi regulas instituunt quidem, sed iuxta illam, quæ de cœlo ad nos allata est, regulam; & quum ipsi ab ea regula aberrant, tum regulæ nomen amittunt. Quanta vis est in hoc nomine regula? Nulla hominis ratio, neq; voluntas potest esse certa primaq; regula aliarum rationum, & voluntatum. Regula prima & certa, nulla est nisi diuina voluntas; verè regula, quæ necessario recta est, quæ omninò obliqua esse non potest. Hinc ne summus ille quidem orbis magister Paulus ausus est dicere absolutè, Imitatores mei estote; sed adiecit, sicut & ego* CHRISTI. *Ecce uidetis Fratres, quænam regula vobis proponitur legenda, meditanda,*

tanda, contemplanda, obſeruanda, regula nimirum CHRISTI: *Omnes regulæ ſunt ſub hac regula, atq; ideò vobis Canonicis ſubſunt omnes alij, quantumuis obſeruantiſſimi ſint & regulares. Nulla regula dicitur ſimpliciter, & abſolutè regula, ſed cum aliqua additione. Regula temporis, regula ſermonis, regula rationis, regula canendi, ſcribendi, uiuendi. Sola* CHRISTI *regula dicitur ſimpliciter regula; quia nihil eſt tàm diſtortum, tàm prauum, tam peruerſum, quod rectificari, corrigi, regulari non poſſit ex* CHRISTO, *vt qui datus eſt ſolus magiſter vniuerſi orbis. Vndè illud oraculum, Ipſum audite; & illud teſtimonium, Neminem uiderunt, niſi ſolum* IESVM. *Quanta eſt veſtra dignitas Canonici? quandò vnuſquiſq; veſtrum dicitur ſimpliciter Canonicus? ſimpliciter regularis? quaſi nulla ſit regula, quam vos non calleatis, quam non probè teneatis, quam docere alios non optimè valeatis. Profectò verò ſi proprium eſt regulæ regulare, atq; dirigere; diriguntur autem, & regulantur humanæ actiones ad finem, magno iure regula* CHRISTI *dicitur ſimpliciter regula, quia dirigit actiones omnium hominum ad eum qui eſt ſimpliciter primus, & ſolus finis humanæ vitæ; nimirum ad ſortem, & fœlicitatem æternam. Rogo vobis in mentem veniat verbum illud Apoſtolicum, Et quicunq; hanc regulam ſecuti fuerint, pax ſuper illos & miſericordia. Itaq; à die illo feſto, & fauſto Sanctiſſimæ Pentecoſtes, quo Eccleſia Sancta Dei incredibili illa & nullis vnquàm audita ſæculis plenitudine diuinorum chariſmatum, animata, & viuificata fuit, omnes Chriſtiani, ſimul cum Sanctis Apoſtolis vno eodemq; tenore ſeruabant totam illam puritatem regulæ* CHRISTI IESV, *non emiſſo quidem ſolenni voto, quod nunc Monachi de more faciunt, ſed eo ipſo, quo Chriſtiani erant, putantes ſe obligatos eſſe ad imitandam* CHRISTI *vitam, quæ vniuerſo hominum generi prælucebat, tanquàm regula, & norma ſalutis: nimirum, Vt in communi omnes, proprietate abdicata prorſus, tanquàm in vna familia filij cum patre viuerent; vt ſicut neq; aërem, neq; ſplendorem Solis, ità neq; alias res, quas Deus dedit hominibus vllo modo diuiderent; ut nemo eorum quæ poſſideret, quicquàm ſuum eſſe diceret; ut quod expreſsè D. Clemens Petri ſucceſſor ſcripſit ad Iacobum Fratrem Domini, omnia illis tanquàm ueris amicis communia eſſent: ut ipſius multitudinis credentium anima una, & cor unum eſſet; ut ſingulis diuideretur, prout quiſq; indigeret: ut nemo præ neceſſitate mendicaret; ut omnes in medio nationis prauæ, atq; peruerſæ moderatè, & ſanctè uiuerent, & demum tanquàm magna luminaria in mundo lucerent: ut habentes alimenta, & quibus tegerentur, his contenti eſſent; ut contra deſyderia carnis, quæ militant aduerſus animam perpetua bella ſuſciperent; ut ſepties in die diuinas laudes decantarent; ut ſua & totius mundi peccata plangerent; ut ſine intermiſſione orarent; ut ſe ſe inuicem fraterna charitate diligerent; vt nemo fratrem ſuum circunueniret; vt omnes aduerſa omnia lætis animis ſuſtinerent: vt diuino amo*

ri om-

ri omnia poſtponerent: ut in fide CHRISTI *conſtantiſſimè uſq; ad mortem perſeuerarent: ut omnia peccata uitarent: ut ab omni ſpecie mala abſtinerent. Video uos dare plauſum Ciues. Plaudite, ſed ne diffidite, ne dubitate. Nos non more Platonico Ideas, aut exemplaria, quæ mente concipiuntur, oculis non uidentur, confingimus: Hiſtoriam puram referimus ex actis Apoſtolicis, quam & ipſi ſi uultis legere poteſtis, etiam apud Philonem. Philonem illum dico, qui ſtatua & Ciuitate Romana donatus fuit, dum legationem pro Iudæis ageret ad Caligulam Imperatorem. Ecquanta nobilis ille heros ſcripſit in laudem Eccleſiæ Alexandrinæ, dum illi præeſſet D. Marcus Euangeliſta, quem Patriarcham conſtituerat D. Petrus, illius & Euangelio & Baptiſmo pater ac genitor? Quid? Incidit Philo in familiare colloquium Romæ cum Petro, ut ille ipſe fatetur, à quo uſq; adeò perſuaſus eſt, ut ſi non Chriſtianus, certè Chriſtianorum amicus euaſerit; propter quod meritò inter Illuſtres noſtros ſcriptores locum habuit, idq; iudicio D. Hyeronimi, quem Eccleſia Sancta agnoſcit in omni lingua & ſcriptorum, & ſcripturarum æquiſſimum cenſorem, & Ariſtarchum. Hæc igitur fuerunt initia ueſtra Canonici Fratres, hæc ueſtra natalia, ueſtra primordia, ueſtra fundamenta. Quod ſi reformari cupitis, ad hanc primam ueſtram formam dirigendi ſunt oculi, huc conijciendus animus, huc intentione, & cogitatione perpetua aſpiciendum eſt. Proximè & ſecundum Epiſcopos, qui haud dubiè Apoſtolis ſucceſſerunt (quanquàm non pari poteſtate omnes, ſed unus ſolus Petrus Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus; qui propterea ſolus inter Epiſcopos Apoſtolicus dicitur, tanquàm Apoſtolicæ poteſtatis hæres & ſucceſſor) nullus eſt in Eccleſia Chriſtiana ordo uel ſtatus, qui ut re ipſa & ut aiunt de facto, ſic ipſo iure non cedat Canonicis; qui non habuerit tanquàm fontes & ſcaturigines ipſos Canonicos. Omnes ſtatus, omnia inſtituta, omnes profeſſiones, omnes regulæ ex hac ipſa Canonicorum regula, & deniq; ex hoc ipſo, quem delineauimus Canonicorum ſtatu, tanquàm ex equo Troiano, in aciem Chriſtianæ militiæ prodierunt. Ex Canonicis deſumebantur qui ad Clerum, ad Sacros ordines, ad Sacerdotium, ad Epiſcopatum promouendi eſſent. Ex Canonicis ſublimes illæ animæ æmulantes meliora chariſmata, terrena quæq; faſtidientes, & non amantes, niſi cœleſtia ſe ſe rapiebant ad cœnobia, ad monaſteria, ubi uiuebant tanquàm terreſtres Angeli non iam in carne, ſed in ſpiritu. Ex Canonicis implebantur rura, pagi, antra, hæremi, ſyluæ, nemora, cryptæ, & omnis generis deſerta, ac ſolitudines. Heu, heu quomodo obſcuratum eſt aurum, quomodo mutatus eſt color optimus. Putatis ne ſi primi illi Canonici ſurgerent à mortuis, agnoſcerent tanquàm eorum filios, & tanquàm ſucceſſores huius noſtri temporis Canonicos ſiue Sacerdotes, ſiue Diaconos, ſiue Subdiaconos, ſiue Clericos? D. Hyeronimus quærebatur generatim ſuo tempore, Multi Sacerdotes, pauci Sacerdotes. Eſt certè ut Epiſcopi per omnem Europam quærantur,*

multi

*multi Canonici, pauci Canonici. Hoc eſt multi Canonici, non Canonici Canoni-
ci, titulo tenus, re ipſa poſiti extra omnes Canones. Hinc autem cum magna uene-
randi huius nominis indignitate nata eſt diſtinctio Canonicorum, quam & pati
coacta eſt Eccleſia Sancta Dei in Canonicos Regulares, qui in ordinibus clauſtra
lium primi habentur, & communes Canonicos Eccleſiarum noſtrarum ſæcula-
rium, qui ſimiliter primi ſunt inter omnes Præsbyteros. Utinam verò & illi
ſint re, ſicut ſunt nomine, & hi aliquandò tandem fiant verè Regulares. Inte
rea porrò nos iuxta ſpem, quam ex nomine concipimus, ne à dignitate Canonico-
rum excidiſſe uideantur utroſquè appellabimus Regulares, nam & regulare eſt,
quod ſecundum regulam eſt, & quod ad regulam trahi poteſt. Sane fabri quo-
rum inſtrumentum eſt regula, à quibus ad aliam transfertur nomen regulare,
Æs regulare appellant, quod malleis obſequitur, & quaſi in utranquè partem
regi poteſt, quod propterea ab alijs ductile dici ſolet. Non præſcribimus uobis
regulam Diui Auguſtini Fratres, hac utantur Canonici illi, qui Regulares dicun
tur, quos ille inſtituit, euexit, erudiuit. At uerò poſtquàm Canonici eſtis Eccle
ſiæ* CHRISTI, *an non pudet hæredes eſſe tanti nominis; & non eſſe aliquo
ex pacto imitatores tantæ Sanctitatis? Sedenim tria hæc principaliter legimus
de* CHRISTO *quod dum turbæ uellent conſtituere eum Regem, aufugit; quod
dum quæreretur, ad mortem ſe obtulit; quod dum moreretur, pro inimicis orauit,
Hæc nobis triplex regula ſufficiat. Agnoſcite in primis omnes, & contemnite ſæ
culi uanitatem: Nolite ita diligere hanc corporis uitam, ut timeatis mortem:
Cauete ne propter illatas vobis iniurias unquàm amittatis prætioſam illam gem
mam omnium bonorum matrem Charitatem. Hæc tria uos trahent ad regulam,
imò uerò conſtituent in regula, ut ſitis uerè Regulares, atq; ideò Theologicè Canoni-
ci. Habet uerò profectò uox iſta Canonicus (ut aliquandò finiam) neſcio quid
Canori; nam finitimæ ſunt hæ uoces, ut uidetis, Canor, & Canon; unde & Py
thagorei uocabant Harmonicos Canonicos. Et quidem tolle Canonem, tollis Ca-
norem; non enim eſſe poteſt Canor, niſi qui canunt ad Canonem canant. Hoc er
gò ſimul à uobis exigimus, ut etiam muſicè, quiuq; ueſtrum ſit Canonicus; Non
quærimus ut ſtudeatis muſicæ huius mundi, quæ eſt in elementis, in cœlis, in ſtel
lis, in temporibus; talis profectò & tanta, ut ſapientiſſimos quoſquè philoſophos
in ſtuporem inducat, obſurduerunt equidem qui non audiunt, & planè deſipiunt
qui non obſtupeſcunt: ſed optamus audire in uno quoquè ueſtrum hanc muſicam,
ut animæ, ut corpori, ut rationi, ut ſenſui, ut potentijs, ut operationibus, ut af-
fectibus tribuatis ſuos numeros, ſua pondera, ſuas menſuras. Diligatur ani-
ma, ſed infra Deum, non æquè ac Deus; nutriatur corpus, ſed ut ſeruiat, non ut
dominetur animæ; foueatur caro, ſed in neceſſitatibus non in concupiſcentijs;
indulgeatur ſenſus, ſed quantum licet; non quantum libet; tribuatur multum
rationi, ſed multo plus fidei; incaleſcant affectus, ſed tamen temperentur, ne*

mentem

mentem exorbitare faciant; exerceantur uirtutes, ſed non ad oſtentationem; excuſentur amicorum peccata, ſed ad pœnitentiam, non ad impunitatem; potentiæ uigeant, ſed in Domino; chara habeatur cuiquè uita; ſed æterna magis quàm temporalis; non odio habeantur homines, ſed odio habeantur peccata hominum; non relinquatur mundus, ſed pro mundo non contemnatur Deus. Hæc eſt muſica digna Canonicis, digna uiris harmonicis, regularibus regulatis, temperatis, prudentibus, in quibus nihil ſit diſſonum, in quibus omnia ſint conſona. Quanquàm, & turpe eſt, Canonicos alienos eſſe ab ea, quam dicunt inſtrumentalem muſicam. Et certè ſi non placet muſica quæ fit pulſu in tympanis & cordis, aut illa quæ fit flatu in tibijs & organis; illa certè diſplicere non poteſt, quæ fit ueſtris, & noſtris uocibus in pſalmis, in hymnis, & alijs carminibus, de quibus ſermone proprio diſſeruiſſe me non ignoratis. Itaquè paterna ſimul, & fraterna charitate hos ipſos Canones, has ipſas regulas, & ſemel ſtatuimus, & ſæpè ad memoriam uobis redùci deſyderamus, Fratres & filij: quia non eſt Canonicum, uos qui Canonici eſtis, uiuere extra Canones: uoluimus autem eſſe & paucos ad memoriam, & faciles ad intelligentiam; atquè ideò rogo, ut & ſemper memineritis, & ne unquàm negligatis, ſi Canonici eſſe cupitis, & ſi Canonicum eſſe tam pulchrum glorioſumquè putatis.

SEQVVNTVR CANONES.

CANONICVS, QVI SIT PRORSVS ἀμουσος HOC *eſt, qui in Choro diuina ſuo ordine & loco legere, & benè cantare neſciat, ſuſpendatur, donec utrunquè legendi, & canendi munus apprimè didicerit.*

CANONICI *tanquàm familiares, & domeſtici* CHRISTI IESV, *primi quotidie deberent ingredi chorum, & ultimi egredi ex choro; ſaltem igitur diebus Feſtis, dum diuina officia, maximè uerò Matutinum, Laudes, Tertiaquè, & Miſſa maior, ac Veſpere celebrantur, interſint & ſinguli & omnes.*

CANONICVS, *qui tres menſes perpetuos, corpore alioquin incolumis, ad diuina officia in choro celebranda non acceſſerit, ipſo iure communione priuetur; ſi uerò, præter Canonicatum, fulgeat etiam Sacerdotij dignitate, communicet cum Laicis. Quod ſi ne hac quidem confuſione correptus non reſipuerit, notetur infamia; & ad arbitrium Vicarij, habeatur non iam inter Canonicos, ſed inter anomalos; ingraueſcente autem malitia, ad ulteriora procedatur; ut ſit exemplum cæteris.*

CANONICI *quoties ad diuina officia celebranda accedunt, habeant ſuas*

almu-

almutias, ex pellibus ſuper humeros, tanquàm inſignia, & ornamenta dignitatis Canonicalis. Idquè ſub pœna ſuſpenſionis à fructibus Canoniæ per ſex menſes.

CANONICI, qui non dum initiati ſunt Sacris ordinibus, niſi ad Sacra quatuor tempora Natiuitatis Domini noſtri IESV CHRISTI anni ſequentis M. D. LXXI. ad Subdiaconatum ſaltem promoti fuerint, ſciant ſe pœnis Canonicis, & iuris rigore eſſe mulctandos.

CANONICVS deditus uel ludo, uel ebrietati, uel blaſphmiæ, uel fornicationi, uel choreis, uel turpi lucro, uel armis; tertio monitus deſinat; aut ſi perſeuerauerit, ſuſpendatur à diuinis, & à perceptione fructuum, aut ſi computruerit in ſordibus, deponatur, & audiat, Ecce homo qui quum in honore eſſet non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.

CANONICI ſoli ſine alijs Præsbyteris, uel Clericis, Capitulum Eccleſiæ noſtræ conſtituunt, ſuntquè omnes inter ſe ſe Fratres, ordine, & dignitate inuicem pares, inter quos ſola natiuitas, & partus gradum differentiamquè conſtituit. Quem enim prius peperit Mater Eccleſia, ille prior, quem poſterius ille poſterior habendus eſt; Salua tamen dignitate ordinum, ut qui in Præsbyteratu eſt, præcedat eum qui eſt in Diaconio, etiam ſi ſit poſterior tempore; & ſimiliter qui Diaconus eſt, Subdiacono maior eſſe intelligatur; quamuis ad Canonicatum longè poſt illum promotus fuerit. Porrò quum Canonicus antiquior & minor ordine ad ordinem ſublimiorem aſcenderit, is qui maior quidem erat ordine, ſed creatione poſterior, illi cedat.

QVANTACVNQVÈ Scientia, aut generis Nobilitate emineat Canonicus, quibuſcunquè fulgeat Doctoratus, Militiæ, aut Religionis inſignibus; in choro, in proceſſionibus, in Capitulis, in ferendis uotis, atq; ſententijs, ubiq;, & ſemper det locum illis, qui ante eum creati fuerint Canonici; etiam ſi modis omnibus ſint illo inferiores; agnoſcatquè, quàm magna ſemper meritò fuerint, & ſint in noſtra Eccleſia iura primogenituræ.

DEXTRVM quidem in animali unde motus incipit eſt ſiniſtro ſemper maius, ac melius: ſed mos eſt in omnibus Eccleſijs, ut una hebdomada ex uno latere, alia ex alio ducatur totus Chorus; ut intelligamus in Choro non eſſe fixam rationem dextri, & ſiniſtri; ideoquè Canonicum; qui à dextro latere ſtallum habet, non eſſe illo maiorem, aut meliorem, cui ſtallus eſt in latere ſiniſtro; niſi promotionis tempore ſit & ille prior, & hic poſterior; quod ad tollendas omnes ſcandalorum, & ſimultatum occaſiones more perpetuo in noſtra Eccleſia obſeruari præcipimus.

SERMO AD SYNODVM, DE PRAEPOSITIS, QVOS PAROCHOS, PLEBANOS, ET CVRATOS VOCANT.

FREQVENS HIC VESTER CONVENTVS, & ex hominum omnis ordinis flore, undiquè circunfuſus, magnam ſignificationem ſacit communis deſyderij, quo, & primi, & populus, & alieni, & noſtrates, & ſinguli, & omnes tenentur audiendi aliquid de ſuis ipſorum patribus, de præceptoribus, de nutritijs, de pedagogis. Laudo uos Fratres, & filij, & ecce, ipſe adſum; qui arentem illam ueſtram ſitim, quam uidere uideor incendentem cor, depaſcentem animam, adurentem fauces, & guttura, pro mea erga uos charitate, leuare cupio; cui enim non graue ſit uidere oculis ſuis, tot enectos ſiti Tantalos? Porrò ipſi uidetis ſterilem hanc meam dicendi hyemem. Ecquanta imbrium & pluuiarum è cælo copia indigerem; ut collectam tanta multitudinis ſitim, non dicam uincere, non reſtinguere, non ſiſtere; ſed releuare ſaltem ſermone poßem? Vereor profectò, poſtquàm non ſunt mihi fontes, nequè flumina, ſed nequè lacus, nequè paludes, ſed inareſcentes tantum quadam uenulæ, eæquè è marino latice, quæ lympha aſpergere poſſunt, abluere non poſſunt, Vereor inquàm, ne illud de me impleatur.

Dum ſitim ſedare cupit, ſitis altera creſcit.

NAM, & per ſympathiam, ueſtra hæc ſitis, mea quoquè ſiccat, & ſorbet ora. Ergò iungamus praces, in commune oremus; ut in apertione oris, det mihi Dominus uerbum uirtute multa; quo de comminiſtris noſtris, de Parochis, in ordine Sacerdotum, uelut primogenitis in multis Fratribus; qui die ac nocte, adiu-

adiuuantes infirmitatem hanc noſtram, dominicum gregem, pro quo CHRISTVS *mortuus eſt, paterna ſollicitudine, & charitate mecum regunt, & curant; unde vobis tanta vtilitas, tanta ſalus; quantum ſatis eſt pro ueſtra eruditione, & conſolatione, colloquamur. Itaque (vt hinc incipiamus) Sicut Imperator, Sicut Rex, in ipſa præſertim militia inſtructa ad pugnam, ad uictoriam, ad ſalutem Regni, ad augmentum Imperij, habet multos duces, præfectos, qui pro Rege pro Cæſare partitis muneribus, oneribus, honoribus, ducunt caſtra, legiones, dirigunt exercitum totum, omnibuſquè & ſingulis militibus imperant, & huic quidem dicunt, Vade, & uadit, illi uero, Veni, & uenit; omnibus autem præſcribunt leges, & iura belli, tanta eſt eorum authoritas, tanta poteſtas; Sic, & ipſi Epiſcopi, qui in Regno Dei, quod eſt Eccleſia, pro* CHRISTO, *qui eſt Rex Regum, conſtituti ſunt, ut regant, curent, adminiſtrent ſpiritualia bella aduerſus Principes, & rectores tenebrarum harum, ob id quod ſoli tantæ multitudinis onus ferre non poſſunt; ne ſtulto & inutili labore conſumantur; iuxta verbum quod in Sacris literis ſcriptum eſt ſapientiſſimi illius Barbari, minimè barbari; ſimul autem ne pretioſæ hominum animæ, quæ eorum fidei creditæ, commiſſæquè ſunt, ingentia patiantur æternæ ſalutis detrimenta; diuiſis Ciuitatibus per Parochias uelut claſſe, & exercitu, per vexilla, & ſigna militaria, ex ipſo toto Sacerdotum numero quoſdam ſibi deligere, & populo deſignare ſolent, qui quum Epiſcopus toti Ciuitati præſideat, ipſi Parochijs determinatis, uelut certis quibuſdam legionibus, incumbant, uigilent, præſint, dicam propriè, quod Epiſcopi nomen ſignificat, ſuperintendant: nam & ipſi quum Preſbyteri ſint, aliquandò honoris gratia Epiſcopi in Sacris literis appellati ſunt, ſicut & ipſi Epiſcopi pro eorum humilitate ſæpè Præsbyteros ſe ſe appellare ſolent. Certè uerò & primis illis naſcentis Eccleſiæ temporibus, Inſtituente* CHRISTO IESV *fuerunt duo ordines Sacerdotum. Apoſtoli in primis, quos (tametſi non omninò & plenè) referunt ipſi Epiſcopi, uno excepto Romano Epiſcopo, qui ob id ſolus uocatur Apoſtolicus, quod in eo reſideat Petri, & Pauli; atquè adeò totius collegij Duodenarij Apoſtolici ad ligandum, & ſoluendum plena poteſtas. Deinde uerò Duo & ſeptuaginta diſcipuli, quos præſiferunt Parocchi, & illi fortaſſe omnes, quos curatos uocant, nimirum qui ſub Epiſcopis, & Epiſcoporum nomine, & authoritate militant, bonam hanc noſtram in* CHRISTO *militiam ſignantes ſeruos Dei in frontibus eorum, munienteſquè Sanctiſſimis Sacramentis, ut legitimè certent, ut curſum conſument, & brauium conſequantur æternæ fœlicitatis. An uerò non & Deus ipſe per Angelos ſuos admirabili ſua ipſius ſapientiæ, & prudentiæ ordine, tàm uarijs modis operatur ſalutem noſtram? An non & ſol per ſtellas tum errantes, tum fixas, in hoc mundo inferiori tanta quotidie facit miracula rerum? Sed & quilibet Paterfamilias in magna domo opus habet, & multis oculis, & multis manibus, ut multa negotia, facilè, & feliciter*

liciter ad œconomiæ utilitatem expedire poſſit. Quin & quiſquè noſtrum experitur quanta ratione, & Deus, & Natura nobis dederit tàm multa membra, tàm multas uires, & ſpirituales, & corporales, & multas quidem principales, multas miniſteriales; nimirum ut ea, quæ ad utramquè uitam pertinent, & quæ ſunt corporis, & quæ ſunt animi cum dignitate, & cum ſalute omnes, & ſinguli obire quoties uolumus, ualeamus. Rem tenetis ut uideo, Nolite autem putare, quum res ſit uetus, nomen ipſum Parochi nouum eſſe in Eccleſia. Ante Concilium illud Nicenum, quod ſub Conſtantino Magno viam fecit rotæ Euangelij, vt abſq; impedimento percurreret vniuerſum orbem, in Concilio Ancyrano, ne dicam Anquirano, ſiue Anchyritano, tripliciter enim ſcribitur, & profertur nomen illud; audita eſt vox Parochiæ, quanquàm ſermone græco παροικία Laici dicerent, & verè dum numerant capitationes, dicunt vicos, vel regiones Ciuitatis; Eccleſiaſtici ſoli vtuntur hac voce Parochiæ, & apud eos πάροικος Paræcus, vel Parochus is dicitur, qui animarum, quæ ad aliquam unam partem Ciuitatis pertinent, curam habet; vt tandem ſenſu Eccleſiaſtico Parochia ſit particularis vicinæ, quæ aliquot domos adiacentes, finitimas, fereq; contiguas habeat, determinata cura. Et Epiſcopo quidem (vt ſummatim rem perſtringamus) tanquàm Regi & Imperatori omnes milites omnia caſtra, totus exercitus, ipſa inquàm tota Diœceſis, diſperſio domorum, & habitationum: At verò Parochis, tanquàm ſub Rege ducibus, & Præfectis, ſingulæ legiones, quæ per Parochias diſtinguntur Epiſcopi nomine, & authoritate regendæ, adminiſtrandaq; ſunt. Commune vtriuſq; nomen fecit Paulus Apoſtolus, verè vnus Eccleſiarum Magiſter, & Doctor orbis: appellauit enim nos omnes una uoce Præpoſitos: Locus notiſſimus eſt in Epiſtola, quam ſcripſit Hæbreis in ultima parte, quæ parenetica eſt: Obedite Præpoſitis veſtris, ipſi enim peruigilant, rationem reddituri pro animabus veſtris. Itaq; omnes Præpoſiti ſumus, Epiſcopi & Parochi. Porrò Epiſcopus eſt tanquàm Aaron, Parochus eſt uelut Eleazarus filius eius. Nos uice Apoſtolorum fungimur: Vos ſeptuaginta diſcipulorum loca tenetis. Nos Paſtores ueſtri ſumus, Et uos Paſtores eſtis commiſſarum uobis plebium. Et nos quidem ſummo Paſtori de uobis omnibus rationem reddituri ſumus, uos autem de plebibus, quas ueſtræ fidei credidimus, rationem reddetis: ſed cur non dicam breuiter omnes ſimul rationem reddemus? Vtinam ſecuri reddere ualeamus abſquè ullo mœtu in die illa magna, quandò duriſſimum Iudicium ijs qui præſunt, fiet, & quandò potentes potenter tormenta patientur. Eſt & in eiſdem Paulinis Epiſtolis vox illa; Miniſter, communis Epiſcopus, & Parochis. Sic nos exiſtimet homo (inquit) vt Miniſtros CHRISTI, & diſpenſatores myſteriorum eius, quanquàm & poteſtas ſæcularis, Princeps, Rex, Imperator, Dei Miniſter dicitur ab eodem Apoſtolo, vt qui gladium à Deo habet, quem portat ad uindictam malefactorum. Enimuerò magna ratione, quia

uox Præpoſiti authoritatem ſonat; vox miniſtri ſeruitutem, cum vtraq; præſertim hæc ipſa uox Parochi communiter recæpta eſt, quæ & authoritatem ſimul, & miniſterium, ex ui ſua ſignificare uidetur; præter id, quod vox Præpoſiti, relationem habet ſolum ad Corpus CHRISTI *myſticum; vox miniſtri ferè ad Corpus* CHRISTI *verum, & ad alia Sacramenta, atq; myſteria; uox autem Parochi, hanc & illam complectitur. Vſa eſt & antiquitus Latina lingua hac ipſa uoce Parochus: Illum enim qui hoſpitibus, & aduenis publico nomine ſubminiſtrabat neceſſaria ad uitam, nominatim uerò ſal & ligna: nam in ijs cætera fortaſſe uolebant intelligi, appellabant Parochum. Et proculdubio (ut ego quidem reor) alludendo ad hunc Romanorum ſenſum, Vos plebium ueſtrarum Patres, curatores, tutores, aduocatos, magiſtros, qui prò illis incenſum, & panes offertis Deo ueſtro; Vos qui ſauciato illi homini Euangelico curam impenditis, iuxta uerbum, quod* CHRISTVS *verè Samaritanus, hoc eſt pijſſimus noſtrum omnium cuſtos, dixit Epiſcopo, & pro* CHRISTO *Epiſcopus dicit Præsbytero, Curam illius habe. Vos inquàm, hoc ipſo ſenſu Parochos appellamus; à quibus per Sanctiſſima Sacramenta* CHRISTI *fideles, qui ſe non iam ciues mundi, ſed hoſpites & peregrinos arbitrantur; ſuſcipiunt, & ſal uerbi Dei, quo condiantur; & ligna Sanctarum uirtutum, unde diuini amoris ignem accendant in cordibus ſuis. Non deſunt, qui hoſce Sacerdotes & Parochos, Plebanos appellent, à plebibus; Intelligentes plebium nomine, ipſa fana, ſeu templa particularia, quaſi priuata lararia, ſicut è diuerſo, Baſilica dicitur ipſum principale templum; alioquin enim uniuerſa* CHRISTI *fidelium multitudo, abſq; ulla diſtinctione perſonarum Plebs appellari ſolet, iuxta grauiſſimum illud, & immutabile pondus Sanctorum uerborum, quæ in Canone Sacrificij noſtri leguntur. Vnde & memores nos ſerui tui, ſed & plebs tua Sancta. Quanta hic dicenda eſſent Fratres; ſiue Plebani, ſiue Parochi, ſiue Præpoſiti, ſiue Miniſtri, quanta inquàm, & pro uobis, & pro nobis? & contra nos, & contra uos? Sed dicam quàm breuius potero; & uos eorum quæ dicam, Eſtote mihi teſtes, quos uolo etiam mecum eſſe iudices. D. Paulus, quum cœleſti illo aureæ ſuæ linguæ penicillo depinxiſſet Epiſcopum, ab hoc ipſo apice Sacerdotij nequaquàm ad Diacones ſine medio deſcendiſſet, niſi in Epiſcopis intellexiſſet ipſos quoq; Præsbyteros, eos præſertim, quibus tanquàm inter cæteros, quò ad ea, quæ iudicio humano patent, uerìſimiliter, & dignioribus, & melioribus animæ creditæ, commiſſæq; ſunt; qui hac ipſa ratione, tanquàm in partem ſollicitudinis uocati, cur non ex parte Epiſcopi quoq;, nominari mereantur? Quod quum ità ſit, ipſi putate, quales uos eſſe oporteat; oportet tales eſſe, quales eſſe oportet Epiſcopos; nimirum non uobis tantum utiles, ſed alijs quoq;, non iam dicam utiles, ſed neceſſarios, atq; ideò, non ſufficienter tantum, aut mediocriter, ſed inſigniter eruditos, doctos, ornatos, non pudicos ſolum, ut cæ-*

teros

teros Chriſtianos,ſed inſuper continentes ἐγκρατεῖς dicit Apoſtolus; tum, ſobrios, modeſtos, hoſpitales, prudentes, beneuolos; non iracundos, non auaros, non litigioſos, non acerbè veſtra exigentes, ſed interdum, ad uitanda ſcandala, de ueſtro non nihil concedentes, donantes, miſerentes, compatientes; & omninò nulli reprahenſioni obnoxios. Profectò verò Chorepiſcopos, qui olim erant in Eccleſia, non ignoratis uſq; adeò extirpatos fuiſſe, vt vix ulla eorum mentio habeatur in populo Sancto Dei: ob id, quòd ſibi quidem vtiles, ſed inutiles prorſus erant ipſi Eccleſiæ; quippè qui ſine labore fruebantur mercede laborum, ſine onere gaudebant honoribus; non ſeminabant, & metebant; non docebant populos, & pompaticè ſedebant in Cathedris; non erant operarij in uinea Domini, & bibebant vinum meraciſsimum; nihil erogabant pauperibus, & habebant redditus ampliſsimos; paſtoris titulo ſuperciliosè efferebantur, & paſcebantur ab ouibus; quum oues à paſtoribus paſci debeant. Ergò non ſic Fratres, non ſic; Attendite vobis, inquit, Apoſtolus, ante omnia; veſtræ inquàm ſaluti, ſaluti animarum, ſpirituum, & deindè vniuerſo gregi; in quo Spiritus Sanctus cum Epiſcopo veſtro vos poſuit regere Eccleſiam, quam CHRISTVS IESVS acquiſiuit ſanguine ſuo. Hæc eſt vinea Fratres, de qua Propheta dixit, Mater tua, quaſi uinea in ſanguine plantata eſt; in ſanguine inquàm illo Agni puriſsimi, & incontaminati: Nam ſicut in Euangelica parabola legitur, Deus Benedictus plantata hac uinea Sancta Eccleſia, velut peregrè profectus, reliquit eam nobis, & vobis, tanquàm agricolis, exercendam, colendam; colendam inquàm non nobis, ſed ſibi, non noſtro lucro, ſed ſuæ ipſius gloriæ; reuerſurus propterea ex inſperato, vt fructus ſuos, ſuos inquàm, non noſtros accipiat, accipiat non tàm à populis, quàm à nobis, & de manibus noſtris quia nos operarij ſui ſumus, conducti ab eo, vocati, electi, deſignati; non vt otiemur, non ut dormiamus; ſed, ut faciamus quod uinitorum eſt; ne uites luxurient in frondes, ſed ut fructum afferant, vnde uinum eliciatur, quod lætificat Deum, & homines. Intelligitis, Fratres Chariſsimi? Veh nobis, Veh nobis, ſi pampinoſa tantum, & non fructuoſa reperta fuerit Vinea hæc Domini, Eccleſia noſtra Botuntina. Quid ergò ſi pro vua labruſcas, & fel pro uino reddiderit? Omnibus quidem Sacerdotibus dicitur; Sacerdotes tui induantur iuſtitiam, quæ eſt omnis uirtus; quia turpe eſt nimis, & indecorum, ut Sacerdos coràm populo indutus ſacris veſtibus, decorus, & glorioſus appareat; ſit autem coràm Deo ſine uirtutibus, quæ per ſacras illas veſtes myſticè deſignantur, ſordidus, & fœtidus. De omnibus item, & de ſingulis Sacerdotibus ſcriptum eſt, Labia Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirunt ex ore eius: quia Angelus Domini eſt; Vnde & illud eſt, Quia tu ſcientiam repuliſti, repellam te ego, ne Sacerdotio fungaris mihi; ſed intereà, nolite quæſo errare: Et Sanctitas uitæ, & doctrinæ præſtantia ſuper omnes Sacerdotes neceſſaria eſt Epiſco-

po, & Parochis; ut Sacerdotes quidem ſint luminaria plebium, ſed nos, ipſorum etiam communium Sacerdotum. An non filij primogeniti debent prælucere cæteris, & ducere cæteros? Omnes Sacerdotes collati ad Laicos ſunt Fratres primogeniti, ſed Parochi ſunt primogeniti inter Sacerdotes. Sunt autem Patres Laicorum, quos ex fonte Baptiſmatis, ad æternam uitam per Spiritum Sanctum quotidie regenerant. Hoc igitur exigit ratio, hoc exigit ordo, ut uos, qui plebibus præſidetis, uniuerſas ueſtras illuminetis Diœceſes; & dum occaſio occurrit, quandò uerò non occurrit? omni inquàm tempore, veſtros in CHRISTO *filios inſtruatis, qualiter ſe habere quiſq; debeat erga Deum, & proximos, inſtruatis inquàm & opere, & ſermone, & exemplo, & verbo, & uita, & doctrina.*

MEMENTOTE *Fratres nominis, uel cognominis ueſtri, cùr non dico noſtri? Eſt nomen ſanguinis, nomen affinitatis, nomen communis officij. Dicitur enim cura animarum: hoc cogitate, intelligite, repetite; Nam ex communi ſenſu loquentium, & ſcribentium hæc ipſa uox Cura, ſignificat attentionem animi, cogitationem, uigilantiam, aſſiduitatem, laborem, ſtudium; Complectar ego omnia hac una uoce, qua Summi Pontifices ſuos ipſorum, & Apoſtolicæ Sedis Nuntios laudare commendareque ſolent; Diligentia, nota eſt illa uox familiaris diplomatibus Apoſtolicis, Diligentiam ueſtram in Domino commendamus; hac enim una uirtute, reliquæ uirtutes omnes continentur. Diligentiæ autem quid opponitur magis quàm negligentia? ut palàm intelligant Parochi noſtri, nos non tàm odire in illis ignorantiam, quàm negligentiam; quippè quia longo rerum uſu didicimus, ignorantiam, & omnia impedimenta naturæ poſſe ſtudio, labore, & diligentia ſuperari. Omnes ergo conatus, omnes labores, omnia ſtudia, officia, conſilia, omnem operam, induſtriam, ſollicitudinem conferant Parochi ad hanc ipſam animarum curam; & re ipſa oſtendant, quod non uiuunt ſine cura, ſed ut officio ſunt curatores, ſic opere implent munus curatorum. Et quid eſt cura, ſi etymom ſpectas, niſi id quod urit cor? nam & apud Ciceronem legimus, Coquit me cura, Quæ me angebat de Republica cura. Unde anxia cura, ſollicita cura, urgens cura, & leuare curam, & ſedare curas; ut intelligamus Parochos illos eſſe ſine cura, quos non urit, non angit, non ſollicitat, non premit cor, & zelus Domini & ſalus animarum. Ego autem, Fratres mei, puto illos eſſe, ut ſine cura, ſic ſine corde; nimirum de numero illorum, quibus dicitur per Prophetam. Audi popule ſtulte, qui non habes cor; hoc eſt ſine ſenſu communi, ſine iudicio, inſanos, amentes, vecordes, & excordes. Quomodo enim credi poteſt, ut illi habeant cor, qui currunt ad procurandas, ambiendas, forſam & emendas curas, quaſi quum curas obtinuerint uicturi ſint ſine curis? & iterum quomodo habent cor illi, qui iam habent curam, & tantam curam non agrorum, non finium, non mœnium, non uiarum, non fori, non uici, non ludi; Sed ipſius Dei, ipſius*

CHRISTI,

CHRISTI, *templi hominum, uirorum, mulierum, puerorum, ſenum; & tamen quaſi curam non haberent ullam, ſecuri dormiunt in utranquè aurem, edunt, bibunt, ludunt, ſub domina auaritia, libidine, canes immundi, & ſues amici luto; quum tamen, certò ſciant ſe reddituros eſſe rationem tantæ incuriæ; coràm Deo; cui, ut non eſt cura de bobus, ſic certè cura eſt ſtiligentiſſima de ſingulis hominibus. Hoc ſi uident, & non curant, iure eos vocamus excordes; at ſi non vident decernimus impios. Et quidem Dirigere, Regere, Corrigere, tria hæc ſub generali curæ nomine continentur, & omninò ad curam ueſtram pertinent Fratres. Debent enim Curati animas Subditorum ſuorum ducere per eam uiam, qua recta perducit ad finem æternæ fœlicitatis, ad quam creatæ ſunt; quod Directionis verbo ſignificatur, Iuxta illud, Dirige in conſpectu tuo viam meam; Undè & Poeta nobiliſſimus dixit.*

Perge modò, & qua te ducit uia dirige greſſum.

TVM *debent impedimenta prohibere, quibus fieri poteſt, ut deuient à recto itinere, quod declarat Verbum Regendi, ſynonimum ferè cum uerbo tenendi, & ſuſtentandi. Quod ſi deuiauerint nihil non eſt illis agendum, aut tentandum ut reducantur in uiam rectam. Et hæc eſt uis tota illius uerbi Corrigere. Eſt enim Corrigere emendare. Nequè uerò dubium, quin tria hæc & melius & fœlicius perficiantur exemplo, quàm uerbo. Vita ueſtra Fratres, eſt cenſura populi ueſtri, eaquè perpetua, hanc aſpiciunt, hanc conſyderant, ad hanc diriguntur, ad hanc conuertuntur. Vultis habere exempla emendata? Emendate primum exemplaria. Ipſi exemplaria eſtis, quos propterea opto eſſe tales, ut ne momus quidem habeat quod in vobis repræhendere poſſit.*

ABSIT *autem Præpoſiti, ut aliquandò putetis, uos in caſſum laboraturos ſi populus dicto parens non fuerit, ſi non auſcultauerit, ſi ab iniuſtitijs ſuis, propter uerba & exempla ueſtra, non declinauerit; Nota eſt ſententia illa Apoſtolica, unuſquiſque mercedem accipiet ſecundum ſuum laborem, ſecundum laborem inquàm, non ſecundum fructum laboris. In Prophetis porrò extat oraculum, quo inuicem conſolari poſſumus in Domino Fratres, Fili hominis ſpeculatorem dedi te domui Iſrael, audies de ore meo verbum, & annuntiabis eis ex me; ſi non annuntiaueris eis, ſanguinem eorum de manu tua requiram; Si autem annuntiaueritis eis; & ipſi conuerſi non fuerint, Tu animam tuam liberaſti, ipſi autem in iniquitate ſua morientur. Eia Fratres, Quæ eſt iſta diuinæ iuſtitiæ inimica noſtra bonitas, ſub prætextu imitandæ diuinæ miſericordiæ, ſubditorum noſtrorum peccata tolerare, diſſimulare, & lethalia eorum uulnera uſquè ad Iudicij magni diem incurata relinquere? Dominus Noſter nouit quidem qui ſunt eius; & quia ſicut paterfamiliâs eſt, cui ipſi famulamur, ita etiam figulus noſter eſt, qui diſſipata uaſa re-*

fingere poteſt, ſicut illi placuerit; propterea uaſa iræ aptata in interitum, in ſua ipſius patientia, diu multumquè ſuſtinet. Et quis eſt qui illi dicat cur ita facis? Enimuerò nos quid ſcire poſſumus, aut iudicare de familia Domini? Qui ſtat, Domino ſtat. Qui cadit, Domino cadit. Sed tamen nos pòſiti ſumus in hac uinea, cuſtodes huius uineæ; ut dum ignoramus quid de unoquoq; futurum ſit, quò ad fieri poteſt, non tàm per infirmitatem noſtram, quàm per diuinam gratiam prouideamus, ut eorum, qui ſtant, nullus cadat, & quicunquè ceciderit, ut reſurgat. Quàm graue opus, quàm periculoſa prouincia? O quoties dum alios ſanare uolumus, nos ipſos occidimus; hinc illæ praces: Ab alienis parce ſeruo tuo. Experto Credite. Curare alios eſt cibus perfectorum. Iuuat hic aliquantulum immorari Fratres, ut qui Præpoſiti ſunt, ſciant, quid eos agere oporteat; qui verò vel ſibi, uel ſuis ambitioſè & arroganter cupiunt Præpoſituras, Parochias, plebes, optant inquàm fieri patres populorum; prius, nobis admonentibus, intelligant quid ſibi & ſuis faciendum erit, dum conſtituentur Parochi, ne indignè, & cum ſuarum animarum detrimento, ſuſcipiant tàm graue iugum: Tenentur enim reddere rationem de animabus, de corporibus, de moribus omnium ſubditorum; & cui? Deo; qui per feneſtras, & per cancellos proſpicit, & ſignat quomodo unuſquiſquè ſe gerat eorum, qui præpoſiti ſunt cæteris. An non ergo fœliciores, & ſecuriores ſunt, qui ſubſunt, quàm qui præſunt? Itaquè in tantis periculis poſiti, hoc unum ante omnia conſyderemus: quia res noſtra agitur; atquè ideò, attendamus nobis, & caueamus, ne uel malo exemplo, uel errore, uel etiam ignorantia noſtra diſpergantur, & pereant quos à nobis colligi, & ſaluari oportuerat: Vigilemus, laboremus, benè viuamus, & non hominibus, ſed Domino placere ſtudeamus; placebimus autem, ſi in nobis uiguerit amor iuſtitiæ, & odium iniquitatis, ſi in nobis non tepuerit rigor Eccleſiaſticæ diſciplinæ, ſi in nobis non regnauerit cupiditas, ſed charitas, ſi inquàm non quæſierimus quæ noſtra ſunt, ſed quæ IESV CHRISTI. *Hoc eſt enim haud dubiè, quod de nobis omnibus Hieremias, ore Dei conqueritur; Stultè egerunt Paſtores, Dominum non exquiſierunt, & omnis grex eorum diſperſus eſt. Quoniam ergò Parochiale munus, ſicut & Epiſcopale, in actione magis, quàm in contemplatione conſiſtit, quippè quia ſpreta dulcedine contemplandæ veritatis, pia charitate, & Epiſcopus, & Parochus ſuſcipiunt curam & onus regendi animas; ut qui ſciunt,* CHRISTVM *dixiſſe Petro, tanquàm omnium Paſtorum Princip. Si diligis me, paſce oues meas. Idcircò opto Fratres Chariſſimi, ut ſemper memineritis verbi illius Diui Gregorij Papæ, Nullum eſſe ſacrificium Deo ipſi acceptius, quàm zelum animarum. Et quidem ſi tanta ſollicitudine, tantis vigilijs, tanto ſtudio, tanto labore, dies, & noctes, per mare, per terras, per infinita uitæ & mortis diſcrimina, quiſquè homo mundanus nititur ſaluare ſuppellectiles ſuas, lares ſuos, ſuas quas diurno tempore collegit opes, reculas,*

ſarcinulas,

ſarcinulas: & qui in his ſatagit, laudatur tanquàm homo frugi, & commendatur tanquàm utilis Reipublicæ, quum hæc omnia, D. Paulus, arbitretur tanquàm ſtercora, & detrimenta? Quantis laudibus efferent uos Angeli Dei in cælo, coràm oculis Dei, ſi nullis parcentes laboribus, nullis ſumptibus, nullis periculis; ſudantes, anhelantes, uigilantes, tum vobis inferentes, ſaluaueritis pretioſas haſce animas veſtras? quid dico ueſtras? CHRISTI animas, Dei animas; non auro, & argento; ſed ſanguine CHRISTI IESV, ab ipſo Deo per Spiritum Sanctum; ex damnabili ipſorum Dæmonum æterna captiuitate redemptas? Atquè ideò, iuxta monita Apoſtolica, ſi vobis certo ſcientibus, præoccupatus fuerit aliquis ex veſtris Parochianis, in aliquo delicto, uos, qui ex officio veſtro ſpirituales eſtis, qui zelo zelare debetis, non bouem, uel aſinum, qui in puteum ceciderit, vel in foueam; Sed animas, quæ niſi opem feratis, in barathrum cadent, & uinctæ in mendicitate, & ferro, æternum manebunt infixæ in limo profundi, in quo non eſt ſubſtantia, ubi pedem figere, & ſe ſe liberare poſſint; illum ipſum, qui peccauerit, monete, corripite, inſtruite, primum in ſpiritu leuitatis; hoc eſt cum omni manſuetudine, tum in virga etiam paternæ correctionis; & deinde in baculo ſeueritatis & iuſtitiæ; ut omnino reſipiſcat. Quoniam, iuxta verbum Spiritus Sancti, Qui conuerti fecerit peccatorem ab errore uiæ ſuæ, ſaluabit animam illius à morte; & hæc ipſa illius charitas operiet etiam multitudinem peccatorum ſuorum, & ponet in capite eius coronam de lapide pretioſo. Equidem Parochiæ noſtræ diſtinctæ ſunt Fratres, & ſimiliter curæ, ſed tamen vna eſt Eccleſia noſtra Botuntina, atquè ideò vna eſt etiam cura totius noſtræ Ciuitatis; Propterea Parochi inter ſe amicabiliter viuant, & pacificè, atquè familiariter inuicem conuerſentur; ut in regendo populo Dei, perinde ac remiges in una naui alter alterum iuuare poſſit. Iam ſi Parochus aliquis uiderit, aut ſciuerit aliquem ex ſuis Parochianis proximum eſſe præcipitio animæ ſuæ, & propriæ imbecillitatis conſcius, non confidat illum reuocare poſſe; adeat in primis Epiſcopum, cuius curæ erit per Dei gratiam illum admonere, ſuſtentare, & confirmare, ne corruat. Inſuper autem peccata grauia & enormia ſuorum ſubditorum, generali tantum ſermone, tacitis perſonis, ſignificet Prædicatori, qui Sacro Quadrageſimæ tempore conciones habet in Eccleſia noſtra, ut ille tanquàm tuba Dei, aſcendens in montem Syon, exaltet vocem ſuam ab imis ad media, à medijs ad ſumma, in modum bellicæ tubæ, & cum omni vehementia ſpiritus annuntiet populo noſtro ſcelera eorum, & ſimul iram Dei aduerſus illos; ut qui ſe reos eſſe ſentiunt, compuncti, velut in eorum auribus, & animis ſonante nouiſſima tuba, ad ſe reuertantur, & peccatorum ſuorum pœnitentiam agant ſalutarem.

CANONES.

DESCENDENTES AVTEM AD PARTICVLARIA, circa quæ cura & actiones uerſantur, frequenter admoneant Parochi ſuas ipſorum plebes ad cognoſcendum in primis, & amandum Deum, à quo omnes ſperant conſequi uitam æternam, proponentes ſæpè ſæpius verbum illud Dauidis. Nunquid vanè conſtituiſti filios hominum? & adiungentes verbum illud CHRISTI, in Euangelio. Numquid duo paſſeres veneunt dipondio, & vnus illorum non eſt in obliuione coràm Deo? & iterum, Conſiderate lilia agri, volucres cœli, fœnum campi, ſi enim Deus horum omnium prouidentiam habet, quantò magis hominum? iuxta argumentum ipſius CHRISTI IESV, Nonne inquit, uos plures eſtis illis? Nitanturq́ neruis omnibus, ut ſtabiliant populum ſuum in hac fide diuinæ prouidentiæ, & ut credant Deum de excelſo ſancto ſuo curare res humanas, & omnes & ſingulas, ſcrutatorem eſſe cordium, Iudicemq́ non factorum ſolum, ſed & uerborum, & cogitationum, & affectionum cordis, & breuiter omnium peccatorum, quæ uel commiſſione, uel etiam omiſſione perpetrantur contra ipſum Deum, & contra proximum. Ipſi enim, quod certè dicimus magno cum dolore animi noſtri, inter uiſitandum experti ſumus multos rudes, & idiotas eſſe de illorum numero, qui, ut dicitur in libro ſapientiæ, æſtimauerunt luſum eſſe uitam noſtram, & conuerſationem uitæ humanæ ad lucra compoſitam, & quod oporteat (ſic enim Spiritus Sanctus loquitur) undequaq́ acquirere, hoc eſt per fas & nefas congregare diuitias, fabricare domos, plantare uineas, facere amicitias, & affinitates, & præter hæc nihil cogitant de futura uita. Sint ergo in hoc toti Parochi ut illa doceant, hæc dedoceant, ut populi tandem admoniti, ponant in Deo ſpem ſuam, & non obliuiſcantur operum Dei, & mandata eius exquirant; proteſtenturq́ omnibus & ſingulis, quod qui cum hac ignorantia craſſa peccant, cum hac ignorantia craſſa peribunt; niſi doceri, & erudiri uelint, neq́ hæc ipſa ignorantia eos excuſabit, coràm Domino.

TVM uerò doceant, idq́ non ſemel, ſed ſæpè, & ſemper, neq́ omnes ſolum, ſed & ſingulos, arguendoq́, & increpando oportunè, & importunè, doceant inquàm iuſtum eſſe, ut omnes humilientur ſub potenti manu Dei, neq́ aliquis extollat in altum cornu, dum Deus hunc humiliat, hunc exaltat, hunc ditat, hunc pauperem facit, hunc deducit ad extremam inopiam, illum ad ſummam huius mundi fœlicitatem; hæc enim ſunt quæ maximè inquietant animos uulgarium. Suadeant ergo Parochi non eſſe locum murmurationi; tum quia

Deus benedictus eſt Pater noſter, eſt figulus noſter; utiturq́ ipſe ſuis uaſis, prout uult: nam uaſorum quis ſit uſus iudex eſt figulus; tum quia Deus non creauit nos ad hanc uitam, ſed ad futuram, in qua illi ſoli fœlices erunt, qui in hac uita benè egerint, & qui male egerint illi ſoli infœlices erunt, ſicut ſcriptum eſt, Et ibunt hi in uitam æternam, mali uerò in ignem æternum. Propter quod diuinus Pſaltes intonuit Miſericordiam & Iudicium cantabo tibi Domine. Quum autem huc peruenerint, tum addant calcaria, & uerbis potentibus accendant cunctos. Confidite dilecti Dei, eſtote læti & alacres; Status Chriſtianitatis, ad quem per Dei gratiam uocati ſumus & uos & nos, ſtatus eſt æternæ ſalutis: Illud unum uidendum eſt, ne quis noſtrum deſit gratiæ Dei, ne in uacuum illam recæperimus; quod ſi etiam hactenus ingrati fuimus, ne deſpondeamus animam: nouit Dominus figmentum noſtrum, ſcit quia puluis ſumus; ſi modo ex toto animo, Fratres reuertamini ad Dominum, miſerebitur ueſtri Deus noſter. Ne differatis de die in diem: Iam, iam, pœnitentiam agite, ne contemnite diuitias patientiæ, & benignitatis eius: Ipſe enim ad pœnitentiam uos expectat, nolens aliquem perire, ſed omnes ſaluos fieri: nam mors, & uindicta alienum opus eius, peregrinumq́ ab eo. Indicat uox illa dolentis, quæ in Prophetis ſcriptum eſt ex ore Dei, Heu conſolabor de hoſtibus meis. Certè qui dicit, Heu dolet, patitur, aut ſaltem compatitur, quod tamen per metaphoram dicitur de ipſo Deo.

PAROCHI *qui ſe illiteratos prorſus, atq́ ideò ad tantum munus inſufficientes eſſe intelligunt; primum coràm Deo, bona fide, & conſcientia non ficta in omni humilitate, & dolore cordis, ſe ſe accuſent, deinde uerò tàm ſanctè uiuant, etiam coràm hominibus, ut literaturæ defectum ſuppleat uitæ & morum probitas; quod & hiſtoriæ noſtræ fideliter tradunt olim feciſſe nonnullos magna cum laude, ſiquidem bona uita ſemper prædicat, docta lingua non ſemper loquitur. Orent porrò ad Dominum aſſiduis præcibus, ut mittere dignetur de cælis aſſiſtricem ſapientiam, quæ cum eis ſit, & cum eis laboret, Sic enim ſcriptum eſt, Si quis indiget Sapientia, poſtulet ab eo, & dabitur ei. Vnde & Pſaltes cecinit, Beatus homo, quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum; neq́ ignotum eſt ipſa etiam iumenta facta fuiſſe uocalia ab ipſo Deo. Intereà autem, conſuetudines, amicitias, res, rationesq́ iungant cum uiris eruditis, ac timoratis; quorum iudicio & doctrina dirigantur, ne aberrent in re tanta, quanta eſt cura animarum; uerè ars artium, & ſcientia ſcientiarum.*

SICVT *autem omnibus Clericis, & Sacerdotibus interdiximus omnem negotiationis turpitudinem ita Parochis prohibemus etiam omnem circa res corporales uendendas, emendas, permutandas, ſollicitudinem, & induſtriam: quia omnis induſtriæ finis eſt terrenum lucrum, cuius in totum contemptor eſſe debet, qui pro* CHRISTO *animarum curam gerit; tum quia quantum temporis & ſtudij datur induſtriæ temporali, tantum tollitur induſtriæ, & diligentiæ ſpirituali.*

rituali, hoc eſt quantum datur mundo, tantum tollitur Deo, cui nemo unquam pro debito, & pro rei dignitate eſſe poteſt ſatis intentus: tandemq; quia uix ſine peccato auaritiæ, & ſine multis alijs peccatis exercere quiſpiam poteſt huiuſmodi, quas uocant induſtrias, & ſollicitudines; atq; ideo periculum eſt, ne occaſione uel data, uel accepta male audiat Parochus in plebe, niſi ab omni uendendi, & emendi, atq; etiam permutandi commertio prorſus abſtineat.

SINGVLIS diebus Dominicis, Parochi, ad Miſſam, poſt offertorium faciant nomine populi, confeſſionem generalem, in lingua materna; ut omnes, etiam mulieres, & paruuli intelligant quod ad tantam rem pertinet. Abſoluant porrò uerbis Eccleſiaſticis. Sed tandem, eodem ſermone uulgari reducant omnibus ad memoriam duodecim articulos Fidei, ex ſymbolo Apoſtolorum; Decem præcepta; Septem peccata, quæ capitalia dicuntur; & ſeptem Sacramenta Religionis Chriſtianæ; & hortentur ad orandum pro pace Eccleſiæ, & pro omnibus defunctis, ex quorum laboribus omnes uiuimus.

QVOLIBET menſe ſaltem ſemel admoneant populum, ut memores ſint præceptorum Eccleſiæ, & intelligant quod quiſque Chriſtianus illa omnia ſeruare tenetur, ſicut præcepta Dei: quia poteſtas Eccleſiæ diuina eſt, non humana, atque ideò qui eam ſpernit, Deum ipſum ſpernit; qui autem Deum ſpernit, æternam ſibi damnationem acquirit.

SVNT AVTEM PRÆCEPTA ECCLESIÆ QVINARIO CONTENTA NVMERO.

PRIMVM, eſt de obſeruandis diebus Dominicis, & alijs diebus Feſtis; in quibus præ cæteris, corde, ore, & opere colendus eſt Deus; & ab operibus ſeruilibus ceſſandum.

SECVNDVM, de Ieiunijs Quadrageſimæ, Quatuor Temporum, & Sacrarum Vigiliarum, non prætermittendis.

TERTIVM, de abſtinendo ab eſu carnium, omnibus ferijs ſextis, & Sabbatis totius anni; niſi in utroque præcepto, legitima excuſatio adſit, ipſi Parocho notificanda.

QVARTVM, de puriſſima peccatorum Confeſſione, facienda ſemel ſaltem in anno, idq; tempore Paſchatis Reſurrectionis Domini noſtri IESV CHRISTI.

QVINTVM, de ſumendo ſimiliter, poſt Confeſſionem S. Sacramento diuinæ Euchariſtiæ; ijs inquam, qui ad annos diſcretionis peruenerint.

ADDANT & illud præceptum, de non contrahendis Nuptijs, & non petendo coniugali debito, tempore prohibito ab Eccleſia Sancta Dei; Viuaciſſimèq; dicant, & repetant, quod qui horum præceptorum obſeruationem contempſerit, aut etiam neglexerit, uiuens excommunicationis eſt reus, & moriens Eccleſiaſtica ſepultura priuandus eſt.

PEREGRI-

PEREGRINOS, & aduenas, qui quotidie huc conueniunt, & aliò tranſeunt, neq; firmum hic domicilium habent, ſi confiteri velint peccata ſua, quiſquè Parochus mittat ad Eccleſiam Cathedralem; vt à Parocho principali, qui nomine Epiſcopi animarum curam gerit pleniorem, in Confeſſione Sacramentali auditus, dimittatur, vel abſolutus, vel ligatus.

NON prætermittant Parochi, per ſingulos dies, ſemel, iterumq;, & tertiò hoc eſt in aurora, in occaſu Solis, & in meridie, ſono campanæ, reuocare ad memoriam populi noſtri dulcem illam, unde orta eſt noſtra ſalus, Angelicam Glorioſæ Virginis Salutationem. Erit autem ſignum memoriale toti Ciuitati, ſi primi ictus campanæ ſint tres, ſecundi quatuor, tertij quinq;; vt duodecim ictibus, ad aurem percuſſi CHRISTI *fideles, intelligant, ſe inuitari, ad ſalutandam almam Virginem; quæ in capite habet coronam ſtellarum duodecim; & cuius Filius, per duodecim Apoſtolos, in duodecim articulis Fidei, erudiuit vniuerſum orbem terrarum.*

DOCEANT autem totum populum, ut audientes hoc ſignum campanæ, vbicunq; ſint, in terram proſtrati, dicant ſemel, iterum, & tertiò illam ipſam Salutationem Angelicam. Aue Maria.

PORRO illos qui non nihil literarum olere uidentur, admoneant, ut ad percipiendum maiorem fructum in hac Salutatione, ſeruent hunc ordinem.

PRIMVM dicant. Angelus Domini nuntiauit Mariæ, & concepit de Spiritu Sancto. Aue Maria.

SECVNDO. Ecce Ancilla Domini, fiat mihi ſecundum Verbum tuum. Aue Maria.

TERTIO. Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis. Aue Maria.

IPSOS autem Parochos, & Clericos omnes, omnes etiam qui in populo noſtro peritiores habentur; eos ipſi admonemus, & exhortamur in Domino, vt eodem ordine adiungant tres illas orationes, quibus in officio Beatæ Virginis Eccleſia Sancta vtitur.

Deus, qui de Beatæ Mariæ Virginis utero, uerbum tuum Angelo nuntiante, &c.

Deus, qui ſalutis æternæ, &c.

Gratiam tuam quæſumus Domine mentibus noſtris infunde.

PORRO Hora Veſpertina, claudant hanc ipſam Salutationem, cum pia memoria Defunctorum dicentes.

Requiem æternam, &c.

Requieſcant in pace. Amen.

SERMO

SERMO AD SYNODVM, DE MONACHIS.

CIVITATES REFVGII, HODIERNA DIE ingredimur Fratres, Gaudete: Ecquàm bonum, Ecquàm iucundum fugere homines mundanos, & confugere ad Monachos, ad Prophetarum filios, ad reliquias ſanctorum noſtrorum, qui in cryptis in, nemoribus cœnobia inſtituerunt, qui antra præ vrbibus, & oppidis coluerunt, ad quos deinde & populi, & Principes, integræq́ Ciuitates, perinde ac ad aluearia apes, confluxerunt. Qui cùm in duo genera diuidantur in Clauſtrales inquàm, & Mendicantes, & hos quidem alios Conuentuales, alios de Obſeruantia nuncupatos; ut per omnem Italiam duabus vocibus, communi ſermone inuicem diſcernere ſolent: Clauſtrales ſanè Monachi cæteri Fratres, dicuntur; ſic in hoc ipſo Parthenopeo Regno; neſcio an Religionis gratia, an potius hæreditate græciſmi, & apud primos, & apud populum, vno comprehenduntur Monachiſmi titulo. Conſuetudo enim obtinuit, vt eos quiq́ tàm ſingulos, quàm vniuerſos appellet Monachos. Illud vnum præfari operæpretium eſt, Non agere monachos ſermonibus, neq́ hortationibus noſtris; Et quidem de illorum uita, ſtudioq́, & moribus non admodum ſollicitamur; Sanè nemores ſumus, quod quum Cephas iam vniuerſi Dominici gregis Paſtor electus, à Domino de Ioanne illo, quem IESVS tantoperè diligebat paulò curioſius ſciſcitaretur: Hic autem quid? Audiuit à Domino, Quid ad te Tu me ſequere. Et intellexit fortaſſe illum non minus à ſua ipſius iuriſdictione, quàm à mortis fato ſingulari; quodam amoris priuilegio exemptum fuiſſe. Hos terminos noſtros agnoſcimus, neq́ alienos fines ingredimur. Habent Monachi, & Religioſi omnes Anachoritæ quoq́ & Heremitæ ſuos Præfectos; audiant illos. Sedenim vobiſcum hodierna die mihi loquendum eſt de illis, vt ad

memoriam

memoriam reuocetis (oblitos enim uos eſſe uidere uideor) quàm ſint in omnibus CHRISTI *fidelibus fraterna charitate diligendi, fouendi, colendiq́, & (ut id quod ſentio dicam) ſuſpiciendi; Scio non ignoratis ex ſacris literis cunctos Prophetarum, legiſtis & Prophetarum filios. Hos omnes referunt Monachi. In primitiua noſtra Eccleſia; ex hiſtorijs nemo neſcit in Alexandria, in Antiochia, in Thebaide Ægypti, in Cypro inſula, in Hieroſolyma, in Smirna; deinde uero per omnes ætates, in urbe Roma, in Africa, in Gallijs, in Hyſpania, in Saxonia, in Scotia, in Hibernia, & alijs glacialis Oceani Inſulis uixiſſe, tàm multos* CHRISTI *ſeruos; qui ſpreto ſæculo,* CHRISTO IESV *adhærentes, Apoſtolos ſectantes, pauperes ſpiritu, continentes carne, in commune uiuebant, ſub maiorum, quos etiam ipſi eligerunt obedientia conſtituti; ne libertate abutentes ſua, peccatorum ſerui, & Dæmonis mancipia fierent. Certè omnes memoria tenemus, & ueneramur glorioſum illum Petri diſcipulum, & interpretem Marcum Euangeliſtam, D. Baſilium, Antonium Abbatem, Paulum primum hæremitam, Hilarionem magnum illum Monachorum gloriam, Benedictum, Hyeronimum, Auguſtinum, Dominicum, Franciſcum Prophetico ſpiritu, Sanctitate uitæ, & uirtute miraculorum toto terrarum orbe notiſſimos. Quos uiuentes Angeli cuſtodiebant, Defunctos ipſæ etiam aues defleuerunt. Horum patruum ſunt filij, horum ſucceſſores, horum poſteritates; horum hæreditates Monachi noſtri. Non eſt factitia, non eſt recens eorum, qui regulariter uiuunt, inſtitutio, O Dilecti Dei; eſt Apoſtolicæ regulæ profeſſio, & Apoſtolicæ perfectionis imitatio, &, ſi dicere licet, æmulatio. Pauci illi patres, quos Spiritus Sanctus præ cæteris* CHRISTI *fidelibus, non ad communes, ſed ad heroicas, & exemplares uirtutes animabat, diuinos illos noſtræ Religionis duces & anteſignanos Apoſtolos totis uiribus imitabantur, non illos præire, ſed neq́ æquare curſu; at uero ut illos ſequerentur, & recta poſt ueſtigia eorum irent ſimul agebant, ſtudebant, contendebant; uno quidem ſibi propoſito itinere, ſed diuerſis hinc inde arreptis ſemitis. Sanè Franciſcus per altiſſimam paupertatem, per meditationem Crucis, perq́ diuinum amorem, & omnem mundi contemptum. Dominicus per diuinas Theorias, lectionemq́ & prædicationem doctrinæ cæleſtis. Auguſtinus per manſuetudinem ſpiritus, & per Sancta de uerbo Dei fratrum colloquia. Benedictus per fugam ſæculi, per officia ergà pauperes, & aſſiduam clauſtri cuſtodiam. Antonius per paruitatem uictus, perq́ hoſtium inuiſibilium luctas, & glorioſos triumphos. Paulus per orationum inſtantiam, per cilicinas ueſtes, & cum feris agreſtem, ſolitariamq́ uiuendi rationem. Hilarion per carcerem (ut ita dicam) ſepulchralem, per arcta ſilentia, & longas inedias. Marcus per integram utriuſq́ hominis continentiam, per amorem uirginitatis, per ſummam humilitatem, & deiectionem animi. Hieronymus per pœnitentiam anteactæ uitæ, per noctes inſomnes, per dolores perpetuos, ſtudiaq́ indefeſſa,*

indefeſſa, in ſacris literis vertendis, interpratandis, elucidandis. Baſilius per zelum Dei, perq́ deſyderium fraternæ ſalutis, inſtitutiones, eruditiones, atq́ exercitationes ſcholaſticas Monachorum; non quidem ad apicem, ſed ad imitationem qualemcunq́ Apoſtolicæ perfectionis ſibi perueniendum eſſe putauerunt. O Monachos noſtros tantarum vitium palmites, tantarum arborum ramos, oleas, palmas, cedros Dei, verè omnium hominum (ſi ſua bona norint) beatiſſimos. Audio, fracti ſunt rami, Vtinam uerò integri eſſent, ſed potens eſt Deus inſerere illos. Inter uos autem qui ſe ſtare exiſtimat, uideat, ne cadat, Fratres dilectiſſimi. Reſpicite ad Abraham Patrem ueſtrum, & ad Sarram, quæ uos genuit: (inquit, Spiritus Sanctus) Radix enim ſancta eſt, et ſi multi rami inutiles; & ea ipſa radix eſt, quæ ramos portat & ſuſtinet. Et uos igitur; ſi imitatores Dei eſſe vultis, (ut certè debetis) in ramis radicem agnoſcite, colite, ſuſpicite. An uero nos Petri, & Apoſtolorum meritis pares ſumus, quorum loca indignè tenemus? An plebs noſtra, quæ CHRISTI *fidelium populus dicitur, tanti nominis ſeruat dignitatem, & Maieſtatem? Monachorum ſtatus idem eſt, qui & olim erat, regula eadem, eadem profeſſio, eadem profectio: Perfectio non iam adepta, ſed breuiter, & fœliciter acquirenda iis, qui vetera illa Sancta, & verè Apoſtolis digna inſtituta ſeruare voluerint. Et profectò ſi quiſpiam uos roget definitionem Monachiſmi, & Religionum; earum inquàm, quas Sancta Sedes Apoſtolica probauit: neſcio quid melius atq́ etiam verius reſponderi poſſit, quàm methaphora ſumpta ex ſacris literis, ſi uocemus eum uno nomine Ciuitates refugij, ad quæ, ut uerum dicam, ſecuri confugiunt qui in mari magno huius mundi, de quo nimium aptè dicitur, Qui enauigant mare enarrent pericula eius, imminentia vndiq́, & animarum & corporum, & fortunarum naufragia timent. Non eſt portus ſecuritatis clauſtrum Religioſorum, etiam procul ab vrbibus. Habent & deſerta ſerpentes ignitos, & inter ſer uos Dei volant inimici tela nequiſſima. Nullus eſt locus, quoad uiuimus, in quo nos non circumeat Sathan ille callidiſſimus ſerpens, qui rugiens quærit ſemper quem deuoret. An non eſt aggreſſus* IESVM *noſtrum in deſerto? An non & Adam in paradiſo? An non boni, & mali dæmones confluxerunt in cœlo? Sedenim quanta in ſæculo facilitate tentator, tanta in clauſtro fœlicitate tentatus vincit & ſuperat, quem ſocij animant, armant, defendunt, protegunt, iuuant, confortant, expediunt, alacrem faciunt, contra timores nocturnos malarum cogitationum, & contra dæmonium meridianum, fictionum, & fallaciarum. Non enim inepte dictum eſt, Ecce quàm bonum, & quàm iucundum habitare fratres in unum. Et Veh ſoli, qui ſi ceciderit non habet ſubleuantem. Huc ſanè ſpectant ſuffragia, quibus mutuo Monachus Monachum iuuat, ut cadat quidem ſuper lapidem, & confringatur; ſed lapis non cadat ſuper eum, ne tanquam uas figuli in momento conteratur, Domino nimirum interponente manum ſuam.*

CANO-

CANONES.

TANTVM ROGANDVS EST NOBÍS DEVS, VT *poſtquàm Fratres dicuntur per charitatem, qua ſunt filij Dei, fraternam in Domino pacem, & concordiam ſeruent, & propter quod in unum congregati ſunt, quum ſint diuerſarum regionum homines, diuerſorum morum, quibus ſunt etiam diuerſa iudicia, ſtudia, ingenia; unanimes tamen per humilitatem habitent in domo; & ſit illis cor unum, & anima una, hoc eſt uoluntas una, & concors uita. In hac concordia uoluntatis, & uita habitat Deus. Ibi confregit potentias arcum & ſcutum, gladium, & bellum; omnia, inquàm arma diaboli, quia concordiam & charitatem timet diabolus; Humilitas uerò etiam ſola expellit diabolum.*

QVONIAM *uero Monachi nomen à ſolitudine deſumptum eſt, & ſolitarium ſignificat, fraternè hortamur eos, ut mundum fugiant; & in clauſtro, ubi Angeli ad eorum cuſtodiam ſemper manent, procul ab omnibus mundanis hominibus, viuant. Solitudo Monachorum, Monaſterij ſchola, & ſapientia eſt: Fugiendo mundum Monachus allicit mundanos ad monaſterium: Sequendo mundum ſocios monachos ſecum facit mundanos. Homo mundanus eſt diaboli ſeruus. Ecquæ mutatio à filio Dei, ad filium diaboli?*

REGVLARES *porrò tantorum Patriarcharum filij & hæredes magna ratione appellari ſolent, non ſolum quia illorum regulas ſcriptas tenent, ſed quia illi ipſi dum uiuerent Regulæ, Canoneſq́ fuerunt. Oremus igitur Deum, ut & ipſi Monachi noſtri, & Fratres, tanquàm libri uiui rectè uiuendi normam & regulam bonis operibus exprimant, quam & ſæculares ab eis cum delectatione, non cum indignatione & murmure, hoc eſt, non tàm uerbis, quàm exemplis (plus enim mouēt exēpla, quàm uerba) libenter addiſcant, & ſeruare iugiter nitantur, quòad poſsūt.*

AD *extremum rogemus, ut cum Religioſi antonomaſticè appellentur in populo Dei, & Deo, &* CHRISTO IESV, *in primis ſciant ſe eſſe cum omnibus Chriſtianis, rationiq́, & uirtuti cum omnibus hominibus alligatos; religatos autem ſuis ipſorum ſuperioribus, & præfectis, in quorum manibus de more obedientiam ſpontaneam profeſſi ſunt. Atq́ ideò non ſolum attendant, ne à ratione, ne à fide* CHRISTI *exorbitent, ſed ut neq́ à uoluntate ſuorum ſuperiorum uel latum unguem diſcedant. Habentes ſemper, tàm in corde, quàm in ore illud uerbum Domini. Non ueni facere uoluntatem meam, ſed eius qui miſit me; Et illud, Non mea uoluntas, ſed tua fiat; utpotè non ſapientes in oculis ſuis, neq́ ſibi ipſis placentes, neq́ amantes ſeipſos. Inde enim ſuperbia oritur omniſq́ impatientia, & maledicentia; Religionis peſtis, & funus.*

HAEC *omnia quum fecerint eorum in cœlo patrum conſociari poterunt meritis & præmijs, quorum in æterna gloriantur inſtitutis & laudibus.*

QVO-

QVONIAM autem Clerici ſunt Monachorum Patres, vtpotè primi Chriſtiani, ex quorum ſcholis omnes aliæ ſcholæ, & diſciplinæ manarunt. Ideò eorum, quos primum genuerunt perpetuò tutores, & protectores eſſe debent: Omnes igitur Religioſos, etiam ſi nullas noſtras literas habeant; à Clericis noſtris foueri iuuarique modis omnibus optamus, propter Deum, ne vlla ratione eorum pij conatus, ſtudiaquè & labores impediantur: nam & illi eiuſdem Dei intuitu imbecillitatem noſtram in parte huius miniſterij, quam indignè ſortiti ſumus precibus & pijs laboribus iuuare, & animarum, quæ noſtræ Fidei commiſſæ ſunt, ſalutem verbo atquè exemplo præmonere libenter ſolent.

SI qui autem Clerici nouerint aliquem Religioſum malè audire in populo; nos in primis, aut Vicarium noſtrum fideliter & ſecreto admoneant: Vicarius noſter illum fraternè corrigat inter ſe, & ipſum ſolum. Tum ſi periculoſum ſit ne infructuoſa fuerit illius admonitio, ad ſuum Prælatum rem totam deferat. Ipſe uerò aduerſus illum nihil omninò aliud agat, vt uniuſcuiuſq; iura ſeruentur.

QVOD ſi ſuus Prælatus, in vtriuſquè animæ æternam pernitiem ſcandalum populi noſtri, uel negligat, vel diſſimulet; ſufficiat noſtro Vicario arcere à noſtro grege morboſam alieni gregis ouem. Itaque nullam omninò illi inferet iniuriam, ſed tantum iubebit, ut exeat ex Ciuitate noſtra. Ipſi autem operam dabimus, ut generalis Præfectus negotij grauitatem intelligat, atquè ex officij ſui debito, ne res labatur in deterius, prouideri curet.

HORTAMVR autem omnes, & ſingulos huius noſtræ Ciuitatis Monachos, ut illud non rarò conſiderent, imò uerò ante oculos ſemper habeant, quod ab ea die, qua primum ſeipſos Deo obtulerunt mortui mundo, ut Deo uiuerent ſacrificium facti ſunt. Nam & eleemoſina facta propter Deum ſacrificium dicitur: Atq; ideò, quia ſacrificium diuina res eſt, non ſui ſunt, ſed Dei.

CAVEANT igitur, ne ſuggerente diabolo ſe ipſos, qui ad Deum pertinent ad ſæcularia negotia transferentes, & Deo iniuriam faciant, & ſibi ipſis æternam damnationem acquirant: auferentes nimirum à Deo, quod Dei eſt, & ipſi deorſum cadentes ab arce perfectionis, in quam Deo fauente conſcenderant. Hac ſanè arte diabolus ipſum quoquè Monachorum Archimandritam CHRISTVM IESVM calidiſſimè tentauit, ut è pinnaculo templi ſe ſe ad ima præcipitem daret, Mitte te deorſum.

LIBERI erant Monachi, antequàm clauſtra ingreſſi Deo militare cœpiſſent. At poſtquam Deo ſe deuouerunt & Monachi facti ſunt, ſi à Sancto propoſito, & ſacra religionis profeſſione reſilientes uitam ſæcularem amplexi, monaſticam reliquerint; non habebuntur tanquàm Chriſtiani ſæculares, ſed tanquàm Chriſtiani præuaricatores. Et ſæculares quidem ſaluantur, ſaluantur milites, ſaluantur negotiatores; ſed damnantur præuaricatores; ut qui mittentes manum ad aratrum retro aſpexerunt, ut qui reædificant quæ dextruxerunt, ut qui primam fidem irritam fecerunt.

SERMO

SERMO AD SYNODVM, DE MONIALIBVS.

POST PARANYMPHOS, ET AMICOS *ſponſi, qui ſtant, & gaudent ad uocem eius inuitant nos ſacrarum virginum Chori, trahunt nos in odorem vnguentorum ſuorum Adoleſcentulæ ſponſæ* (CHRISTI, *ſublimes inquàm illæ animæ, quæ quum Sancto coniugio, & nuptiarum honore in Domino frui poſſent, vt deinde lætarentur, videntes ad menſam, velut in corona natos, & natos natorum, quibus tanquàm palmitibus vitium, & ſurculis oliuarum benedicit Dominus: tamen fragilitate ſexus, qua circundatæ obſtrictæquè ſunt per uirtutem ſpiritus quæ in eas cælitus defluxit fortisſimè ſuperata, victa pœnè naturæ, & peccati lege, ſpreta libertate licentiæ, repræsſis ſtimulis iuuentutis, calcata communi mulierum conſuetudine, contubernia virorum faſtidio habentes; amantes, ambientes vnum ſolum* IESVM, *qui eſt virginitatis tàm ſponſus, quàm filius; perpetuæ virginitatis deſyderio accenſæ ſunt, perpetuam virginitatem vouerunt, virginitatis perpetuæ propoſitum Deo obtulerunt, de cuius manu ſub ſancto Religionis habitu deuotè, & humiliter accæperunt, vt donum ſic & votum. Et quidem prudentes noſtræ virgines, quas Sanctimoniales appellamus, quæ deſponſatæ Deo, æmulæ angelicæ integritatis, non ſolum non nubunt, neque nubuntur; ſed in carne præter carnem viuunt, & adhuc in terris exiſtentes ſancta quadam ſuperbia dicere poſſunt, Noſtra autem conuerſatio in cælis eſt: nimirum cum accenſis lampadibus ſequentes agnum quocunque ierit, non ducunt exordia ab illis virginibus, quæ apud Ethnicos Veſtæ Deæ, Palladiquè, aut Libero in orgiis, & ſacris execrandis impudicisſima religione famulabantur neque item ab illis, quæ in vrbe Hyeroſolima Sancto Dei templo deputatæ erant, noſtrarum Monialium velut ſimulachra, & um-*

qui te portauit, & ubera quæ ſuxiſti. Quis dubitet Petrum Apoſtolorum principem à Matre Domini obtinuiſſe, ut Petronilla quam dum eſſet filius ſæculi genuerat, eſſet particeps ſanctæ illius conſociationis, & erudiretur in Domino? Ego non dubito quin & Zabita illa, quam deinde Petrus in Ioppe ſuſcitauit à mortuis, cum cæteris uirgunculis celebraret cœtum; Sed & quatuor illas Prophætiſſas & Virgines filias Philippi diaconi, quem Spiritus Sanctus à deſyderio ſtudioq; & diligentia euangelizandi, Euangeliſtam appellat in illo Monaſteriorum primò eruditas fuiſſe cum cæteris, quis non facilè credat? eruditas inquàm in fide, in moribus, in actionibus, in contemplationibus, in ſtudijs, in conuerſationibus, in ſermone, in ſilentio, in cibo, in potu, in habitu, in geſtu, in ſcientia, in diſciplina, in omni uita. Et haud dubiè ex ſancta illa ſchola uirtutum, ex illo choro, ex illo conuentu, & cœtu, cur non dico ex illa Paradiſo deliciarum: plantauerat enim radices, & impleuerat terram, operuerat montes, umbra famæ eius, & arbuſta exemplorum eius cedros Dei, Ex illa inquàm Sancta conuerſatione, cuius odor erat odor uitæ in uitam, prodierunt heroinæ illæ omnes, ex quibus Monialium, ut & Monachorum ſtatus propagatus fuit, ex quibus per omnes ætates turbæ, & agmina mulierum in clauſtris uixerunt, ex quibus ſucceſſione perpetua, etiam ſi crepet hæreticus, in uniuerſum orbem omnis uirginalis diſciplina, ſcientia, bonitasq; manauit, de qua ut per ſingula dicere non neceſſarium; ſic omnia præterire immane atq; nefarium eſſe uidetur.

CANONES.

ERAT HAEC PRIMA VIRGINVM ERVDITIO, *prima doctrina, ut parum illis uideretur mala non facere, ſed ut in omnibus quæ bene agebant ex toto irrepræhenſibiles, & eſſe, & apparere ſtuderent; nimirum tanquàm ſponſæ* CHRISTI, *quas oportet non ſolum omni uitio, ſed etiam omni uitij ſuſpicione carere. Sanè quum cuiq; mulieri ſæpè dicatur. Vide ne amplius pecces. Virgini ſemel tantum dicendum eſt, Caue ne unquàm pecces: nam quod amplius neceſſe eſt, à malo eſt.*

INDE *docebantur eſſe humiles in corde, patientes in labore, perſeuerantes in opere, quàm eſſe deberent in Dei ſeruitio timoratæ, quàm ſollicitæ, quàm deuotæ, quàm religioſæ in ſubleuandis neceſſitatibus proximorum, quàm hilares, quàm promptæ, quàm ſpontaneæ: in ijs uero demum, quæ ad ſe pertinerent, præſertim quò ad corporis uictum, & ueſtitum, quàm parcæ, quàm modeſtæ, quàm nulli, ſi fieri poſſit, importunæ.*

Sic aſſueſcebant in omni loco, in omni tempore, in omni actu frangere, & allidere ad petram CHRISTVM*; ſuas ipſarum uoluntates, & alienæ ſe voluntati, propter* CHRISTVM*, tanquàm iugo ſuauiſſimo ſubdere, & inclinare conſtituentes propterea vnius cordis, & vnius in* CHRISTO *uoluntatis tantarum mulierum, velut Amazonidum cuneos, qui in vnum coacti, & conglobati, contra malignos ſpiritus certamen inſtruerent; eſſentq́ illis terribiles, quaſi caſtrorũm acies ordinata.*

D. HIERONIMVS *lætatur quòd Paula, & Euſtachium ſuæ in* CHRISTO *filiæ ſanctas illas Virgines emularentur. Hos noſtras utriuſq́ Monaſterij filias hortamur, ut illas ſaltem imitentur.*

RELIQVERVNT *propter amorem ſponſi Patrem, & Matrem, Fratres, & Sorores, cognatos, & affines; hoc vnum ſupereſt, vt ſeipſas relinquant, & in manu* CHRISTI IESV, *cui deſponſatæ ſunt; reſignent ſuos ipſarum amores, ſua deſyderia, ſuas voluptates, & voluntates; vt vnus* CHRISTVS IESVS *ſit illis in omnibus omnia, honor, amor, delicia, diuitiæ, deſyderium, gaudium, theſaurus, oculus, ſpes, fiducia, uita; in quo firma, & fixa ſit earum mens, cor, & anima. Rectè enim D. Auguſtinus, quum in eo Sanctam ecſtaſim faceret diuinus amor dixit ad Dominum. Minus te amat quicunquè præter te aliquid amat, quod non propter te amat Domine Deus.*

STATVS *perfectionis ſponſæ* CHRISTI *hic eſt, vt holocauſti inſtar, quod totum Deo incenditur, & ſacrificatur, nihil ſibi reliquum faciat, nẽ ſenſum quidem, aut linguam; ſed quicquid habet, aut quicquid eſt, ſolenni uoto offerat Deo; per* CHRISTVM IESVM, *ſubſtantiam inquàm rerum temporalium, uoluptates carnis mulieribus ſæcularibus alioquin licitas, & propriam atq́ tantoperè amatam libertatem; idq́ per deuotam illam, atquè ſpontaneam profeſſionem Paupertatis Caſtitatis, & Obedientiæ.*

HAC *enim ratione remouentur impedimenta Charitatis, & unionis ſponſæ cum ſponſo. Sanè decem præcepta remouent, quæ contrariantur diuino amori; hæc tria conſilia faciunt, ut in immenſum ferueat diuinus amor, ut uirgo in ſe collecta cogitet quæ Dei ſunt, quomodo placeat Deo, ut ſit tota Dei, ut nihil illi placeat niſi Deus, ut nihil agat, niſi propter Deum; ad quod etiam referuntur ieiunia, uigiliæ, meditationes, lectiones, officia, & omnia exercitia Monialium: quia Charitas eſt uinculum perfectionis, ſine qua non eſt ſalus, quæ ſi ſola eſſe poſſet, ſola ſaluaret.*

AD *uos eſt mihi ſermo, O' Filiæ, non per linguam, ſed per calamum: minore enim & ueſtri pudoris, & modeſtiæ meæ periculo uox noſtra legetur quàm fortaſſè audiretur. Venenum Charitatis, hoc eſt diuini amoris eſt terrena cupiditas,*

tis, Fomentum cupiditatis eſt proprietas, & amor proprietatis; Ergo tollite proprium de clauſtro, anathema inquàm de Iſrael, ut quidam pius pater myſtice dixit ex Ioſue; & protinus extinctæ erunt faces inuidiæ, lites, rixaq; omnes: has enim ſecum trahunt duo hæc pronomina Meum, & Tuum.

NIMIRVM *uerè & eleganter ſcripſit magnus quidam Pater, & fundator monaſteriorum. Vbi proprietas, ibi ſingularitas; ubi ſingularitas, ibi angulus, vbi angulus, ibi ſordes, ubi ſordes, ibi non habitat Sponſus munditiæ amator perpetuus* CHRISTVS IESVS.

SED *aſperum (ut uideo) & inſuauem fecit Monachis, & Monialibus, amorem communitatis longa, & nimium inueterata conſuetudo proprietatis; quum alioquin conſuetudo, quæ ueritate non nititur uſitata culpa potius dicenda, & omnino abolenda ſit: quia error cui non reſiſtitur approbatur. Et quid prodeſt ſuo ipſius errore non pollui, ſi conſenſum præſtes erranti; nam qui à ſocio, ſi poteſt, iniuriam non repellit, tantus in uitio eſt, quantus ille qui facit. Quod totum in meum caput redundare uideo & ſentio, Filiæ chariſſimæ.*

ITAQVE *ne tandem ſine cauſa laborauerim in inſtituendis noſtris Virginibus præcipimus, ut in utroq; monaſterio noſtro ſit commune cellarium, commune ueſtiarium; commune refectorium, & omnino tàm ſingulis, quàm omnibus ſint omnia, & ſingula communia, & iuxta apoſtolicam regulam, nulla dicat ſub quouis prætextu aliquid eſſe ſuum proprium.*

ABBATISSA *porrò neceſſitatibus ſororum, ſiue publicis, ſiue ſecretis, prouideat, prout cuiquè opus eſſe perſpexerit. Eæ autem Moniales, quæ miniſterio præponuntur cum omni charitate miniſtrent indigentibus, & cum omni fide res publicas tractent, tanquàm & Abbatiſſæ & nobis, & Deo reddituræ rationem.*

SCIANT *Filiæ meæ, ſciant id quod unaquæq; ſibi in archa retinet, non eſſe ſuum, ſed Monaſterij, atq; ideo quæq; in commune ponat, quod commune, non ſuum eſt; neq; clauem deferat Monialis, quia clauem alicuius rei, niſi officialis ſit, habere non debet.*

SI *enim reliquit propter* CHRISTVM *uoluntatem habendi, certè & reliquit facultatem poſsidendi: in his enim duobus conſiſtit abdicatio proprietatis, non minùs annexa Monialibus, quàm cuſtodia Virginitatis.*

PERMITTIMVS *libentes, & lubentes, ut puellas uirgunculas, quæ nuptui deſtinatæ ſunt à parentibus, Abbatiſſæ utroq; monaſterio recipiant, & teneant uſquè ad duodecimum annum incluſiuè, quaſi ſub ferula & diſciplina uirtutum; ſed eo tempore completo iubemus, ut ne per diem quidem unam retineant, niſi re ipſa declarent ſe in ſanctæ Virginitatis propoſito firmas, & fixas, nolle tranſire ad animæ & corporis corruptorem mortalem hominem; ſed permanere*

eum integritatis Conſeruatore, & Conſecratore immortali Deo, & homine CHRISTO IESV.

PVELLARVM *porrò, quæ in monaſterijs uiuunt, quòad maturæ uiro matrimonio iungantur: ſi ante tempus præfixum aliqua, ſemel etiam in gratiam patris, aut matris; ſepta monaſterij egreſſa, ea ipſa die reuerſa non fuerit, ſed extra ſacrum illum ambitum pernoctauerit; ſciat ſe indignam eſſe, quæ iterum à ſanctis Virginibus recipiatur.*

OMNINO *autem profanum putent, & nefas Abbatiſſæ, ut laica mulier vel nupta, vel uidua, quouis prætextu pernoctet in monaſterijs.*

QVIN *& ſummoperè curent ad ſanctimoniam conſeruandam, ut rarenter admodum, etiam ad crates colloquia miſceant mulieres profanæ cum ſacris Virginibus.*

SITQVE *Abbatiſſis religio perpetua, ſi uerè matres, & eſſe, & dici volunt; ne quicquam uel loquantur, uel ſcribant, ſiue affinibus, ſiue cognatis Moniales, quin neque literas, neque munera alicunde recipiant; niſi illæ ipſæ omnia ſciant, audiant, videant; quibus incumbit id oneris, vt vigilent etiam, quum omnes aliæ dormiunt.*

ADVERSVS *ſcrupulos conſcientiæ, quibus maximè affictari ſolent mulieres, præſertim autem Virgines, hoc vnum ſit illis remedium ſalutare; vt nequaquàm credant ſibi ipſis; ſed importunè, & opportunè orantes ut liberet eas Dominus, iuxta verbum Dauidis, à puſilanimitate ſpiritus & tempeſtate: hæ enim ſunt radices ſcrupulorum. Poſt orationem, niſi adſit copia proprij Sacerdotis, conſulant Moniales ſeniores, quæ exercitatos habent ſenſus ad diſcretionem boni, & mali; Abbatiſſam autem potiſſimum, quæ B. Mariæ ſemper Virginis in illa ſchola Dei locum tenet, & ferè eſt Dei oraculum; ſicquè in earum iudicio ſecuræ conquieſcant: nam etſi illæ forſitan errabunt certò certius tenere debent illarum errorem ipſis nunquàm imputandum eſſe ad peccatum, ſed futurum omninò ut illuminentur ab ipſo Deo, & dirigantur, vt non peccent aut certè, ut reſipiſcant; quando fecerunt quod in ſe eſt, ut diſcernerent inter ſpiritus Dei, & aduerſariorum.*

MEDITATIONES MONIALIVM, SINT HAE.

VITA, & mors Domini Noſtri IESV CHRISTI, *in quo eſt ſalus, uita & reſurrectio noſtra.*

PECCATA propria, *quæ vnaquæq; mente, ore & opere perpetrauit ab ea die, qua ſui poteſtatem & rationis uſum habuiſſe uiſa eſt.*

POENAE

POENAE & tormenta damnatorum hominum,& mulierum apud inferos.

GAVDIA Paradiſi, & uita æterna beatorum in cœlis.

PROPOSITVM, & ſcopus harum meditationum ſit cuiq; Virgini abnegare funditus ſe ipſam, & inhærere penitus Deo per amorem, ita in proſperis, ſicut in aduerſis, in abundantia, & in penuria, in mœrore & in gaudio, in uita, & in morte. SIC *crucifiget carnem ſuam cum uitijs, & concupiſcentijs, & odio habebit, repudiabitq; uirili animo, quicquid priuati amores ſuggerunt, ſuperbiam præſertim, quæ eſt initium omnis peccati.* ET *hac uia per Dei gratiam breui tempore peruenire poterit ad diuinum illum amorem, in quo conſiſtit omnis Chriſtiana perfectio.*

SERMO AD SYNODVM, DE SANCTIS SOCIETATIBVS, QVAE FRATERNITATES DICVNTVR.

SERMO DVLCIS, SERMO CHARVS, SERMO *iucundus, Dilectiſſimi Fratres,* περὶ φιλαδελφίας *de Amore Fraternitatis. Nam poſt parentes, poſt filios, inter omnes homines, nulli nobis ſunt, aut etiam eſſe debent, ipſis Fratribus chariores. Et parentes quidem honoramus, velut ſecundos quoſdam Deos; filios amamus tanquam chariſſima pignora; at verò, nomen Fratris, mutua quædam eſt ratio, & ſignificatio honoris, ſimul & amoris. Quid eſt enim Frater, niſi ferè alter? Notæ ſunt illæ voces, Fraternè amare, Amor Fraternus, Fides Fraterna, Fraterni animi. Ecquis ueſtrum, non uidit locum illum Ciceronis? Huic tu Epiſtolæ non fraternè ſcriptæ, fraternè debes ignoſcere. Ecquantum pondus habere debet apud uos, Dilecti Dei, quod ab initio naſcentis Eccleſiæ, poſt eximiam illam humilitatis ſignificationem; qua & Apoſtoli, & qui* CHRISTO *adhærebant, omnes dicebantur Diſcipuli; hæc ipſa vox amabilis, & venerabilis Fraternitas, fuerit communis titulus, & nota propria fidelium? Sanè extra fines Iudeæ nata eſt ſublimis hæc Chriſtianorum appellatio, quæ Reipublicæ noſtræ, & nomen tandem, & dignitatem dedit ſuper omnes Monarchias, & Politias; atq; ideò poſterior multò fuit hoc ipſo Fratrum cognomine, quo, paſſim utebantur, dum inter Iudæos uitam utcunq; traducerent, ipſi quoq; primi* CHRISTI *Sectatores, magna ex parte Iudæorum filij. Diſcipulus eſt nomen humilitatis; Chriſtianus dignitatis; inter utrunquè eſt Frater, proprium, & verum nomen noſtræ profeſſionis, quæ eſt Charitas;*

tas; nomen grauiſſimum, nomen Sanctiſſimum, tantæ humilitatis præmium, tantæ dignitatis meritum; nomen ſanguinis, quod auditum, illicò excitat animos ad illum ſanguinem, undè originem trahimus, unde uitam ducimus, unde clari, & illuſtres ſumus; ad ſanguinem inquàm CHRISTI, *qui per omnes venas, per omnes iuncturas in totum Chriſtianitatis corpus compactum, & connexum diffunditur, ut rem de re, & nomen de nomine accipientes, omnes in* CHRISTO *verè ſimus Fratres; Ob id prædulce hoc, & præclarum nomen in Paulinis Epiſtolis, in quibus nunquàm non apparet & modeſtia, & generoſitas, digna chriſtiano animo, humiliter ſublimi, & ſublimiter humili, tàm ſæpè nominatur; dignum, quod in omnium ore ſedeat; quod grandibus inciſum literis ſignetur in æternis pyramidibus, quod cum celebritate, & laude viuat vbiq;, & per omnia ſæcula. Vtinam viuat in tabulis cordis carnalibus non tàm nomen, quàm res nominis; vtinam ſimus omnes, qui* CHRISTO *nomen dedimus, verè Fratres; & iuxta Apoſtolum, charitatem fraternitatis diligentes. Noli te dubitare, Verum eſt prouerbium illud antiquum Salomonis. Frater qui iuuatur à Fratre, quaſi Ciuitas firma. Clauus profectò in altum defixus, pungens, & ſtimulans, tàm Iudæum, quàm gentilem, natura fratres, & natos ex fratribus: Nam ſi depoſitis circumciſionis, & præputij ſimultatibus, alter alterum iuuare voluiſſet Iudæus gentilem; authoritatibus, & oraculis diuinarum ſcripturarum, Gentilis Iudæum rationibus naturalibus, & incorrupta philoſophia, facilè Deo ædificante in primis, ſine quo, neq; ſurgunt, & ſtatim corruunt omnia ædificia noſtra; conſtituere potuiſſent Eccleſiam Sanctam Catholicam, uelut Ciuitatem Dei munitiſſimam, quæ nullis unquàm hæreticorum machinis, & arietibus expugnata fuiſſet. Hiſtoria nota eſt Herois illius Græci, qui octoginta filiorum pater, iam iam naturæ conceſſurus, faſciculum ex uirgulis, quem antè collectum parauerat, ſuo ordine ſingulis fratribus porrigebat confringendum; In qua re quum omnes defeſſi, nihil effeciſſent; ipſe ſingula quæq; iacula extrahens, incredibili quadam facilitate totum faſcem & diſſoluit, & fregit; docens hoc ipſo miræ euidentiæ argumento, nulla ratione uinci, ac ſuperari poſſe firmam & ſtabilem multorum fratrum concordiam. Quanta hic dicenda eſſent ad celebrandos cœtus Fraternitatum, & Societatum? Magnàm uim, magnam neceſſitatem, magnam religionem poſſident noſtræ Fraternitates, O Dilecti Dei. Familiæ, & Domus, ex quarum plantarijs magnæ Ciuitatum arbores, in immenſa hac mundi Sylua ſurgunt, & creſcunt; coniugia pro ſtirpibus habent: vndè velut in ramos, in ipſos liberos extenſæ, ſerpunt ſenſim in cognationes, agnationes, affinitates; in priuatas quorundam amicitias; tum in vicinitates multorum; ijs adiunguntur, in eadem Ciuitate, publici amici, & Socij; deniquè & complexus per omnem orbem totius humanæ gentis; cuius amplitudo, & circumſe-*

cumferentia, quum ſicut ultima, ſic latiſſima ſit, ne extremos quidem antichtonas relinquit, quos non ſuo ipſius gyro, vel circulo ambiat, & complectatur. Qui viderunt iactus lapidis in ſtagna, uel flumina, unde tot, & tanti circuli prodeunt, quos motus aquæ facit, illi hanc noſtram parabolam facile intelligent. Vir ſanè, & Vxor, prima fundamenta domorum, dum miſcentur illi ſunt, ex quibus velut aqua mota, exeunt tot circuli liberorum, nepotum, amicorum, conciuium, omnium hominum, ſunt primi circuli exigui, ſunt alij magni, ſunt inter hos medij: Exigui continentur, magni continent, medij, & continent alios, & continentur ab alijs. Eſt demum circulus maximus, qui continet omnes circulos, & ipſe nullis continetur circulis. Ità inſtituit diuina prouidentia Fratres, vt per ipſum inſtinctum naturæ, nemo ſe ipſum ſolum, & ſuam ipſius uxorem diligat, ſed & liberos, & nepotes, & conſobrinos, & amicos, adde & contribules, & conciues ſuo quenq; gradu; propinquiorem magis, remotiorem minus; tandem & omnes omninò homines; ita, ut generatim ſingulos includat, nullum excludat; intelligens, neminem ita à ſe ipſo eſſe extraneum, & remotum, vt ſuæ ipſius naturalis amicitiæ, & beneuolentiæ ieiunum, atq; expertem eſſe, pati ſine iniuria poſſit. Et naturam quidem ipſi non abijcimus, quæ dum vnumquenq; noſtrum tantis circumſcribit circulis, vt ſinguli omninò homines à ſingulis hominibus aliquo circulo contineantur, facit, ut iure humanitatis, neminem uelut procul à nobis, & omninò extra nos poſitum, atq; disiunctum odiamus. Sed enim CHRISTI IESV *Euangelium, quo natura non tollitur, ſed perficitur, antè oculos noſtros uerſari cupimus, ut intelligatis charitatem non tam extendendam in circulos, quàm per circulos contrahendam ad centrum; hoc eſt, quum eximus à nobis, quos præ omnibus, natura cogente, & Euangelio non repugnante, diligimus, totis uiribus adnitendum eſſe, ut qui in circulis magnis, & continentibus ſunt, ad contentos, & ſtrictiores reducantur. Agendum inquàm, ne per gradus procedentes ad diligendum hos & illos, dilectionem noſtram ita imminuamus, vt ſimus nimij in amandis nobis, liberis noſtris, cognatis, affinibus, amicis, ita ut in eorum gratiam nihil non faciamus; aras etiam ſæpè tranſilientes: contrà lenti, & frigidi ſimus, in amandis alienis, extraneis, ignotis; ita ut ſi non odimus quidem eos, tamen quia longinqui, & remoti ſunt, cum illis ſimus non mites, non manſueti, non benigni; ſed ferè inhumani, & agreſtes. Hæc ſanè eſt gratia Fratres, hæc eſt charitas, vt per* CHRISTVM IESVM, *ad æqualitatem (quòad fieri licet) reducentes propinquos, & extraneos, amicos, & inimicos, Romanos, & Græcos, Indos, & Barbaros, omnes (inquàm) putemus pertinere ad primum circulum, quo Fratres continentur; putemus eſſe non tàm eccentricos, quàm concentricos; ideoq; omnes ardenter, & uerè fraternè diligamus, tanquàm fratres habeamus, non aliter quàm cum*

fratribus,

fratribus, hoc eſt non aliter quàm cum nobis ipſis agamus, tractemus, uiuamus. Ecquid eſt fraternè diligere omnes, niſi ità cum omnibus agere, uiuere, conuerſari, ut ſecum quiſquè omnes uiuere, agere, conuerſari cuperet? O quàm ſuauis eſt, & quàm ſimul utilis fratrum, qui benè ſibi conſentiant, amor, & charitas? Certè qui poſthabitis fratribus, aliorum amicitias ſibi ſtudioſè comparare quærunt, ij mihi ſimiles illis eſſe uidentur, qui proprium rus negligunt, vt aliena colant. Ecquos unquàm habebit ueros amicos, qui non ex corde amat fratres? Sunt tibi chari oculi? Eſt tibi manus chara? Sunt chari, & tibi pedes? At ſit tibi omnibus charior frater. Certè, pedes etiam ſi ingenti paſſu ueniant, ſi rapidi accurrant, ſimul moueri non poſſunt; ſed proferunt paſſus vnus poſt alterum. Manus porrò, & vna, & altera, uel coniunctæ, uel quantumuis extenſæ, in magna diſtantia, quod tibi auxilium præſtare poterunt? Ipſi Oculi, quorum eſt tanta uirtus, tanta ſubtilitas, uidebunt ne unquàm quæ tibi ſunt à tergo, & anteriora ſimul? At fratres, modò fraternè ſe ſe diligant, & à fronte, & à tergo, & domi, & foris, & propè, & longè, & pace, & bello, & coniunctim, & diuiſim ſe ſe inuicem, conſilio, uiſu, uerbo, & opere iuuant. Quantum tribuitur à ſcriptoribus amicitiæ, & ipſis amicis? Notum eſt illud ex Xenophonte, O Cambyſes, non eſt hoc Sceptrum aureum quod regnum ſeruat, Amici Regum, uerissimum ſunt ipſis Regibus Sceptrum, maximèq; ſecurum. At uerò audite. Amicos nos ipſi eligimus, qui ſæpè, & amore, & iudicio fallimur; Fratres, nobis ipſa natura, quæ non errat, gignendo dedit; Quem ergò natura mihi carne, & ſanguine coniunxit, qua ratione credam, ut ille ullo tempore à me ex toto alienus eſſe poſsit, aut uelit? Non naſcuntur quidem homines inuicem amici, fideles, iuſti; Durum hominum genus agnoſco; ſed ſi fidos, ſi amicos, ſi iuſtos, ſi probos facere vis homines, natura malos, infidos, inuidos, maleuolos, nunquàm aliundè prius incipe, O bone, quàm ab ijs, quos tibi natura parens, cur non dico Deus, à quo natura dirigitur? in iiſdem laribus natos, ex eodem conceptos ſemine, ab eadem educatos matre, ex iiſdem calidis, & frigidis eductos balneis, eodem lacte alitos, eadem perpetua fratrum appellatione cognominatos, velut indiſſolubili charitatis vinculo ſociauit. Et ſi vnquàm alicui gratificari cupias, à quo vnquàm maiora ſperes? Si auxilio indiges, quem tam confidenter adibis? Quod ſi fortaſſè neminem non negligis, quem turpius diù negliges? Profectò verò, ne parentes quidem communis generationis authores, non contemnet, qui fratrem ſuum, quem illi ſecum genuerunt, ſuperbè contemnit. An uerò neſcitis apud profanos, Pollucem, voluiſſe potius eſſe cum fratre Semideum, quàm ſine fratre Deum? Quod ſi Platoni, & antè illum Pythagoræ, omnia communia ſunt inter amicos, multò magis æquum eſt, vt ſint inter fratres.

NAM

NAM amicitia, quid eſt niſi imago quædam, & ſimilitudo ipſius fraternitatis? Non poteſt homo uiuere ſolus, indiget amicis, ſocijs, Dominis, ſeruis, ut cui præter rationem intrinſecus, & cum ſermone extrinſecus vtranq; manum nihil dediſſe videatur natura, quo ſuas ipſius imbecillitates ſuſtentare, & ſuis neceſſitatibus conſulere poſſit: exarmatus enim in nudam humum natali die proijcitur, natus ad vagitum ſtatim, & ad ploratum nimirum ipſe ſibi ſua ipſius natiuitate teſtis, quod ſine peccato non eſt natus. Itaq; ſi quod eſt animal, quod ſocietate egeat, homo is eſt, vt in degenda hac miſera, & mortali vita, quam uerius mortem dixeris, alter alterius ope foueatur; Sic enim ſcripſit Salomon, Veh ſoli, qui ſi ceciderit non habet ſubleuantem, ſed ſi dormierint duo, vnus fouebit alium. Sed precor audite Ciceronem, Quoniam res humanæ, fragiles caducæq; ſunt, ſemper aliqui acquirendi ſunt, quos diligamus, & à quibus diligamur: Hinc & ſummi Reges, tàm ſæpè ineunt ſocietates, & fœdera, quod apud priſcos etiam & profanos fieri ſolebat, interuentu ſanguinis; quo mutuo & liniebantur, & quaſi ſacrabantur vtrinq; dexteræ implicati pollices; vſq; adeò cupiebant teſtatum eſſe mundo arctam illam ſocietatis, & fraternitatis, quam inierant, neceſſitudinem. Diſcite Diſcite, quàm charus eſſe debeat frater fratri.

ET quidem (quod fortaſſè caput eſſe debuerat totius Sermonis) CHRISTVS IESVS, Dominus noſter, fraternè dilexit omnes homines; Qui non Iudæos ſolum, ex quibus natus erat ſecundum carnem, ſed & Gentiles immundos, incircuncifos, Patris ſui oſores, & qui (vt cum ſanctis ſcripturis loquar) longè poſiti erant, propinquos fecit, & tanquàm propinquos habuit, iuxta Prophetam. Qui eratis longè, facti eſtis propè. Quid? pro omnibus nobis tanta fecit, tanta tulit tanquàm vnus ille Deus, de quo ſcriptum eſt. Æqualiter eſt illi cura de omnibus. Indicat, quod commune illud peccatum mundi, cuius tabe nemo non corruptus erat, & omnia etiam peccata ſingularium hominum, mea inquàm, tua, illius, & illius, patrem noſtrorum, filiorum, nepotum; & omninò omnium, abſq; vlla exceptione, ac ſi ſua fuiſſent, in proprio corpore, pertulit ſuper lignum; cuius liuore Omnes ſanati ſumus: quin & ingentia illa merita ſua, ac ſi noſtra fuiſſent, coràm diuina iuſtitia, uoluit donare nobis; Et quum ille eſſet filius Dei, voluit nos filios Dei fieri, conſortes diuinæ naturæ, factus ipſe ex vnigenito primogenitus in multis fratribus. O uerè charitatis plenam fraternitatem, quam dedit, quam reliquit nobis Saluator noſter, magiſter noſter, Dominus noſter, Deus noſter. Eam, rogo, nolite apud uos eſſe inanem, & (ut aiunt) titularem ſolum, ſed fouete eam, amicitiæ, & fraternæ charitatis operibus: Sic faciebant Apoſtoli, ſic Apoſtolici, ſic Primitiui illi omnes maiores noſtri; horum ſumus hæredes; hæres ab hærendo dicitur, hæreamus illis, ſectemur

 mur

mur eorum ueſtigia, ſimus inuicem fratres, inuicem ſocij, inuicem amici. Nam hos omnes titulos (mira Dei dignatio) communicauit nobis CHRISTVS IESVS. *Notus eſt locus in Epiſtola ad Corinthios. Fidelis Deus, per quem uocati eſtis in ſocietatem filij eius* IESV CHRISTI *Domini noſtri. Et ille in prima Canonica Dilecti Diſcipuli. Vt & vos ſocietatem habeatis nobiſcum, & ſocietas noſtra ſit cum Patre, & Filio eius;* IESV CHRISTO. *Et hæc quidem de Societate. De Amicitia, uerbum eſt ipſius* IESV CHRISTI *Domini noſtri. Iam non dicam uos ſeruos, ſed amicos; Quod ne dicas ad Apoſtolos tantum pertinere, non ad omnes, Eſtet illud. Lazarus amicus noſter dormit; & illud generale. Maiorem charitatem nemo habet, quàm, ut animam ſuam ponat quis, pro amicis ſuis. Porrò de Fraternitate, quid apertius dici potuit, quàm illud? Qui ſunt fratres mei? Quicunquè fecerit uoluntatem Patris mei, qui in cælis eſt, hic meus frater, mater, & ſoror eſt; ut ne mulieres quidem excipiantur à charitate ſororia* CHRISTI IESV, *quanquàm fraterna dicere debueram: nam mulier, quæ* CHRISTVM *diligit, non iam in fœminam, ſed computatur in uirum; ut quæ ſub muliebri ueſte, & ſexu animum gerat uirilem. Ex hac ergò fraternitate deſcendunt omnes Sanctæ Fraternitates, ex hac amicitia, omnes bonæ amicitiæ, ex hac ſocietate, omnes veræ ſocietates, Societates dico, Amantiſſimi noſtri, qui adeſtis; non ſodalitates. Doctè enim Cicero, & generosè. Si (inquit) amicos ſodales uocas, amicitiam nomine inquinas crimonoſo. Eſt enim ſodalitas in rebus leuioribus, & ferè propriè in conuiuiis, unde ſodales, quaſi in menſa ſimul ſedentes. At uerò Societatis uox, grauius quid habet, quanquàm ambiguæ eſt ſignificationis. Eſt enim bona, & mala ſocietas; unde illud. Principes tui infideles ſocij furum; & uulgata eſt uox, ſocij culpæ, ſocij ſceleris. Sedenim nemo ignorat*

Romanos rerum Dominos, gentemquè potentem,

SOCIOS *appellaſſe illos populos, & principes, ac Reges, qui ità ſecum fœdere, & amicitia coniuncti erant, ut pacis, & belli participes, damnorumquè, & utilitatum conſortes eſſent. Eſt enim ſocius græcè* συνασπιστὸς, *& communi uſu loquendi, conſtat eos dici ſocios, qui in rebus ſerijs, & laborioſis ſimul, communicant, & quaſi inter ſe ſe, conſilio, & authoritate pares ſunt, nullius rei expertes; ſed conſiliorum, negotiorum, ſumptuum, dolorum, periculorumquè; adde, conſequenter, & fructuum, & bonorum, bonorumquè omnium participes. Vnde & Apoſtolus dixit. Sicut Socij paſſionum eſtis, ità & Reſurrectionis eritis. Et iterum, Socij radicis, & pinguedinis oliuæ. Quæ ratio non procul abeſt à ratione veræ amicitiæ, præſertim quam gignit, & continet virtus, chriſtiana religione*

ligione imbuta; qua, Deus tanquàm inter amantem, & amatum, tertius ſe ſe iungit comes, & per CHRISTVM IESVM, alit, ſouet, & firmat amicitias. Undè communio oritur participatione gratiarum, donorum, meritorum ipſius IESV CHRISTI inprimis, de cuius plenitudine omnes accœpimus, omnium deinde ſanctorum, iuxta articulum. Sanctorum Communionem; & uerbum Apoſtolicum, Adimpleo ea, quę deſunt paſsionum CHRISTI in carne mea, pro corpore eius, quod eſt Eccleſia; nam ſinguli alter alterius commembrum, omnes unum in Domino corpus ſumus. Ut, quum non omnia membra unum, eundemquè actum habeant, omnia tamen ſe inuicem, ſuis ipſorum operationibus, multò magis quàm Ciues in una Republica, iuuent. In quem ſenſum, omnes modo quodam Cœnobitę ſumus; unam communem Fidei, & Sacramentorum ſpiritualem uitam participantes; iuxta Dauidicum illud. Particeps ego ſum omnium timentium te: propter quod & Sancta Eccleſia una dicitur, ſed tamen propriè Cœnobitica vita eſt Monachorum, qui meritò iam per omnes Eccleſias, obtinuerunt nomen fraternitatis, & Societatis, de quibus illud eſt ex antiquiſsima Patrum traditione, Eccè quàm bonum, & quàm iucundum habitare Fratres in unum. Porrò, ad eorum imitationem, etiam ex laicis coaluerunt, & coaleſcunt in dies ſpirituales fraternitates, & Societates, ſub diuerſis Sanctorum patrociniјs, & tutelis, quum generalis Chriſtianorum Fraternitas, & Societas habeat (vt audiſtis) principem, & anteſignanum CHRISTVM IESVM, qui non ſolum nos fecit ſuos Confratres, & Conſocios, ſed & Concorpores, & conſanguineos, dans nobis in cibum corpus, & ſanguinem ſuum, magnum ſalutis noſtrę prętium. An verò non habet Catechiſmus, Baptiſmus, & ipſa quoquè Confirmatio ſuas paternitates, filialitates, fraternitates? Sed & ipſa prędicatio Euangelij generatio quędam eſt, unde per multas lineas, & gradus; perindè ferè ac in ipſa carne, ſecundum ſpiritum, naſcuntur filij Dei. Notum ſanè illud eſt, quod ait Apoſtolus. Etſi multos pedagogos habuiſtis, ſed non multos patres, In CHRISTO enim IESV per Euangelium ipſe vos genui. Et illud. Filioli mei, quos iterum in Domino parturio. Huc enim ſpectant, & hinc pendent ſchiſmata illa Corynthiorum, Ego ſum Pauli, Ego Apollo, Ego Cephę, quę Deus auertat à noſtris fraternitatibus. Habebat, & Apoſtolus, pręter diſcipulos, & paucos illos, quos baptizauerat, Eccleſias domeſticas, & priuatas ſocietates amicorum, etiam Romę, & in aula Cęſaris, quos proptereà in Epiſtolis ſuis nominatim in amicitię ſignum ſalutare non dedignabatur. Quin & Petrus Coryphęus Eccleſię CHRISTI, pollicebatur etiam poſt obitum, memoriam ſe habiturum eorum, quos dum viueret, tanquàm amicos in familiaritatem, & fraternitatem ſuſceperat. Fuerunt, & Iuliani Apoſtatę temporibus, Ioannes, & Paulus, duo illi Clariſsimi, & inuictiſsimi heroes, quos

eadem

eadem CHRISTI *fides, & pro* CHRISTI *fide paſſio fecit eſſe germanos: Extat & ſancta illa hiſtoria, quæ refert Diuum Sebaſtianum Caput, & Ducem fuiſſe Societatis in* CHRISTO *fortiſſimæ illius legionis Thebeorum. Ecquid neceſſe eſt hic immorari? percurram rem totam ego breuiſſimè. Sunt omnes homines natura Fratres, qui ex vno Adamo, & ex vna Eua pari inter ſe germanitatis vinculo conſtringuntur. Vndè legitur in Prophetis, Dicite ijs, qui oderunt vos, Fratres noſtri eſtis. Sunt & dicuntur ſpeciali quadam ratione Fratres, qui ad eandem nationem pertinent: nam omnes Iudæi Fratres ſe uocant, & alios quoſuis habent, velut alienos, iuxta illud. Si emeris fratrem tuum, qui eſt Hebreus ſeruiet tibi, ſex annis, ſeptimo dimittes illum liberum, & illud. Conſtitues ſuper te principem, qui ex fratribus tuis ſit: alienigenam conſtituere non poteris, quia non eſt Frater tuus. Vnde & Diuus Paulus. Optabam (inquit) anathema eſſe à* CHRISTO, *pro fratribus meis, qui ſunt cognati mei ſecundum carnem. Eſt & alia maior fraternitatis ratio; inter eos, qui unius familiæ, & vnius cognominis ſunt; quales erant Abraham, & Loth, Laban, & Iacob. In lingua latina (ut ſcitis) dicerentur Gentiles, qui vel ex eadem gente orti eſſent, vel qui ſimili nomine appellarentur. Cicero enim, Phereoides, (inquit) Syrus primus dixit hominum animos eſſe ſempiternos, Antiquus ſanè; fuit enim meo regnante gentili, Intellexit haud dubiè, Seruium Tullium ſuum cognominem, fumoſam imaginem Tulliorum; ſed enim mos eſt noſtris ſcriptoribus, vt gentes, & gentiles vocent priſcos populos, qui colebant non unum Deum, ſed plurimos Deos; quanquàm & illi, hac ipſa ratione ducti uidentur, quia in gentilium, hoc eſt, maiorum ſuorum, fide perſtiterunt, neque religionis cultum mutauerunt. Vnde, & illud Etymon obſeruare ſolent; Gentilis quaſi genitus talis. Appello itàque, cum ſacris ſcriptoribus, omnes huiuſmodi cognomines Fratres; in quem ſenſum fortaſſe memorantur Fratres* CHRISTI IESV. *Sunt omninò, & alia fraternitates; ſed ſat ſit ad memoriam ueſtram reuocare Diſtichon illud uetus, quo nouenæ fraternitatis rationes continentur; quod & Albertus Magnus ſuis ſcriptis inſeruit.*

Dat dici, Naturà, Fides, & Adoptio, Fratres,
Gens, Lex, Affectus, Regulà, Sanguis, Amor.

NEQVE *verò dubium eſſe poteſt, ſi Gratia eſt ipſa natura longè potentior, ſi ſpiritus eſt ualentior carne; ſi vis diuina vim naturæ excellit, quin ſanctæ huius noſtræ ſpiritalis, & cæleſtis cognationis neceſſitudo, qua ex uno ignorantiæ utero, in unam veritatis lucem emerſimus; ab eodem Patre Deo, ab eadem Matre Eccleſia geniti, & procreati ſumus; vno primùm ſimplicis la-*

ctis

ctis potu, deindè & vno ſolidioris cibi paſtu educati ſuimus, deniquè eiuſdem hæreditatis, quæ nobis integra conſeruatur in cælis ſocij, & participes prædeſtinati in hac uita viuimus. Dubium inquàm eſſe non poteſt, quin multò fortius nos inuicem conglutinet vinculum huius Chriſtianæ Fraternitatis, quàm caro, & ſanguis, quàm amor communis, quàm patria, quàm nomen, quàm gens, quàm affinitas, quàm natura deniquè ipſa tota. Et mundus quidem ipſe expertus eſt, quàm per omnes terras inualuerit priſcis temporibus filiorum Dei, & fratrum IESV CHRISTI *Sancta Germanitas; quæ diffuſa à Solis ortu, ad occaſum, ſine armis, ſine exercitu, noſtrum genus, Chriſtianam inquàm familiam vſquè adeò ampliauit, vt Aſia, Africa, & Europa, quibus ternis regionibus mundus ipſe totus continetur, vnum* CHRISTVM *colerent, vnum* CHRISTVM *inuocarent, & ſpretis cunctis alijs Dijs, ipſo quoquè Sole, & Luna, qui maximè Dij præ cæteris Dijs uideri poterant, quia eorum lumine, & motu dies, & noctes; perſeuerat hac mundi facies vnum* CHRISTVM *ſolum religioſiſſimè profiterentur. Nunc, quia fratres eſſe deſiuimus, quia charitatis, & ſocietatis Chriſtianæ fœdera violauimus, quia per diſſenſiones, & diſcordias noſtras alter ab altero, atquè adeò à* CHRISTO *omnes alienati ſumus: nam Vir in uirum, populus in populum, Ciuitas in Ciuitatem, & Regnum in Regnum inſurgit, furit, bacchàtur; heu ipſi videtis, quàm in paucis regionibus audiuntur hymni, & laudes* CHRISTI IESV; *quàm Chriſtiani vndiquè à patrijs ſedibus pulſi, in peregrinas terras, neſcientes quo eant, extorres abire coguntur; quàm tota Aſia, & Africa penitus amiſſa, ab extremo hoc tandem Europæ angulo, quem vix tenemus, miſerè extrudimur. Traditi ſumus Fratres libidini, & crudelitati hoſtium noſtrorum, Et qui (ut quod uerum eſt dicam) ſi qua eſſet ſocietas ſpiritus, ſi quod vinculum charitatis, ſi qua fraternitatis viſcera, eſſemus viri aduerſus fœminas, pecudes eſſe videmur obiectæ lupis; Ingenio, & armis ſuperiores ſumus; cæcitate, & amentia animi facti ſumus inferiores. Quantum poteſt unita, quàm nihil poteſt diſiuncta, & diuulſa fraternitas, & charitas? Sed hac tragica oratio, alibi, & aliàs locum habitura eſt; nunc ad vos ſatis ſit dicere; Quoties ipſi Orationem Dominicam (qui mos Chriſtianis ſolemnis eſt, & quotidianus) ſiue domi, ſiue in templo, vel legimus, vel audimus; toties dum ipſo initio præfamur ad Deum, Pater Noſter; omnium Chriſtianorum, qui vbiquè gentium ſunt, & eundem Deum Patrem nobiſcum habent, communis Fraternitatis, generali ſermone, & intentione mentionem facere cogimur; vt ſi verè, ſi ſanctè, ſi piè intelligimus Deum eſſe Patrem noſtrum omnium; intelligamus illud quoquè, omnes Chriſtianos eſſe Fratres noſtros, & quod* CHRISTVS IESVS, *tàm ſanctè, tàm plenè, & tàm ſublimis præoationis author,*

thor, & institutor ob id potiſſimum iuſſit, vt diceremus Pater Noſter, Et di mitte nobis debita noſtra, & Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie; vt non tàm quiſquè pro ſe ipſo ſolùm, quàm ſinguli pro omnibus, & omnes pro ſingulis, Fraternitatis memores, intentiſſimè precarentur; ſicque, ad mutuam, & veris, & bonis Fratribus dignam charitatem nos ipſos excitaremus, Fraternaque beneuolentia alter alterum complecteremur; vt aſſurgentes, ex Fratribus, ad patrem, accenderemus in nobis ignem ardentem diuini amoris, & corda noſtra tota abirent in flammas; Verum eſt enim quod dixit dilectus Domini. Qui non diligit Fratrem ſuum, quem videt, Deum quem non videt, quomodo poteſt diligere? Res familiaris plerunquè inter Fratres carnales dirimit Fraternitatis amorem; Vnde illud.

Fratrum concordia rara.

NOS qui animo, animaquè miſcemur, qui ſpiritu vnum ſumus, qui corporalem ſubſtantiam, pecuniam, remquè omnem nihili facimus, cur amicitias violamus? cur fidem frangimus? cur in Fraternitate non perſiſtimus? cur tragedias alter in alterum excitamus? Pudeat, Pudeat: nam inter Ethnicos repertus eſt, Fratri dicenti, Moriar niſi de te me vltus fuero; illicò Reſpondit, Moriar niſi te mihi amicum fecero. Tu in diſſenſione, Ego in reconciliatione primus ero; parce, parce, dilige, dilige. O charior oculis, O charior vita, O mihi me charior, Dijs charus ipſis. Scopus itaquè, & fructus ſimiliter ſpiritualium harum in CHRISTO *Societatum, & Fraternitatum, de quibus hodie ſermo inſtitutus eſt, communicatio eſt virium, iurium, donorum, gratiarum, ſuffragiorum, meritorum, laborum, præmiorum ad conuiuendum, & commoriendum; Vtar enim Apoſtolico verbo Pauli ad Corinthios. Quàm ardens illa Charitas Pauli Fratres? Ego inquit libentiſſimè impendar, & ſuperimpendar pro animabus veſtris. Et ad Coloſſenſes, quod ſupra adducebamus, Gaudeo in paſſionibus pro vobis, & adimpleo ea, quæ deſunt paſſionum* CHRISTI *in carne mea, pro corpore eius, quod eſt Eccleſia. Infra autem ſicut didiciſtis ab Epaphra chariſſimo conſeruo noſtro, qui etiam manifeſtauit nobis dilectionem veſtram in ſpiritu; Ideò & nos ex qua die audiuimus, non ceſſamus pro uobis orantes, & poſtulantes, ut impleamini cognitione uoluntatis eius. Ad Theſſalonicenſes autem inquit, Deſyderantes uos cupide, uolebamus tradere uobis, non ſolum Euangelium, ſed & animas noſtras; quoniam Chariſſimi nobis facti eſtis. Audite & illud. Nunc uiuimus ſi ipſi ſtatis in Domino; Quam enim gratiarum actionem poſſumus Deo retribuere pro uobis, in omni gaudio propter uos ante Deum noſtrum, nocte, ac die, abun-*

dantius orantes, vt videamus faciem veſtram. & compleamus ea, quæ deſunt fidei veſtræ? Et illud, De futuris tribulationibus, & periculis propter Fratres, ſi immolor ſuper Sacrificium, & obſequium fidei veſtræ, gaudeo, & gratulor omnibus vobis. Ad Philiopenſes autem. Eo quòd habeam vos in corde, & in vinculis meis, & in defenſione, & confirmatione Euangelij ſocios gaudij mei omnes vos eſſe. Quantum autem ſuos ipſe ſocios magnificerit indicat illud, quod in titulo Epiſtolarum ſuarum mire ſe demittit, neq; enim ſe nominat ſolum, ſed illos ſibi adiungit, quaſi, & illorum ut ſua, Epiſtola eſſet; illorum dilectio, illorum doctrina, illorum ſcientia, & eloquentia. Paulus inquit, & Syluanus, & Timotheus: Non eſt omittendus Ioannes Dilectus Domini, nam & ille ſcribens Caio, quem diligebat in veritate (ſic enim præfatur) Orationem, inquit, facio, proſperè te ingredi, & valere, ſicut proſperè agit anima tua. An ergò non videtis antiquum Chriſtianorum morem impartiendi, & communicandi ſuffragia inuicem per charitatem, & orationem? Iudas autem qui & Thadeus, audite quid dicat. Omnem ſollicitudinem faciens, ſcribendi vobis, de communi noſtra ſalute, neceſſe habui ſcribere vobis, deprecans ſupercertari, ſemel traditæ à Sanctis Fidei. Ecquid ſonant hæc verba, niſi Sanctorum, quam dicimus, communicationem, & orationum, & laborum? Tandem eſt locus, digniſſimus, qui à nobis commemoretur, ex ſecundo libro Machabæorum: Et nunc hic ſumus pro vobis orantes regnante Demetrio. Et orauimus ad Dominum, & exauditi ſumus; & obtulimus ſacrificium, & ſimilaginem, & accendimus lucernas, & propoſuimus panes &c. In primo autem libro, dum ſummus Sacerdos Ionathas, & Seniores gentis, & Sacerdotes, & reliquus populus Iudæorum ſcribunt Spartiatis, ad ineundam cum illis amicitiam, Fraternitatem, & ſocietatem; non ne videtis, quanto animo teſtantur ſe fundere perpetuas præces ad Dominum pro illorum ſalute, & fœlicitate? Ita enim habet Epiſtola ferè in principio grauis quidem illa tota, & digna populo Dei: Nos ergò, in omni tempore, ſine intermiſſione, in diebus ſolennibus, & cæteris, quibus oportet; memores ſumus veſtri, in ſacrificijs, quæ offerimus, & in obſeruationibus (ſicut fas eſt, & decet) meminiſſe Fratrum. Eodem quoquè libro habetur, dum mortuo Ionatha ſucceſſiſſet Symon in ſummum gentis Iudaicæ Sacerdotem, literis hinc inde miſſis; Romanos appellare ipſos Iudæos his tribus titulis, amoris, & honoris plenis. Amicos, Socios, Fratres. Sed Romanorum humanitati, quid non eſt tribuendum? Audite iam ſi non nomen vim, & rem Fraternitatis in populo Barbaro, in Pharaone, quo non crudelior alter. Sic enim ait ad Moſen, & ad Aaron; Orate Dominum, vt auferat ranas à me, & à populo meo, & dimittam populum, vt ſacrificet Domino. Agamus gratias, Botuntinenſes mei, Deo patri, & Domino noſtro IE-

SV CHRI-

SV CHRISTO, *quòd in hac noſtra Ciuitate excitauerit tot, & tantas ſub titulo Sanctiſſimi Corporis Domini Noſtri* IESV CHRISTI, *ſub titulo Roſarij Glorioſæ Virginis, ſub titulo Diui Antonij de Padua, & aliquot alias Fraternitates, In quibus videre uideor, iuxta Apoſtolicam illam admonitionem Philippenſium, & conſolationem in* CHRISTO, *in deuotione, & cultu Dei per* CHRISTVM, *& ſolatium charitatis in mutuis ſubuentionibus, & ſocietatem ſpiritus in orationibus, & demum viſcera, & miſerationes in condonando, in remittendo, & condolendo. Hæc ſunt potiſſima ſigna Fratres, & verè Characteriſtica ſocietatum in* CHRISTO; *ſi donatis inuicem debita ueſtra, ſi remittitis alter alteri ex cordibus ueſtris; ſi ad extremum cum alia ratione iuuare non poteſtis, ſaltem condoletis animo miſerijs; & calamitatibus Fratrum ueſtrorum. Eia amici, Eia conſocij; Si pes podagra doluerit, ſi chiragra manus, ſi dens reumate, ſi aciculæ punctione unguis, toti condolemus; & ipſum etiam caput dolet, & dolente Fratre, non dolebimus? Vbi eſt Fraternitas? Vbi eſt charitas, vbi eſt* συμπαθεια? *Timeo ne ſit* αντιπαθεια *Fratres? Illa eſt Sympathia, quam Paulus deſcripſit, quum gaudemus cum gaudentibus, quum flemus cum flentibus. Hæc eſt antipathia, quam ipſi opere deſcribimus; Gaudemus enim cum flentibus, & dolemus cum gaudentibus. O liuor, O tabificum; Chriſtianæ ſocietatis, & charitatis uenenum. Non ita erit inter uos Fratres, non ita. Habetis corpus, ad quod congregantur Aquilæ, habetis roſas, habetis Antonium, florem nouum; Eſtote & ipſi Aquilæ, tollite oculos ueſtrarum mentium ad Solem, ad Solem inuiſibilem, Deum, per* IESVM CHRISTVM, *qui dicit; Ego ſum lux mundi. Morſitatis roſis, redite ad uos metipſos, exuite quod beluinum in uobis eſt, & induite hominem, & renouamini ſpiritu mentis ueſtræ: Florete, Frondete, Vireſcite per bonorum operum exempla. Sic & ipſe ego, quum ſim Frater ueſter, ero & Pater ueſter. Cathena amoris eſt hæc, Botuntinenſes mei, qua nulla eſſe firmior poteſt, undè & efficiuntur nodi, nodo Gordiano multò fortiores. Dixi ego hactenus, hic finem facio. Vos nunc facere incipite. Filij eſtis, Fratres eſtis, agnoſcite Fratrem, amate patrem. Pater amat uos, Frater honorat uos. Vos amate inuicem, inuicem honorate, alter alterum amore, & honore inuicem præuenite.*

*

CANONES.

NVLLVS PRAESCRIBATVR SOCIORVM, SIVE Fratrum, aut etiam ſororum in qua vis ſocietate numerus; Vtinam CHRISTI Fratres multiplicentur ſuper numerum. Nam & ipſe Dominus Noſter IESVS CHRISTVS, Sanctarum ſocietatum, & Fraternitatum auctor, omnes homines ſibi ſociauit, omnes ad ſe vocauit, pro omnibus mortuus fuit, & quantum in ſe eſt, omnes ſaluare cupit; Itaquè neminem excludant, qui eorum communionem ingredi voluerit, ſi modò bonæ vitæ ſit, & bonæ famæ.

SI qui autem in ſocietatibus, ſint publici, & notorij peccatores, atquè infames, poſt vnam, & alteram correctionem, quam Prior facere teneatur, & ſimiliter Cappellanus; ejciantur omninò: quia modicum fermentum totam maſſam corrumpit. Poßint autem recipi ſi integro triennio ſignum dederint (iuxta ti, quod ad meliorem vitam conuerſi fuerint.

OMNES, & ſinguli Conſocij, vel Confratres, quolibet menſe confiteantur, & communicent.

PROCVRATORES Societatum eligantur vno quoquè anno à Conſocijs, ſed præſente Cappellano, qui ab Epiſcopo deputetur in gratiam Societatum; Ipſa autem Procuratorum electio nulla ſit, niſi accedat Confirmatio Epiſcopi.

EPISCOPVS ſine ſcriptis, ſola benedictione, ad vitanda diſpendia ſocietatum; Procuratores confirmet, ſi tamen illius iudicio digni videbuntur.

NIHIL inſumant Procuratores inſcio Cappellano, quem obligamus ad conficiendum librum, præter eum, quem Procuratores de more faciunt; ut non poßit eſſe locus fraudi, aut etiam ſuſpicioni fraudis.

NE ſemel quidem congregare poßint Societates, abſquè præſentia ipſius Cappellani, cuius pro CHRISTO, quem repræſentant monitu, & conſilio ducantur, & dirigantur in omnibus rebus.

PRAECIPIMVS autem, vt quoties res aliqua grauis tractanda eſt, etiam ſi ad bona temporalia ſpectet; in primis, & ante omnia ille ipſe Cappellanus celebret Miſſam de Spiritu Sancto, cui tota ſocietas intereſſe teneatur.

NON ceſſent Societates à proceßionibus publicis, quas tempore Quadrageſimæ & alijs ſextis ferijs anni celebrare conſueuerunt. Sed quia nefas eſt turmas ouium gregatim procedere ſine paſtoribus pro cantandis letanijs, & alijs pſalmis, atquè orationibus; aduocent aliquos ex noſtris Presbyteris, qui in re tan

ta ſint

ta ſint Duces, & anteſignani; Ut quum illi intonuerint, Conſocij reſpondeant: Id enim ſatu eſſe debet Laicis.

PROHIBEMVS *autem omnibus Sacerdotibus, & Clericis, ne eorum quiſpiam, quouis prætextu in Proceſſionibus, induat habitum alicuius ſocietatis; Sed iubemus, vt omnes & ſinguli eant cum ſuis ſuperpelliceis, idquè ſub pœna imponenda arbitrio Vicarij.*

QVAM *diligentiſſimè obſeruent omnes Societates, ſub pœna amiſſionis priuilegiorum, & indulgentiarum ſuarum; ne aliquod præiudicium faciant Eccleſiæ noſtræ Cathedrali, aut aliis Eccleſiis Parochialibus, aut etiam monaſterijs religioſorum, ſiue in quarta funerali, ſiue in aſſociandis defunctis ad ſepulturam, ſiue in legatis pijs, ſiue in aliis quibuſcunquè rebus. In his omnibus autem decidendis, ſtetur ſimplici verbo Vicarij noſtri, cuius ipſi conſcientiam oneramus.*

HABEAT *hoc priuilegium Societas, vel Fraternitas Sacri Montis Pietatis, ut in ſepeliendis funeribus Confratrum ſuorum, dumtaxat ex his duobus, quod maluerint, eligere valeant, ire inquam (vt moris, & iuris eſt) ante omnes religiones, uel poſt omnem clerum noſtrum comitari cadauer in promiſcua multitudine, abſquè ullo tamen ſigno Societatis, hoc eſt, cruce, uel vexillo, proprio; Iubemus enim, ut contenti ſint penula ſua alba, qua ſuper indui ſolent, & pileo ſimiliter albi coloris.*

OMNINO *autem liceat eorum aliquibus, quorum numerus pro perſonarum qualitate præſcribendus erit à Vicario noſtro ambire feretrum cum intortitijs accenſis, etiam in ipſa Eccleſia, ubi tumulandus erit mortuus, ita tamen ut quarta pars, non eorum ſolum, ſed omnium intortiorum, quæ nomine prædicti montis deferri contigerit peracto ſepulturæ officio, remaneat Eccleſiæ. Excommunicati porrò ſint & illi, qui uel omnia, uel aliqua extinguere auſi fuerint antequàm ingrediantur Eccleſiam, in qua exequiæ celebrandæ erunt, & illi, qui quantum ad prædicta intortitij, uel in totum, uel in partem, uel directè, uel indirectè fraudem fecerint, prædictæ Eccleſiæ, quomodolibet præiudicium aliquod afferentes.*

ADMONEMVS *Cappellanos, & Procuratores, ut in eleemoſinis erogandis ſint fideles, & prudentes diſpenſatores, diſpenſentquè oculo columbino, pauperibus* CHRISTI, *induentes pia uiſcera miſerationes eius; ut ſint uera eleemoſinæ, hoc eſt non ſtipendia ſeruitutis, non amicorum quaſi munera, non turpitudinum interuentus, ut inquàm dentur amore Dei, & ijs, qui uerè pauperes* CHRISTI *indigent alienæ opis propter* CHRISTVM; *Inter quos etiam adhibeatur iudicium, & prudenter uideatur, cui detur, hoc eſt, ut ubi cætera ſint paria ſemper, ante omnes oculos, ſuccurratur magis indigentibus.*

QVOLIBET *anno reddant Procuratores rationem adminiſtrationis ſuæ, coràm Vicauio noſtro, cuius etiam authoritate, niſi fortaßè ipſi ſe reos accuſent, repetundarum, qua uis excuſatione remota, compellantur reſtituere, ſi quid fraudauerint.*

CAVEANT *autem omnes & ſinguli, quibus quomodolibet adminiſtrare contigerit res ipſarum Societatum, ne de rebus uel mobilibus, uel ſtabilibus aliquid uendere, permutare, aut quo uis modo alienare præſumant; ſine ipſius Epiſcopi licentia, in ſcriptis obtenta, idquè ſub pœna excommunicationis, quam ipſo facto incurrant.*

OMNIA *ſtatuta Societatum, quolibet anno in tempore Paſchatis deferantur ad Epiſcopum; ut uideat ſi quid uel in fide, uel in moribus indigeat correctione, reformatione, emendatione.*

SERMO AD SYNODVM, DE PRAEDICATORIBVS.

INTER COETERA, QVAE SACRAE LITERæ ad paſtorale Epiſcoporum munus ſpectare docent, illud fortaſſe uidetur eſſe præcipuum; virtus & auctoritas prædicandi, & euangelizandi uerbi Dei. Nam, ut omnium Sacerdotum munus ſit baptizare, prædicare tamen propriè Epiſcoporum eſt: unde Apoſtolus, Non miſit (inquit) me Dominus euangelizare, ſed baptizare; & quum ſuum illum chariſſimum, quem in CHRISTO genuerat hortaretur; Prædica, inquit, verbum, inſta oportunè, importunè, opus fac Euangeliſtæ; alludens nimirum ad illud Eſaiæ. Quàm ſpecioſi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona. Et neceſſitas quidem prædicationis inde apparere quàm maximè poteſt: quia uerbum Dei quod predicatur, comparatur ſemini; ſemini inquàm, quod eſt initium generationis & uitæ. Semen (inquit CHRISTVS) eſt uerbum Dei; propter quod & allegoricôs legitur in Prophetis, Beatos eſſe illos, qui ſeminant ſuper aquas; hòc eſt qui non abſcondunt frumenta, nequè talenta uerbi in terram ſuffodiunt; ſed prædicant in populis; quia Aquæ multæ, populi multi; vnde & Dominus Apoſtolis dicebat, Quod dico uobis in tenebris; ipſi dicite in lumine, & quod ad aurem auditis, prædicate ſuper tecta; Euntes in mundun uniuerſum prædicate Euangelium omni creaturæ. Quis porrò dignè laudare poſſit prædicationis gratiam? quæ à tenebris ignorantiæ, ad ſcientiæ lumen, ab errore, ad veritatem, à uitijs deniquè, reuocat ad virtutem? praua mutat in recta, aſpera conuertit in plana? inſtruit Fidem, erigit Spem, nutrit Charitatem? euellit noxia, ſalutaria plantat? rigat initiatos, fouet pro-

ſicientes, laudat perfectos? Sanè ex prædicatione, ſunt carmina, lamentationes, & veh, carmina de gaudijs Cælitum, & de gloria Paradiſi, lamentationes de peccatis, & de pœnitentia, Veh de ſupplicijs, & pœnis æternis, quibus apud inferos torquentur maledicti à Deo; vt ex carminibus ſpes alatur, concipiatur dolor de peccatis, & ex pœnis inferorum timor oriatur, ſine quo non iuſtificatur peccator coràm oculis Dei. Vt propterea nihil prorſus aberret, qui munus prædicandi fundamentum Religionis appellauerit, Ianuam ſalutis, viam vitæ, & clauem Paradiſi. Ecquid eſt in ſacrarum ſcripturarum theſauro, quod ſcriba doctus in Regno Cælorum non proferat, ſiue nouum, ſiue vetus ad exuendum veterem hominem, ad induendum nouum, ad abolendam vetuſtatem culpæ, ad introducendam nouitatem gratiæ, ad elucidandas tenebras teſtamenti veteris, ad producendas, & confirmandas ſententias teſtamenti noui? Sanè Prædicator tanquàm animal mundum, & meditatione, quaſi faucibus ruminans & iudicio quaſi vngulam findens, ſapientiam loquitur inter perfectos, coràm paruulis autem prædicat vnum IESVM CHRISTVM, *& hunc Crucifixum; modis autem omnibus excutit puluerem inanis gloriæ de pedibus, & affectibus ſuis, ne quum alijs prædicauerit; ipſe reprobus efficiatur, ſed potius quum fecerit & docuerit magnus habeatur in Regno Cælorum. Ita quòad fieri poteſt mundus totus, aliorum quoquè culpas ſuis per* CHRISTVM IESVM *abluit lachrymis, inde lotos erudiens ad doctrinam, inſtruens ad vitam, & cum auro Sapientiæ, cum argento Eloquentiæ, cum Balſamo honeſtæ conuerſationis, trahens populos ad fidem doctrinæ, ad imitationem vitæ, confirmat quæcunquè dicit, auctoritatibus ad robur, rationibus ad lucem, exemplis ad facilitatem; funiculus nimirum triplex; qui difficilè rumpitur.*

CANONES.

IN PRIMIS *igitur Prædicatores huius noſtræ Eccleſiæ meminerint illius verbi, quod dictum eſt ad Paulum Apoſtolum Ducem verbi, quem Gentes etiam Mercurium vocabant, Siquis eſt tibi Sermo exhortationis, hunc profer ad Populum; Non enim legendi, aut diſputandi munus eſt prædicationis officium, ſed exhortationis. Neq; ſua laude carebit, qui è ſuggeſto non diſputauerit acriter in vtranq; partem; ſed qui lentè, frigideq;, ad benè, beatèq; viuendum exhortatus fuerit.*

ATTENDANT *finem prædicationis non eſſe, tàm vt ſciamus, quàm vt boni efficiamur. Atq; ideo, niſi neceſſitas cogat, pro exterminandis, erro-*

ribus

ribus in materia Fidei, ſi qui fortaſſe (quod abſit) irrepſiſſent in populum hunc noſtrum. Abſtineant ab omnibus quæſtionibus, & diſputationibus, illis potiſſimùm, quæ quò ſubtiliores ſunt, eò minus ad rem faciunt:

INTERPRAETENTVR occurrentia Euangelia, & ſuper illis ſimpliciter quidem, ſed grauiter tamen, magnificè, copioſè eos annuntient populo noſtro, quibus almus ille heros Catholicus, & totus Apoſtolicus Beatus Pater Franciſcus, imperitus ſermone forſam, ſed non certè ſcientia, prædicationis ſummam concluſit, Virtutes inquàm, & vitia; pœnam, & gloriam: Nam quæ extra hæc ſunt, ad inflantem potius ſcientiam, quàm ad ædificantem charitatem pertinere videntur.

SI quando neceſſe eſt prodire in aciem ad defendendam veritatem Catholicam, ne fides iacere videatur, quum eam Hæreſis armata bello petit; caueat Prædicator, ne vel more Dialectico arguens ad vtranq; partem, vel more Rethorico dialogos texens, & componens, quæſtionem introducat. Vix enim ſine maximo animarum periculo, propter quod etiam in ſcholis & palatijs de rebus Fidei diſputare coram plebecula ſacra Concilia prohibuerunt.

MODVS autem quo vtetur hic erit. Veritatem fidei Catholicæ ante omnia offeret populo, paucis, ſed grauibus, neq; tàm humanis, quàm diuinis uerbis.

HANC illuſtrabit, quòad poterit grauitate, ac nitore ſermonis. Adducet autem loca Scripturæ, non quæ ipſe ſuopte ingenio credit, ſed quæ maiores noſtri, diuino afflati ſpiritu, & vnanimi antiquiſſimæ Eccleſiæ conſenſu, validiſſima eſſe putauerunt. Citabitq; potiſſimùm eos Doctores, qui non literis ſolùm, ſed & miraculis, & ſanctitate claruerunt. Eos enim veriſimile eſt, tanquam præ cæteris vnctos à Spiritu ſancto, melius de rebus, quæ ad ſalutem noſtram faciunt, quid tenendum ſit, intellexiſſe. Afferet Conciliorum antiquorum auctoritatem inſuper, & praxim piorum virorum: nam ea demum eſt vera interpres doctrinæ Eccleſiaſticæ. Et tandem oſtendet ab initio Chriſtianæ Religionis perpetua ſerie Apoſtolorum, & Apoſtolicorum virorum eam veritatem fuiſſe ſemper in Græca, & Latina Eccleſia, creditam, receptam, prædicatam, obſeruatam. Hæc ſanè eſt machina inexpugnabilis, cui nititur omnis veritas, contra quam ne ipſæ quidem inferorum portæ, ullo unquàm tempore præualebunt.

QVVM autem pro veritate, quantum ſatis eſt, locutus fuerit, eamq; elucidauerit, aſſeruerit, munierit, quod haud dubiè ipſa audientium multitudo intelligendi auida, nutu ſuo (vt ſemper ſolet) ſignificabit; tùm non quod multi ineptè faciunt, Carneadeo more, ad oſtentandam doctrinam, pro falſitate loquantur; ſed quod decet virum bonum, & ortodoxæ Fidei cultorem, inſurgat verbis potentibus aduerſus hæreſim, quæ ſub nomine Fidei ſe extollere audet contra Doctrinam Cthollicam. Et ſuper omnia inueatur in populum, perſuadereq;

illi

illi nitatur omnibus viribus, quàm omnes & ſingulos pœnitere, tedere, pudereq́ debeat, quod in re tanta, tàm firma, tàm certa, & clara, tàm probata, à nouis hominibus decipi ſe, faſcinariq́ permiſerint. Horteturq́ demum per viſcera Miſericordiæ Domini Noſtri IESV CHRISTI, *vt, iam agnita veritate, reſipiſcant: & poſthac nunquàm vacillent in fide Sanctæ Ro: Eccleſiæ; quæ, per Dei gratiam, eſt columna, & firmamentum veritatis.*

INDVANT *Prædicatores ſanctam, & tanto munere dignam Domini noſtri* IESV CHRISTI, *& ſuorum fidelium Charitatem: vt quiſq́ eorum ſurgat in morem Heliæ, tanquàm facula ardens, habens ſermones ignitos ad purgandos peccatores, ad perficiendos pœnitentes, & ad condemnandos obſtinatos: prædicent magnalia Dei, non magnalia ſui, non magnalia mundi, non magnalia Philoſophi, Aſtrologi, Rethorici, Dialectici.*

CAVEANT *autem, ne quod dicunt ore, deſtruant opere, ne ſint Uriæ ſimiles, vt literas ſuæ damnationis ſecum ferant ad tartara æternis ignibus cruciandi; atq́ ideo non per auaritiam, non per inanem gloriam, non per inuidiam, & contentionem prædicent: ſed vnum* CHRISTVM IESVM *habentes præ oculis, ſtrenuè, non verbum ſolum, ſed etiam exemplo, annuntient populo noſtro ſcælera eorum; neq́ tàm loquantur ad aures, quàm ad cor, tanquàm voces emiſſæ cælitùs, tanquàm tuba Angelica, & tanquàm tonitrua filij Dei.*

SERMO AD SYNODVM, DE TESTAMENTIS.

QVONIAM IN CONDENDIS TESTAMENTIS *ſæpe ſæpius conſanguineorum, affinium, amicorum, ſiue ambitione, ſiue auaritia, ſiue demum ignorantia, forſan & ipſo religionis neglectu, interdum etiam illius qui moritur fiducia ſtolida improbitate, aut craſſo nimium rudiquè ingenio; ea quæ malè ablata reſtituenda eſſent, & quæ pro animæ ſalute inſtitui, aut legari deberent, obliuioni mandantur: Idcirco utiliter prouidere uolentes, ſacra hac approbante Synodo ſtatuimus, ut quicunquè, uel inuita, uel in articulo mortis de ſuis ipſius bonis diſponere, uel teſtari uoluerit, Parochum, intra cuius Eccleſiæ fines habitat, tanquàm qui illius conſcientiam & conditionem ignorare non creditur, & de quo ſperandum eſt, quod illud tantum curabit, ut qui mundo moritur, æternùm Deo ucturus, condat teſtamentum dignum Chriſtiano uiro, omninò ad ſe uocet; & non niſi ipſo præſente de ſuis rebus ordinet, & diſponat. Ipſa autem diſpoſitio, & ordinatio ubi adſit, uel modicum ſufficientis temporis, eo ſimiliter præſente conſcribatur; ut teſtatore uita functo, impleatur ultima ipſius uoluntas quàm citiùs fieri poterit. Hoc enim præ cæteris homini debetur ab homine, ut qui ſuperſunt, quò ad illos attinet, curent ne defunctorum teſtamenta & diſpoſitiones ultimæ, plus debito prorogentur: ita enim probant ſe non ſolum amaſſe uiuentes, ſed, quod paucorum eſt, amare etiam uita functos. Mandamusquè expreſſè hæredibus, fideicommiſſaris, & omninò omnibus, & ſingulis, tàm inſtitutis, quàm in poſterum inſtituendis, ultimarum uoluntatum executoribus; ut relicta, aut legata ad pias cauſas, Eccleſiæ Cathedrali, Capitulo, Epiſcopo, alijs Eccleſijs, monaſterijs, hoſpitalibus, ſingulisquè pauperibus, & pijs locis, ac perſonis; ſiue pro reſtitutione malè ablatorum, ſiue pro aliorum peccatorum, ut dicunt, remedio;*

medio; ſiue abſolutè pro ſalute animarum, ultra ſex menſes ſoluere nullatenùs differant. Super his autem omnibus & ſingulis eos, qui contrafecerint, in excommunicationis ſententiam incurrere uolumus ipſo facto, & nihilominus compelli ad ſoluendum quæ modo præmiſſo diſpoſita ſunt & ordinata. Si quis autem directè, uel indirectè Parochum, ſeu Rectorem, uel Capellanum huiuſmodi diſpoſitionibus intereſſe prohibuerit. Si quis ultimam alicuius uoluntatem, uel teſtamentum occultauerit; ſi quis demum ſuaſerit morienti, ne de ſuis rebus diſponat & teſtetur, uel ut ſic & ſic teſtetur, & quæ teſtatus fuit mutet etiam in melius, præter ipſum Parochum, cuius eſt iudicare de his, tanquàm uiri ſpiritualis non animalis; in ipſos omnes & ſingulos excommunicationis ſententiam promulgamus in his ſcriptis. De quibus omnibus Vicarius noſter, in omnibus & ſingulis Eccleſijs, etiam Monachorum & Religioſorum, qualibet die Dominica, generalem monitionem populari ſermone fieri iubeat, ne quis ignorantiæ excuſationem prætendere poſſit.

SERMO

SERMO AD SYNODVM, DE SEPVLTVRIS.

ET SI NON IGNORAMVS, PRO FIDElium, qui in Domino moriuntur, religioſis ſepulturis, Apoſtolicos noſtros Patres, loca Sacra & Eccleſiaſtica, quæ propter ſpem reſurrectionis, à dormitione & ſomno, cœmiterij nomen accœperunt, ſanctè & ſapienter inſtituiſſe; vt qui, in ipſis Baſilicis, & Templis, non niſi buſta, & reliquias Martirum, ad eorum memoriam, & honorem, ad cinerum ſuorum quietem, & ſecuritatem; Eccleſiaq; & totius populi præſidium & tutelam honorificè collocabant; nefas exiſtimantes, vbi miniſtrantur ſanctiſſima Sacramenta, vbi extat diuinum illud verum & viuum CHRISTI *Corpus; illic quoq; locum habere fœtentia peccatorum hominum cadauera; neq; tecto ſaltem ſeparatas eſſe aras Dei à tumulis hominum; Tamen, poſtquàm inueterato iam more, & ſine more in domibus noſtris, Eccleſiis, atq; etiam in ipſa Cathedrali, ſicut & in aliјs per totum orbem Eccleſiis, citra omnem delectum, viri & fœminæ tumulantur, & vſq; adeo inſolenter, vt ſæpe etiam diuitibus, & magnatibus ſordeant pauimenta Eccleſiarum, ideoq; ſibi erigi curent ſepulchra, quæ non opere & impenſa ſolum, ſed altitudine quoq; & ſublimitate, impudenter excedant Sacroſancta altaria tincta ſanguine Martirum* CHRISTI IESV, *(Quanta eſt, o Deus, ſuperbia carnis, quanta gloria fœni, quantus tumor ſæculi?) Nos, ne ſoli, calamum quaſſatum conterere, & linum fumigans extinguere videremur, hoc ipſum patienter, aliqua ex parte modo adhibito, in Domino hactenus tolerauimus. Nunc igitur, hinc vel maximè occaſionem accipientes augendi diuini cultus, (Verùm eſt enim quod aiunt, Ex malis moribus ſanctiſſimæ leges, ſicut & ſcriptum eſt, Lex propter tranſgreſſiònem poſita eſt) ſtatuimus, vt more maiorum, quorum pijs Eleemoſynis per Chriſtianum orbem, adeoq; per hoc ipſum Regnum, & per hanc noſtram Prouinciam Barienſem; ſed & in Ciuitatem*

tem

te hac noſtra cum ingenti Botuntinorum laude, fructu, & merito, erecta, dotata, ditataq́; ſunt Templa, Altaria, Monaſteria, pro qualitate regionis ampliſſima, & magnificentiſſima; quiſquis poſthac in Eccleſiis ipſis ſepeliri voluerit, ad Dei cultum & pietatem augendam, iure teſtamentario, pro vaſis ſacris, pro ornamentis, pro veſtibus, pro calicibus, pro libris, & alijs omnibus quibus quàm maximè multa non eget (quòd dicere cogimur, vel inuiti) aliquid omninò illi ipſi Eccleſiæ, in qua tumulandus eſt; relinquere teneatur: vt paulatim creſcente in dies populi noſtri deuotione & religione; omnes Eccleſiæ, quibus undiq́; hæc noſtra Ciuitas decoratur, ipſa præſertim Botuntinenſium Eccleſiarum mater & matrix, non ſubleuari ſolum ex tanta inopia, quam nemo non videt; ſed pro qualitate, & ſplendore fabricæ, quæ profectò paucis conceditur, reparari, ornari, illuſtrariq́; valeant. Nullam ipſi populo noſtro in re tanta metam præſcribimus, non taxamus partem, neq́; quotam, neq́; aliquotam; Exemplo parentum, & auorum commoti, ſperantes filios haud quaquàm futuros eſſe à paterna pietate degeneres; totum committimus deuotioni fidelium. Vnum hoc admonemus, dicimus, & pronunciamus, illos filios qui morientes, dum teſtamenta condunt ſuæ ipſorum Matris in totum obliuiſcuntur, Matris ex qua non ad mortem naſcuntur, ſed ad vitam; ex qua perpetuò ſumunt cibum vitæ, quæ dum ſuam ipſius nuditatem palàm oſtendit tranſeuntibus, profectò ſine voce auxilium poſtulat à filijs; meritò nobis indignos videri, pro quibus ſepeliendis, viſcera materna fodiantur, atq́; etiam totum ipſius venerandæ Matris corpus, per omnia latera, & in ipſa etiam facie, fodiendo, & refodiendo deturpetur.

DE NON DETINENDIS, AVT VSVRPANDIS ECCLESIARVM, ET PIORVM LOCORVM REBVS.

DEQVE ECCLESIASTICA IVRISDICTIONE PERPETVO CONSERVANDA.

DECRETVM.

QVONIAM HAC NOSTRA TEMPESTATE, verè tempeſtate, qua abundat iniquitas, & refrigeſcit Charitas; ſicut olim Ægyptij oderant paſtores ouium, ita nunc Laici oppidò infeſti ſunt Clericis, & plerumq; ea, quæ illis ſunt debita non reddunt, quæ illorum ſunt vſurpant, & quod magis dolendum eſt ad æternam animarum ſuarum perditionem, iuriſdictionem ſpiritualem temerè ingrediuntur, nullam differentiam facientes inter ſacrum, & profanum, tranſgredientes terminos, quos ipſe Deus poſuit, & Patres noſtri Deo volente conſtituerunt. Nos, qui in manibus Summi Pontificis, & Sanctæ Sedis Apoſtolicæ iureiurando promiſimus conſeruare, & tueri, ampliareque quoad poſſumus ſpiritualia quidem in primis, ſed & temporalia, ſine quibus vix vlla diu ſubſiſtere poſſunt; bona iuraque Eccleſiæ noſtræ Botuntinæ, cui tametſi indignè præfecti ſumus. Intellegimuſque propterea, quod diuino humanoq; iure, qui omnes & ſingulos ſubditos noſtros, per Dei gratiam, in ſuis iuribus confouemus, teneamur quoq; ad ius dicendum ſponſæ noſtræ, & citra periurij crimen iura ſua, aut negligere, aut diſſimulare non valeamus: Ad erudiendum in primis populum

ſum noſtrum, quem optamus in his, quæ Dei ſunt, omnibus alijs populis eſſe meliorem. Ad tollendam deinde aliquibus eam, quam prætendere ſolent excuſationem ignorationis, denique ad omnium malorum hominum conatus in poſterum refrenandos, machinationeſquè & conſilia deſtruenda; ne culpa fortaſſe noſtra, Gigantum more, extollere ſe audeant aduerſus Dominum, & aduerſus CHRISTVM *eius: Sacra hac approbante Synodo, ſanctione præſenti ſalubriter ordinamus, quin potius à ſanctiſsimis Concilijs generalibus iampridem ſancitum fuiſſe declaramus, Præcipientes primò, ſecundò, tertiò, & peremptoriè, iuxta eorum rationabiles, & ſacratiſsimos Canones.* VT *nulla particularis, vel publica perſona, neque ſocietas, neque collegium, neque uniuerſitas, bona mobilia, ſeu immobilia, aut iura, ſiue perpetua, ſiue temporalia, iuriſdictiones, honores, ius eligendi, uel conferendi aliquam Eccleſiam, uel præbendam, locum, redditum, uel ad uenerabile Capitulum noſtrum, uel ad aliquod Monaſterium Religioſorum, ſiue mendicantium, ſiue Monachorum, ſiue Monialium, uel demum ad menſam noſtram Epiſcopalem, quouis modo, uel titulo pertinentia, aut in totum, aut in partem, uſurpare, impedire, directè, uel indirectè inuadere, aut aliter occupare præſumat, aut uiolenter etiam detinere, & ſpoliare poſſeſſione, ſiue fructuum, ſiue iuriſfructus percipiendi, quicunque illi fuerint; Similiter, ne quiſpiam de teſtamentis, de cauſis matrimonialibus, de uſuraria prauitate, & de alijs cauſis Eccleſiaſticis, quæ ad forum noſtrum, uel de iure, vel ab antiqua conſuetudine pertinere noſcuntur, cognoſcere, aut iudicare præſumat, abſquè noſtra, aut Vicarij noſtri ſpeciali licentia, in ſcriptis obtenta; Singulares perſonas, quæ contra præmiſſa, uel omnia, uel ſingula, ſiue facto, ſiue mandato, ſiue expreſſo conſilio, ſiue etiam conſenſu, aut fecerint, aut etiam attentauerint, excommunicationis ſententia innodamus. Collegium porrò, & ſocietates, congregationeſq́; & uniuerſitates ſubijci uolumus Eccleſiaſtico interdicto.*

DEMVM *eos, qui temeritate propria pluries requiſiti ſoluere contempſerint, uel capitulo noſtro, vel alicui monaſterio, aut demum menſæ noſtræ Epiſcopali, cenſus, & fructus debitos, aut etiam obligare ſeſe ad illos ſoluendos, ſi uere tenentur, ex nunc ſimiliter excommunicationis uinculo innodamus, à quo abſolui non poßint, niſi primùm de his iuribus, & iniurijs, cui, uel quibus debent, integrè ſatisfecerint, uel de ſatiſfactione integra, idoneam fideiuſsionem, aut cautionem præſtiterint.*

EADEM *ſacra approbante Synodo, ut ipſarum eccleſiarum, iura, & bona tàm mobilia, quàm immobilia conſeruari facile poßint ne (quod piaculum eſt inexpiabile) res dicatæ Deo in profanorum hominum profanos uſus conuertantur, aut demum Præsbiterorum, negligentia, ignorantia, utinam non & malitia, depereant, præcipimus omnibus & ſingulis Eccleſiarum, præbendarum, confraternita-*

nitatem, piorumq; locorum omnium rectoribus, & adminiſtratoribus, ſed & noſtro capitulo, & noſtræ menſæ Epiſcopalis Ærario, ut infra tres menſes à die publicationis huius Decreti, faciant quiſq; ſuum inuentarium omnium bonorum, & iurium, mobilium, & immobilium, quod quidem manu Notarij publici, & duobus, uel tribus antiquioribus Laicis Ciuitatis noſtræ ſubſcriptum, Vicario noſtro oſtendatur; cui etiam detur alius liber ex illo originali tranſcriptus, & eiuſdem Notarij ſigno, & eorundem teſtium Laicorum manu ſubſcriptus; ut in archiuio ſcripturarum Eccleſiæ noſtræ Cathedralis conſeruentur, ad perpetuam memoriam. Vnde, & deprehendi poßint & puniri, quicunq; poſthac aliqua bona Eccleſiæ, ſiue magna, ſiue parua, ſiue mobilia, ſiue immobilia, uendere, alienare, permutare, aut quomodolibet diſtrahere præſumpſerint.

COR meum nunc ad vos dilatatum eſt. (Fratres, & Filij dilectiſſimi,) Placet ne ergo vobis, vt quæ hactenus viſitando, & quæ in ſuperioribus Synodalibus ſeſſionibus ſtatuimus, & ordinauimus; nunc tandem aliquandò ad laudem, & gloriam Sanctiſſimæ, & Indiuiduæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus Sancti; Ad incrementum deuotionis noſtræ; Fidei; Spei, & Charitatis in CHRISTVM IESVM Dominum Noſtrum; Ad reformationem huius noſtri Cleri, & totius Populi Buuntini, iuxta Decreta Sanctæ Romanæ Eccleſiæ; & magnæ vniuerſalis Tridentinæ Synodi, cuius doctrina, velut aureo quodam Tridente, è tantis ruderibus Hæreſum, & abuſionum eruta eſt ſimul orthodoxa veritas, & ſingularis innocentia Chriſtianæ Religionis; veſtro omnium conſenſu confirmemus, approbemus, & executioni demandemus? ac etiam, vt pro nunc finem viſitandi faciamus, & Synodum ſoluamus? Et reſpondentibus omnibus, & ſingulis. Placet, Placet. Iuſſit, vt omnes vnà ſecum gratias Deo omnipotenti agerent, TeDeum laudamus uſq; in finem decantantes. Poſtremò data benedictione, omnibus aſtantibus dixit. Ite in Pace. Et ſic actio Synodalis ſoluta eſt. LAVS DEO.

F I N I S.

SERIES CHARTARVM.

ABCDEFGHIKLMNOPQRSTVXYZ.
Aa Bb Cc.

Omnes ſunt Quaterniones, pręter Cc, qui eſt Vnicum.

VENETIIS, APVD IOLITOS.

VA1
152 7691

162
7
5